DE DISTINCTIONE

INTER CREATI ENTIS

ESSENTIAM ET ESSE

DISQUISITIO

METAPHYSICA, THEOLOGICA, CRITICA

DE DISTINCTIONE

ACTUATAM INTER ESSENTIAM EXSISTENTIAMQUE

CREATI ENTIS INTERCEDENTE

AC PRAECIPUE

DE MENTE ANGELICI DOCTORIS

CIRCA EANDEM QUAESTIONEM

AUCTORE

P. JOSEPHO M. PICCIRELLI S. J.



NEAPOLI

TYPIS MICHAELIS D' AURIA TYPOGRAPHI PONTIFICII

MCMVI

FRIBURGI BRISGOVIAE
APUD B. HERDER, TYPOGRAPHUM
Editorem Pontificium

LUTETIAE PARISIORUM
APUD V. LECOFFRE, BIBLIOPOLAM
Via Bonaparte, 90

7820

PASCHALIS SCARCELLA

PRAEPOSITUS PROVINCIAE NEAPOLITANAE SOCIETATIS JESU

Cum opus, cui titulus est, *De distinctione essentiam inter actuatam exsistentiamque creati entis intercedente, ac praecipue de mente Angelici Doctoris circa eandem quaestionem Disquisitio metaphysica, theologica, critica,* a P. Josepho M. Piccirelli nostrae Societatis sacerdote compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Neapoli die 26 Octobris 1905.

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE DI NAPOLI

Nihil obstat

JOANN. *Can.* DE LUCA

Censor Theologus

Imprimatur

SALV. *Can.* CALVANESE

Deputatus

ERRATA		CORRIGE
Pag.	40. v. 4. Potest et debet	Possit et debeat.
»	63. Not. marg. 1. Quandnam	Quandonam.
»	65. v. 33. Nusquam	Nunquam.
»	122. v. 24. Distictum	Distinctum.
»	129. v. 8. Excidit not. marg.	Prima responsio.
»	215. v. 23. Qnidditate	Quidditate.
»	233. v. 27. Quodantenus	Quadantenus.
»	242. v. 38. Hoe	Hoc.
»	247. v. 30. Quedammodo	Quodammodo.
»	283. v. 15. Praetar	Praeter.
	Ibidem v. 24. Color	Calor.
»	312. v. 39. Effundant	Offundant.
»	324. v. 1. Noluisse	Voluisse.
»	381. v. 22. Qaae	Quae.

LECTORI BENEVOLO

Temeritatis aut forsan stultitiae insimulabor, quod de distinctione actuatam inter essentiam exsistentiamque creati entis intercedente, ac praecipue de D. Thomae mente disquisitionem haberi posse puto in re, uti quibusdam videtur, patenti prorsus, quaeque sex fere saeculorum communi calculo dicenda est penitus confirmata. Sed enim alea iacta est: quid vero de me quisquis cogitet, haud magni faciendum, si modo sua constent iura veritati. Disquisitionem hanc aggredimur ut, quidquid aliqui dixerint, ex veritate ex ipsoque Thoma ediscamus quid ipse in re, nondum sane eliquata, fuerit professus. Quem laborem eo libentiori animus animo, ut Pastori Summo geramus morem hortato: « *Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur* [1] ». Ad haec, fuerit profecto tempus, quum hac super re nullius forsan menti, quod ipso disquisitionis decursu erit ventilandum, obversata fuit dubitatio. Ast nunc non ita est; ac non pauci, quorum ceteroqui in D. Thomam amor indubius est, revera dubitant, aut oppositum audent asserere. Novi hercle alios, nec in re praesertim philosophica ac theologica contemnendos viros arbitrari in hereditatem maiorum sic ipsos ivisse, ut persuasione hac, ceu ratione aut una aut principe, ipsi retrorsum vela dederint ac sententiam pristinam retractarint; tum velis remisque adlaborent, ut alii in eam eant sententiam, ni e D. Thomae discipulorum albo velint expungi, atque igne et aere interdici.

Fatemur dissentione hac ipsa inter discipulos Angelici Doctoris

[1] Leo XIII. *Encycl.* Aeterni Patris, sub finem.

moveri nos maxime, ut operi manum admoveamus ac, omni semoto partium studio, D. Thomae sententiam ex ipso aut unice aut praecipue D. Thoma sciscitemur. Cuius laboris is erit, si Deus dederit, fructus ut, si evidenter pateat aut distinctionem realem, ut aiunt, creatam inter essentiam actualem atque exsistentiam a D. Thoma non fuisse traditam, aut saltem non constare certo sit necne de eius mente, integrum sit omnibus eius discipulis iisdemque veritatis contra nostri temporis hostes propugnatoribus, quam quisque veriorem ac magis de Magistri mente duxerit sententiam, in eandem libera caritate fidenter ingredi.

Habe iam, Lector, in opere exarando consilium nostrum. Quandoquidem diebus nostris quaestio istaec tantopere agitatur, videturque non paucis ab ipsa una in scientiis rationalibus reliqua propemodum pendere omnia; opportunum, quin necessarium visum est omni ex parte eandem versare ut, quoad eius fieri poterit, catholicorum athletarum animi vel consensione facta inter sese, vel interno nec metuendo dissidio haudquaquam commoti, in fidei veritatisque hostes fidentius irruant. Bina tamen obstare videbantur. Primum erat haud ferenda temporibus nostris voluminis moles inde exoritura, quibusque non licet esse otiosis legendi voluntatem ereptura. Erat alterum cum amicis, imo cum dilectissimis fratribus ineundum certamen, cum iisque ceu cum hostibus esse confligendum.

Non haec tanti erant, ut incepto iuberent desistere, concupitumque laboris exitum desperare. Quod publici iuris fit opus, non omnes aeque paratos invenit lectores. Sunt quibus de re disceptata fere omnia desunt: sunt qui magis minusve rem callent, quamvis non sit ipsis iniucundum, vel sit etiam quadantenus necessarium novis instrui institutis, ut in plena veritatis possessione animus conquiescat. Omnibus satis faciendum est, alia tamen et alia ratione. Iis, qui omnibus egent, omnia adparanda; qui pluribus affluunt, sic adparanda ut, quibus divites sunt omissis, facile quod deest, quodve lubet inveniant. Hoc consilio integrum opus divisimus in partes tres: in quarum primam quae ad quaestionem aut intelligendam aut evolvendam pressius requiruntur,

universim congessimus; in altera quaestionem metaphysice theologiceque discussimus a doctrina Angelici Doctoris illam abstrahentes; in tertia demum unice, sed quantum diligentissime fieri potuit, critice in detegenda Angelici mente sumus versati.

Si cui autem nosse studium sit, quare primam illam divisionis partem fuerimus consectati, ac fusiori calamo digessimus; is plane sciat non sine ratione id nos perpetrasse. Generaliora certe illa sunt, quam quibus nostra continetur disquisitio; sed ea sunt, sine quibus recte intellectis in disceptando aequivocationi facillime esse locus potest. Possunt illa ab aliis peti auctoribus librisve.—Sed cur non a nobis? praesertim cum apud alios sine haud levi inquisitionis labore, cui nos longo tempore indulsimus, aegre sane accuratione optanda pertractata inveniantur? Tum generaliora illa et huic et aliis operibus nostris intelligendis profutura sunt. Definienda alicubi a nobis erant, nec alibi opportunius quam in hoc opere, cum provecta aetas spem praeripiat universam de ENTE tractationem aliquando aggrediendi. Accedit quod generalioribus illis opus hoc nostrum non uno tantum nomine, sed pluribus utile reapse evadet. Quaeret fortasse quis apud nos etiam generaliora illa, dum eget, disquisitionem principem aut nunquam, aut tunc saltem minime quaesiturus.

Si quis rursum inquirat, quare non tertiam partem secundae praemisimus, haud difficulter ipsi fiet satis. Generatim non a Doctore veritas, sed a veritate pendet Doctor. Tum, si semel in re nostra in perspicuis erit posita veritas, Angelici Doctoris mens, qua de praecipue disceptatur, facilius invenietur, minorive accipietur contentione; apud discipulos enim Aquinatis omnes lemmatis cuiusdam loco est ipsum a veritate non desciscere. Itaque quae ad questionem intelligendam requiruntur qui norunt optime, primam disquisitionis mittant partem, ne legendo incassum graventur: qui metaphysica theologicaque disceptatione non egent instrui, ius esto etiam secundae nuntium remittere: legant ac porro perlegant omnes tertiam quae, maxime diebus nostris, quasi pugnae totius praeludium ventilatur.

Quae diximus de summa rei, ea de documentis in disceptatio-

nem vocatis intelligenda sunt. Fusiori calamo quae a communi usu remotiora sunt visum est exscribere. Neque enim, uti quibusdam mens est, inducere animum unquam potuimus omnium fere D. Thomae operum, quorum partes aliquae disputationi materiam praebent, adesse omnibus facile copiam; neque, quibus adest, semper praesto esse voluntatem perquirendi loca in disceptationem vocata: ceterum non negandum arbitramur, etiam ubi utrumque non deest, prae oculis habere non quaesitum id omne, quod ad causam pertinet, lectionem reddere iucundiorem. In Monographiis autem, quae de gravissima aliqua quaestione scribuntur, ius ususque ferunt, ut abundantiori copia res inveniantur.

Ad caput vero alterum quod spectat, certandum abs dubio est, et acerrime quidem certandum. Sed sunt acerrima certamina cum hostibus, ut proterantur; sunt cum amicis, imo cum fratribus, sive quandoque ad acuendum ingenium ad animosque suaviter retinendos, sive etiam ut clara in luce, quam quaerunt et amant unice, veritas collocetur. Certamina illa dura sunt ac saepe silvestria, haec blanda et urbana: illa laedunt, haec fovent: ex illis maior saepe exoritur discordia, his unice quaeritur concordia et pax: illa ex necessitate ineunda, haec caritate ipsa suadentur. Hoc altero animo modoque certamus, fructumque illum, qui in Dei veritate est, non desperamus consequi.

Habes, benigne Lector, qua dirigente norma in hoc opus incubuimus. Superest ut aequi bonique consulas, si quid minus recte, quod humanae fragilitatis est, dictum invenias; quae vero recta sunt, ad Dei Sanctissimorumque Iesu et Mariae Cordium gloriam ex integro referas. Adsit nisibus nostris Angelicus Doctor, atque fatiscenti pectori vires addat animumque, teque, Lector, pura soletur luce veritatis. Vale.

Neapoli ex Collegio S. Alosii
die SS. Cordi Iesu Sacro, MCMV.

Iosephus M. Piccirelli S. I.

DISQUISITIO

METAPHYSICA, THEOLOGICA, CRITICA

Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur. *Leo XIII, Encycl.* ***Aeterni Patris.***

Esse secundo modo dictum, ***ut ponit Aegidius*** primo Quodlibeto, q. 7., nihil aliud est, quam: " Quaedam actualitas impressa omnibus entibus a primo ente. Nulla enim essentia creaturae est tantae actualitatis, quod possit actu exsistere, nisi ei imprimatur actualitas quaedam a primo ente, et illa actualitas impressa vocatur esse Sicut ergo res corporales, aliae a quantitate, non sunt actu de se extensae, sed sunt in potentia ut extendantur per quantitatem; sic omnes aliae naturae a primo ente de se non exsistunt actu, sed sunt in potentia ad esse „. Haec Aegidius. — Capreolus, *In I. Dist. 8. q. 1. a. 1. Quinta conclusio.*

Amor concordiam includit.. non quidem in speculativis; quia concordia in his... ad amicitiam non pertinet, et discordia in eisdem esse potest sine amicitiae praeiudicio, eo quod in his concordare vel discordare voluntati non subiacet, cum intellectus ratione cogatur. — D. Thomas, *In III. Dist. 27. q. 2. a. I. corp.*

SECTIO I.

PROSPECTUS QUAESTIONIS

CAPUT I.

DE ESSENTIAE EXSISTENTIAEQUE NOTIONE

Nominis essentiae derivatio et sensus.

1. Uti ab *esse* inclinatae latinitatis scriptores, non sine quadam Tulliana praeformatione, dixerunt *essentiam* [1]; sic florentis maxime scholae Magistri ab *exsistere exsistentiam* derivarunt. Utriusque vocis par sane est casus aut inflexio; dispar haud parum notio aut intellectus. Enimvero veteres illi hac voce τοῦ *esse* indefinita quadam ratione id quod est, seu quod actualitatem aut praesentiam habet, significabant; nomine autem *essentiae*, huius eiusdem quod est naturam aut substantiam. Utrumque sat clare complexus est

[1] Cfr. Quintilianum, *lib. 2, c. 13, et lib. 8, c 3* — Senecam, *Epist. 58. ad Lucilium* — Macrobium, *lib. 1 in Somnium Scipionis c. 12* — Augustinum, *De Civitate Dei, lib. 12 c. 2.*—Sidonium Apollinarem, *Epist. carmini XIV, praefixa* etc.

S. Augustinus. Augustinus. Ait enim: « Nam et ipsa *natura* nihil est aliud, quam *id quod* intelligitur in suo genere *aliquid esse.* Itaque ut nos iam novo nomine ab eo quod est *esse* vocamus *essentiam*, quam plerumque *substantiam* etiam nominamus; ita veteres, qui haec nomina non habebant, pro *essentia* et *substantia* naturam vocabant » [1].

2. Haec eadem sequioris aetatis Doctoribus in usu fuerunt, utut, primaeva hac vocum significatione retenta, eam plenius distinctiusque declararint. Et de essentia quidem: « Sciendum est, *ait* D. Thomas. *D. Thomas*, quod, sicut Philosophus dicit in 5. Metaphysicorum, *ens per se* dicitur dupliciter. Uno modo quod dividitur per decem genera: alio modo quod significat propositionum veritatem. Horum autem differentia est, quia secundo modo potest dici *ens* omne illud, de quo affirmativa propositio formari potest, *etiamsi illud in re nihil ponat:* per quem modum privationes et negationes entia dicuntur; dicimus enim quod *affirmatio est opposita negationi*, et quod *caecitas est in oculo.* Sed primo modo non potest dici aliquid quod sit ens, nisi quod in re aliquid ponat: unde primo modo caecitas et huiusmodi non sunt entia. Nomen igitur *Essentiae* non sumitur ab ente secundo modo dicto; aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quae essentiam non habent, ut patet in privationibus: sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto. Unde Commentator in eodem loco dicit: *Ens primo modo dictum est, quod significat substantiam rei.* — Et quia, ut dictum est, ens hoc modo dictum dividitur per decem genera, oportet quod essentia significet *aliquod commune omnibus naturis, per quas diversa entia in diversis generibus et speciebus collocantur*, sicut humanitas est essentia hominis, et sic de aliis. — Et quia illud, per quod res constituitur in proprio genere vel specie, est quod significamus per definitionem indicantem: *quid est res;* inde est, quod Quidditas nomen essentiae a Philosophis in nomen *quidditatis* mutatur. Et hoc est quod Philosophus in septimo Mataphysicae frequenter nominat *quod quid erat esse*, idest, hoc per quod aliquid habet esse Forma. quid. Dicitur etiam *forma*, secundum quod per formam significatur perfectio, vel certitudo uniuscuiusque rei, sicut dicit Avicenna in *secundo Metaphysicae suae.* Hoc etiam alio nomine *na-* Natura. *tura* dicitur, accipiendo naturam secundum primum modum illorum quatuor modorum, quos Boetius *de duabus naturis* assignat, secundum scilicet quod natura dicitur esse illud, quod quocumque modo intellectu capi potest. Non enim res intelligibilis est, nisi per suam definitionem et essentiam: et sic etiam dicit Philosophus *in quinto Metaphysicae*, quod omnis substantia est natura. Nomen autem naturae, hoc modo sumptae, videtur significare essentiam rei, secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem rei, cum nulla res propria destituatur operatione. Quidditatis vero nomen sumitur ex hoc, quod per definitionem si-

[1] S. Augustinus, *De moribus Manichaeorum, lib. 2, c. 2, n. 2*, et *De Trinitate, lib. 5. c. 2.*

gnificatur. Sed *essentia dicitur secundum quod per eam et in ea res habet esse* »[1]. Plura his similia saepe habet S. Doctor[2].

τοῦ esse pressior significatio.

3. Quod vero attinet pressiorem significationem nominis *esse*, intelligitur ex eo quod, cum ab initio concrete, ut diximus, τὸ *esse* rem actu positam in rerum natura significaret, inflexum subinde fuit ad rationem, vi cuius res aut quidditas actualitatem habet, designandam. Ad rem D. Thomas, sive Auctor Opusculi: *De natura generis*, quicumque demum is sit, postquam sequenti pacto praefatus est: « Quoniam omnis creatura generis limitibus continetur, ne circa naturas rerum aliquis error causetur, de genere et difficultatibus ipsum contingentibus aliquid, quo facilius scientiarum a se invicem diversarum ortus processusque discerni possit, dicere intendimus, initium sumentes ab illo, *ad quod intellectum omnem incipere et resolvere necesse est: hoc autem dicimus ens* », sic infra prosequitur: « Ens est, cuius *actus est esse*, sicut viventis vivere. Sic enim se habent haec tria ad invicem *ens*, *esse* et *essentia*, sicut *vivens*, *vita*, *vivere*. Vita enim est principium quo vivens vivit; et essentia est principium quo ens est; nisi quod vita (*pressius accepta*) et vivere significant actum, vita in abstracto, vivere vero in concreto, sicut cursus et currere, unde non est vita sine vivere; essentia tamen non semper constituit esse »[3]. Et ipse Thomas authenticus: « Cum in omni quod est, *ait*, sit considerare *quidditatem suam*, per quam subsistit in natura determinata, et *esse suum*, per quod dicitur de eo, *quod est in actu;* hoc nomen *res* imponitur rei a quidditate sua secundum Avicennam[4]; hoc nomen *qui est* vel *ens* imponitur *ab ipso actu essendi* »[5]. Quin τοῦ esse acceptiones varias declaraturus sequentia scribit S. Doctor: « *Esse* tripliciter dicitur: uno modo dicitur ipsa quidditas vel natura rei, sicut dicitur, quod definitio est: *oratio significans quid est esse;* definitio enim quidditatem rei significat. Alio modo dicitur *esse* ipse *actus essentiae*, sicut vivere, quod est esse viventibus, est animae actus, non actus qui est operatio, sed actus primus. Tertio modo dicitur *esse*, quod significat veritatem compositionis in propositionibus, secundum quod *Est* dicit copulam: et secundum hoc est in intellectu componente et dividente quantum ad sui complementum, sed fundatur in esse rei, quod est *actus* essentiae »[6].

Auctor opusculi De natura generis.

D. Thomas.

Exsistentiae derivatio.

4. At vero haec vox *Exsistentia*, quamvis ab exsistere sit derivata, uti ab esse essentia; atque, ex vi nominis, uti *exsistere* ipsam actionem egrediendi, seu *sistendi aliquid extra*, ac subinde *quasi actionem extandi*, seu *standi extra* meminerit, sic *exsistentia extra-sistentiam*, seu *positionem*, *apparitionem*, aut *perstantiam*, dixerim, *alicuius rei extra*, abstracta quadam ratione debuisset innuere; factum tamen

---

[1] *De Ente et Essentia, c. 1.*
[2] Cfr. *Summ. Theol. 1 p. q. 29, a. 1. ad 4.*
[3] Opusc. 42. *De Natura generis, c. 1.* Cfr. *c. 4.*
[4] Avicenna, *Tract. 2. Metaphys. c. 1.*
[5] I *Dist. 8, q. 1 art. 1 corp.*
[6] I *Dist. 33, q. 1 a. 1. ad 1um.*

usus.

usu est, ut exsistentia significarit, non ad modum *actionis* sed ad modum *formae*, rei actualitatem, ac id sane per quod aut quo res

oppositio.

actu est. Itaque exsistentia opposita fuit a Doctoribus non plane τῷ exsistere, sed essentiae, et eadem prorsus ratione ac ipsi a sequioris aetatis Theologis opponebatur τὸ esse, non iuxta concretam rationem primigeniam, sed secundum rationem formalem aut quasi

Lossada.

formalem, quam subinde nactum est. Audiatur P. Lossada: « Essentia rei est complexio sive identitas praedicatorum, per quae res definitur; exsistentia vero est *actualitas, per quam essentia ipsa est actu ens, et actu aliquid in rerum natura*, seu per quam verificatur propositio de secundo adiacente: *Essentia est.* Unde *exsistentia* idem sonat ac *esse* rei, qua voce fere semper utuntur veteres » [1]. Exsistentiae autem nomen eiusque in re philosophica et theologica usurpatio, utut apud Angelicum Doctorem haud frequentia, non aliena tamen ab eius mente dicenda sunt. En quae leguntur in responsione ad F. Joannem Vercellensem de articulis Petri de Ta-

D. Thomas.

rantasio: « Quod vero (*articulo*) quadragesimo septimo dicitur: — *Actus exsistendi* triplex est, quidam omnino potentiae impermixtus, ut esse divinum; alius semper potentiae permixtus, tale est rerum generabilium; tertius medio modo se habens. Est enim potentiae permixtus, *in quantum est ab alio*; partim vero non, in quantum est simplex et simul totus completus, et tale est esse Angeli: — *sanum potest habere intellectum.* Non enim scribens intendit excludere ab esse Angelico quaslibet potentias, sed potentiam quae esset transmutabilis, quae est in rebus corruptibilibus » [2].

Non contendendum de vocibus.

5. His de nominibus τοῦ esse et essentiae, ac τοῦ exsistere et exsistentiae breviter delibatis, facile intelligi potest non esse nimium neque de vocibus contendendum, neque in vocibus faciendam vim.

Quid essentiae exsistentiaeque nominibus intelligamus.

Intelligimus enim in praesentiarum nomine *essentiae* naturam ipsam rei, seu complexionem praedicatorum, quibus res definitur; nomine autem τοῦ *esse* aut *exsistentiae* aut, si lubet, etiam τοῦ *exsistere*, ipsam actualitatem talis naturae in ordine reali ad modum non subiecti aut actionis, sed penitus ad modum *formae;* atque adeo intelligimus id *quo*, quasi formaliter, essentia aut natura actualitatem habet.

6. Nominales has definitiones ac qualescumque rerum simplicissimarum atque universalissimarum notiones liceat iam, variatis respectibus, plenius declarare. Atque, ut ab essentia incipiamus, operae pretium est animadvertere essentiam aliquando accipi prout, uti diximus, opponitur τῷ esse aut exsistentiae; aliquando vero prout contradistinguitur a supposito, hypostasi, aut persona. Enimvero

Essentiae ceu supposito appositae notiones variae, prima.

essentia solet 1° valde communiter definiri: *Id quo res est id, quod est* [3]. Huiusmodi autem oratio, quamvis posset sic declarari, ut es-

---

[1] Cursus Salmanticensis, Auctore Ludovico Lossada S. I., *part. 3. Metaph. Disp. 2. c. 4 n. 61* — Cfr. Mastrium, *In lib. Metaph. Disp. 8. q. 2. n. 71.* — Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 5. n. 1. etc.*

[2] D. Thomas, *Opusc. IX. Edit Rom. Responsio ad F. Ioannem Vercellensem, de art. 108, sumptis ex opere Petri de Tarantasio, Quaestio 47.*

[3] Cfr. Liberatore, *Ontologia* c. 1. art. 2. n. 12. — Urráburu, *Ontologia, Disp. I. c. 1. art. 2. n. 18* — Delmas, *Ontologia c. 1. art. 3, n. 27*, etc.

sentia dicatur: *Id, quo posito habetur talis determinata res, et quo non posito non potest haberi* [1]; in quo sensu nihil fere differt haec notio ab ea quam mox subiiciemus; melius tamen declaratur, ut essentia sit: *Id, quo suppositum est id quod est.* Ratio est, quod essentia, dum sic definitur, non exhibetur ut *potentia*, quae actualitatem exigat seu ab alio nanciscatur; sed contra exhibetur ut *forma*, qua res actualitate potiatur. In ratione autem formae ipsa non contradistinguitur ab esse, sed a supposito, quod ceu essentiae subiectum a nobis concipitur; forma enim est id *quo* subiectum est id *quod* est, cum ipsa sit quae subiecto tribuit esse et operari specificum, et sit radix omnium, quae in subiecto sunt [2].

7. Communissime etiam essentia solet definiri: *Id, quo res in determinata specie constituitur* [3]. Monet aliquis notionem hanc intelligendam esse de eo, *quo per se* et quidem *primo* res in determinata specie constituitur. At vero, si de proprio constitutivo speciei sermo est, utraque nota declarans communem notionem superflua videri potest. Neque enim potest unquam res in determinata specie constitui aut per *aliud*, quam per sui constitutivum, aut per *aliquid* quod ipsi *per accidens* competit; neque quod non *primo*, sed secundario aut consequenter se habet ad rem in specie determinata iam constitutam, potest ipsam in specie determinata constituere. Itaque quo res in specie determinata constituitur, necessario sane *per se* et *primo* id praestat, aut secus nullo praestat modo; atque adeo ista monere non videtur necessarium. Admitti tamen utraque potest nota, si *negative* non *positive* explicetur, ut id rei essentiam constituere non posse dicatur, quod non *per se*, sed *per accidens* aut *per aliud*, nec *primo*, sed *secundario* aut *ex consequenti* rei competere in comperto sit: quod in inquirenda rei alicuius essentia aut definitione essentiali a posteriori usui esse potest.

secunda.

Animadversio in Scriptorem quendam recentissimum.

8. Itaque notio illa potest recte dupliciter intelligi. Primo quidem prout essentia ab esse contradistinguitur et innuit potentiam aliquam ad suum proportionatum actum ordinatam; secundo vero prout opponitur supposito. Priori pacto, eo res in determinata specie dicetur constitui, *quo posito habetur talis determinata res et quo non posito non potest haberi*, uti praecedentem notionem exposuit P. Urráburu, et nos diximus in eo sensu cum hac, quam modo tractamus, penitus convenire: in hoc autem sensu essentia, eo ipso quod notas simpliciter innuit quibus res est aut esse potest, proprie ab esse, cuius, tanquam potentia, susceptiva est, contradistinguitur. Secundo autem pacto illa notio idem audiet, ac: *Id, quo individuum in determinata specie constituitur*, atque adeo supposito, cuiusmodi individuum est, opponetur. Et secunda haec

recta intelligentia duplex.

[1] Cfr. Urráburu et Delmas, *loc. cit.*

[2] Cfr. D. Thomam, *Summ. Theol. 1. p. q. 39 art. 2, corp., art. 3, corp.*

[3] Cfr. Liberatore, *loc. laud.* — Schiffini, *Ontologia, Disp. 1, Sect. 1, n. 431, I.* Zigliara, *Ontologia, lib. 2. c. 1. a. 4, II.* — De Mandato, *Ontologia, c. 1.* — Delmas, *loc. laud.* etc.

expositio priori videtur praeferenda, quia nimirum in notione, de qua loquimur, essentia exhibetur ut forma et actus, non autem ut potentia; in ratione autem formae aut actus essentia, uti dictum est, non τῷ esse, sed supposito proprie opponitur. Ad haec, individua proprie in specie sunt: non sunt autem in specie, nisi quatenus naturam communem participant. Porro uti individuum substantiale alicuius speciei proprie suppositum vel hypostasis dicitur; sic communis speciei natura dicitur essentia. Haec clarissime ac late declarantur a D. Thoma in *Quaestionibus Disputatis* [1]; quem locum, sodes, consule.

Damascenus

9. Eodem sensu loquutus est Damascenus, qui cum retulerit ethnicorum opinamenta, tandem subdit: « At Sancti Patres prolixas ac ineptas contentiones missas facientes, *id quod commune est ac de multis dicitur*, id est, *specialissimam speciem*, *substantiam* (οὐσίαν), *et naturam* (φύσιν), *ac formam* (μορφὴν), *appellarunt*, *ut Angelum*, *hominem*, *equum*, *canem*, *et similia*. Enimvero οὐσία ab eo *quod sit* dicitur; et natura ab eo *quod aptum natum sit* (παρὰ τὸ πεφυκέναι). *Esse* porro et *natum esse* idem sunt. Atque etiam forma et species eandem ac natura habent significationem. *Quod autem particulare est*, *individuum*, *et personam et hypostasim nuncuparunt*, *ut Petrum*, *Paulum*. Porro hypostasis essentiam cum accidentibus et ut per se subsistat exigit; ac etiam ut sensu, id est, actu consideretur existens. Nec vero fieri potest, ut duae hypostases inter se non differant ratione accidentium, numeroque inter se distinguantur » [2].

collectio.

10. Ex huc usque dictis pronum est intelligere essentiam, spectatam quatenus supposito aut hypostasi contradistinguitur, non accipi secundum totam rationem transcendentem, qua nimirum omne ens complectatur; sed secundum rationem magis determinatam magisque propriam [3], quatenus videlicet ad solam essentiam substantialem totalemque contrahitur. Sola enim essentia substantialis totalisque, si cetera adsint, suppositum esse potest, atque adeo secundum rationem praecisam ab ipso contradistinguitur. Quapropter cum, hoc sub adspectu, essentia *forma* sit, qua suppositum constituitur, suppositum vero *subiecti* rationem habeat; non inconcinne essentia *actus*, suppositum autem *potentia* dicitur, atque compositum exinde resultans eius rationis est, cuiusmodi est constitutum ex toto constituendo et ex parte constituente: quae compositio, ex D. Thoma, est compositio rationis. « Dicendum, quod natura dicitur constituere suppositum, etiam in compositis ex materia et forma, *non quia natura sit una res et suppositum alia res* (hoc enim est secundum opinionem dicentium quod natura speciei sit forma tantum, quae constituit suppositum, sicut totum); sed

D. Thomas.

[1] D. Thomas QQ. DD. *De Potentia*, *q. 9. a. 1. corp.*, *et Summ. Theol. 1. p. q. 29. a. 2. corp.*

[2] S. Ioannes Damascenus, *Dialectica*, *c. 30.* Cfr. *cc. 39-42* — et Boetium. *De Persona et duabus naturis*, *c. 3.*

[3] D. Thomas, *De Ente et Essentia*, *c. 2.*

quia, secundum modum significandi, natura significatur ut pars ratione supradicta, suppositum vero ut totum; natura significatur ut constituens, suppositum ut constitutum »[1].

Essentiae ut τῷ *esse* appositae notiones variae.

11. Quod si iam, prout τῷ *esse* aut exsistentiae opponitur, spectatur essentia, eius notio diversimode exhibetur secundum quod *absolute* et sine ordine ad alia, vel quodammodo *relative* et quatenus ad alia dicit habitudinem significatur. In consideratione absoluta, seu ad se essentia est: *Id, quo praecise dato, res datur et, quo ablato, res aufertur*, seu est: *Complexus eorum praedicatorum, aut earum notarum, quibus praecise positis, res ponitur et, quorum quolibet praecise ablato, res aufertur.* Haec notio, uti facillime intelligitur, eadem ferme cum praecedentibus est si, qua ab esse distinguuntur, notiones illae inspiciantur. Fundamentum vero inde iure repetitur, quod essentiae rerum immutabiles sunt atque indivisibiles; ex quo fit ut, si unum vel pura praedicata ceu constitutiva dicunt, sic dicant, nullum ut auferri possit, quin res ipsa auferatur, nec haberi ipsa possit, si non habentur omnia. « Considerandum est, ait S. Doctor, quod illud secundum quod sortitur aliquid speciem, oportet esse fixum, et stans, et quasi indivisibile. Quaecumque enim ad illud attingunt, sub specie continentur; quaecumque autem recedunt ab illo vel in plus vel in minus, pertinent ad aliam speciem vel perfectiorem vel imperfectiorem. Unde Philosophus dicit in 8. *Metaph. textu 10*, quod: *Species rerum sunt sicut numeri, in quibus additio vel diminutio variat speciem.* Si igitur aliqua forma, vel quaecumque res secundum seipsam, vel secundum aliquid sui sortiatur rationem speciei, necesse est quod secundum se considerata habeat determinatam rationem, quae neque in plus excedere, neque in minus deficere possit; et huiusmodi sunt calor et albedo, et aliae huiusmodi qualitates quae non dicuntur in ordine ad aliud, et multo magis substantia, quae est per se ens »[2].

Notio absoluta.

D. Thomas.

notiones respectivae.

12. Si vero essentia secundum varias eius habitudines consideretur, notionibus aliis iisdemque variis solet exhiberi. Enimvero, hoc sub adspectu, potest ipsa definiri, quatenus complexus ille praedicatorum, quod venit essentiae nomine, induit ordinem ad intellectum, atque sic a Boetio ac D. Thoma dicitur: *Ratio earum rerum quae, cum sint, quoquomodo intellectu capi possunt*[3]; ab Eminentissimo Zigliara, et P. Schiffini: *Id, quod primo in re concipitur — Id, quo intellecto, res ipsa intelligitur et, quo ignorato, res ipsa ignoratur*[4]. Animadvertit autem, non abs re, P. Schiffini notionem huiusmodi non sic esse intelligendam: « Quasi, spectato ordine originis conceptionum nostrarum, primo essentiam rei, ac dein ipsiusmet proprietates et operationes intelligamus; inverso

Boetius.

Em. Zigliara, Schiffini.

---

[1] *Quodlib. 2. q. 2. art. 4. respons. ad* SED CONTRA.

[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. 2. q. 52. a. 1 corp.*

[3] Boetius, *De Persona et duabus naturis, c. 1* — D. Thomas, *De Ente et Essentia, c. 1.*

[4] Zigliara, *Ontologia, lib. 2. c. 1. a. 4. II.* ESSENTIAE NOTIO.

quippe ordine solemus in cognitionem rerum devenire. Quocirca allata descriptio veritatem habet, inspecto ordine nobilitatis obiecti: est enim de essentia rei id quod concipimus convenire illi per se primo eamque constituere in esse rei et talis rei; proprietates quippe, quae eidem rei attribuuntur, in essentia radicem habent » [1].

Zigliara.

13. Ille idem ordo spectari potest prout respicit res alias, et sic rursus essentia ab Eminentissimo Zigliara dicitur: *Id, per quod* (aut quo) *res a ceteris aliis distinguitur* [2]. Fatendum tamen notionem hanc presse non essentiam, sed differentiam essentialem exhibere. At vero cum differentia id sit, quod essentiae rationem compleat, a forma sumatur ac totam ipsam implicite ac virtualiter dicat essentiam; eius notio non sine veritate tanquam essentiae ipsius habetur notio. « Quia per formam completur essentia uniuscuiusque rei, communiter essentia uniuscuiusque rei, quam significat eius definitio, vocatur natura..... Unde Boetius in eodem libro, *de duabus naturis a principio*, dicit quod: *Natura est unumquodque informans specifica differentia.* Specifica enim differentia est quae complet definitionem, et sumitur a propria forma rei » [3]. Haec D. Thomas.

D. Thomas

notiones aliae.

14. Inspeto vero ordine, quo essentia ad suas proprietates operationesque potest referri, vel hae ad ipsam, sic valde communiter dicitur etiam a laudatis Doctoribus: *Radix aut subiectum omnium proprietatum quae in re sunt;* vel cum Philosopho: *Principium motus in eo, in quo est, per se et non secundum accidens* [4]. Sed enim hac ultima notione essentia effertur quatenus, uti in superioribus a D. Thoma audivimus, unum idemque cum natura est [5].

Essentiae notiones in ordine ad *esse*.

15. Tandem ille ordo spectari potest relate ad ipsum esse, et sic essentia dicitur: *Id*, seu *potentia, cuius actus est esse.* Quae notio ex D. Thoma est prorsus derivata: « Esse, *ait S. Doctor*, est actualitas omnis formae vel naturae; non enim bonitas vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus eam esse. Oportet igitur quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam » [6]. Atque eodem fere recidit quod S. Doctor alibi monet, nimirum: « *Essentia dicitur secundum quod per eam et in ea res habet esse* » [7]; et iterum: « Non invenitur aliquid affirmative dictum absolute quod possit accipi in omni ente, nisi *essentia eius, secundum quam esse dicitur:* et sic imponitur hoc nomen *res*, quod in hoc differt ab *ente*, *secundum Avicennam in principio Metaphysicae*, quod ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quidditatem seu essentiam entis » [8]. In

[1] Schiffini, *Philosophia Prima, Disp. 1. Sect. 1. n. 431. II.*
[2] Zigliara, *Loc. laud.*
[3] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 29. a. 1. ad 4.*
[4] Aristoteles, *II. Physicorum, text. 3.*
[5] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 2. a. 1.*
[6] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 4. corp.* SECUNDO.
[7] *Idem* *De Ente et Essentia, c. 1*
[8] *Idem* *QQ. DD. De Veritate, q. 1. a. 1. corp.*

his omnibus, uti videtur ex ipsis verbis evidens, essentia exhibetur cum aliquo ordine ad esse. Scribit P. Remer: « Ens, ut nomen, dicit « quidditatem cum connotatione τοῦ esse », essentia vero *eandem quidditatem* praecisive ab esse, seu *sine respectu ad esse*. Scilicet essentia dicit *absolute* quidditatem, ens *respective* ad esse » [1]. Difficilia haec sunt, eo vel magis quod respectum illum ad esse, quem ab initio explicite negat, in fine videtur implicite ac virtualiter concedere. Subdit enim: « Si essentiae nomine non venit esse, sed *illud secundum quod alicui competit*, consequens est ut essentiam concipiamus *non ut actum*, sed *ut potentiam ;* potentiam autem ad *esse*, ut ad proprium actum ». Sed enim, omnibus quae ipse docet inspectis, eius mens forsan est, essentiam dicere quidditatem sine respectu ad esse, quatenus in eius conceptu non solum *essentiali* sed etiam *reali* nullo modo esse includit, utut possit τὸ *esse* respicere uti terminum aut actum, quo suam ultimam perfectionem nanciscatur. Quae verane an falsa sint, subinde erit videndum. P. Remer.

16. Haec ultima essentiae notio, quae ex innumeris D. Thomae locis colligitur, collata cum ea, qua essentiam ut a supposito contradistinctam definivimus, ostendit essentiam, alia et alia ratione, et *formam* seu *actum*, et rursum *potentiam* esse. Forma aut actus est, quatenus est id, quo formatur seu actuatur suppositum; contra vero potentia est, quatenus est id, quod recipit esse, seu actuatur ab esse. Inquirendum igitur est, qua ratione duplex huiusmodi potentiae et actus ratio ipsi conveniat. Verum hoc commodius vestigabimus, postquam τοῦ *esse* seu exsistentiae rationem fuerimus contemplati, et ex rerum omnium disceptatione clarius patebit. Essentia sub diverso respectu actus et potentia.

17. Diximus ergo universim exsistentiae nomine intelligere nos *actualitatem ipsam praedicatorum rem definientium, non per modum subiecti aut actionis, sed per modum formae.* Ex qua nominali ac communiter recepta notione datur inferri propriissimum munus specialemque exsistentiae effectum esse: *intrinsece et quidem formaliter rem actu exstantem, ut sic, constituere.* Nobis sane nondum licet definire, sitne in toto rigore exsistentia *formalis causa*, an *formale tantum constitutivum;* quod alterum latius omnino patet quam prius, et stare optime potest, etiamsi exsistentia ratione tantum ab actuali creata essentia distinguatur. Monendum tamen nos, dum asserimus exsistentiae intrinsecum ac formale munus esse: *constituere rem exsistentem, ut sic*, non negare hanc rem exsistentem ab aliis sive causis, sive conditionibus in alio genere posse pendere; sed negare solum pendere posse, ceu a ratione constitutivi intrinseci et formalis: qua in re Doctores omnes revera conveniunt. Nemo enim unus est, qui non agnoscat accidens, v. g., praeter exsistentiam sive propriam sive subiecti, egere ad exstandum ipso subiecto; formam materialem sua comparte aut materia; res forsan omnes corporeas conditionibus aliis aut dispositioni- Exsistentiae communis notio. proprium munus.

[1] Remer, *Metaphysica Generalis, q. 1. § 3. n. 50.*

bus, sine quibus aut ad esse venire, aut in esse nequeunt conservari. [1]

Exsistentiae definitiones variae.

18. Huiusmodi exsistentiae conceptus, qui ob sui simplicitatem e primis animi conceptionibus est nec proprie potest definiri, communi calculo solet ita describi sive a veteribus, sive a recentioribus, ut sit: *Id, quo formaliter et immediate entitas aliqua constituitur extra causas suas, et desinit esse nihil, ac incipit esse aliquid.* [2]

Suarez.

Mastrius.

In eandem sententiam loquitur Mastrius: *Sicut exsistere*, inquit, *est quasi extra sistere, sic exsistentia in abstracto est quasi extra sistentia, quatenus quod exsistit, sistit extra nihil sui, cum antea nihil actu esset; sistit extra potentialitatem essendi, cum antea solum in potentia esset; sistit demum extra causas, in quaram virtute antea continebatur. Et ideo quantum ad quid rei, exsistentia apud omnes dicitur esse ipsa:* RATIO, QUA ESSENTIA CONSTITUITUR FORMALITER ACTU ET EXTRA CAUSAS; *quae definitio colligitur ex Aristotele, IX. Metaph. text. 11., dum exsistentiam definiens dixit:* EST AUTEM ACTU EXSISTERE REM NON ITA, SICUT DIXIMUS IN POTENTIA. [3]

Philosophus.

Goudin.

Nec dissentiunt Thomistae. Sic Goudinius: *Ipsum actuale exercitium essendi*, inquit, *vocatur exsistentia seu esse, et solet definiri:* ACTUALITAS, QUA RES SISTITUR EXTRA NIHILUM ET CAUSAS; *seu:* ULTIMA ENTIS ACTUALITAS; *seu, ut nos initio physicae definivimus:* REI EXTRA CAUSAS ET NIHILUM SISTENTIA. [4]

Zigliara.

Itemque Zigliara: *Defectu propriae definitionis, quae de re simplicissima dari non potest, exsistentia describitur: Actus, quo res ponitur extra statum possibilitatis — Actualitas essentiae — Ultima rei actualitas — Id, quo res constituitur extra suas causas — Actualis rei praesentia in ordine physico, seu reali.* [5]

Liberatore.

Adstipulatur P. Liberatore: *Si non veri nominis*, scribit, *definitio, sed mera declaratio poscitur, exsistentia dici potest: Ultima rei actualitas in linea entis; seu: Id, quo res actu sistitur in seipsa, seu extra conceptum mentis et extra causas; vel: Actus entis, prout est in rerum natura.* [6]

alii.

Atque eodem fere pacto loquuntur hac in re Cornoldi, [7] Palmieri, [8] Limbourg, [9] alii iique recentissimi. [10]

Definitiones omnes ex D. Thoma derivatae.

19. Haec quidem, si spectentur formulae ipsae, fere ad verbum ex D. Thoma videntur desumpta. Legimus: « Alio modo dicitur esse, quod pertinet ad naturam rei..... et hoc quidem esse est in re, et est *actus entis* resultans ex principiis rei, sicut lucere est actus lucentis ». [11] Fere omnes autem allatas declarationes τοῦ

---

[1] Suarez, *Metaph. Disp. 31, Sect. 5, nn. 1, 2.*
[2] Suarez, *Metaph. Disp. 31, Sect. 4, n. 6.*
[3] Mastrius, *Metaph. pars prior. Disp. 8. q. 2, n. 71.*
[4] Goudin, *Philosophia, p. 4. q. 1. art. 3.*
[5] Zigliara, *Ontologia, lib. 2, c. 1. art. 6. I.*
[6] Liberatore, *Ontologia, c. 1. art. 2. n. 12.* (Edit. 1883).
[7] Cornoldi, *Civiltà Cattolica, 2. fasc. d' Aprile, 1884. Del Composto Ontologico ecc. c. 1. II.*
[8] Palmieri, *Ontologia, c. 1. II.*
[9] Limbourg, *De Distinctione essentiae ab exsistentia, Thesi I.*
[10] Cfr. Schiffini, Urráburu, De Maria, Remer.
[11] III. *Dist. 6. q. 2. art. 2. corp.*

esse S. Doctor complexus est, aiendo: « Dicendum quod hoc, quod dico *esse*, *est inter omnia perfectissimum*; quod ex hoc patet, quia actus est semper perfectior potentia: quaelibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc quod esse ponitur. Nam humanitas vel igneitas potest considerari *ut in potentia materiae exsistens*, vel *in virtute agentis*, aut etiam *in intellectu: sed per hoc quod est esse, efficitur actu exsistens.* Unde patet quod hoc, quod dico *esse*, *est actualitas omnium actuum*, et propter hoc est *perfectio omnium perfectionum.* Nec intelligendum est quod ei, quod dico *esse*, *aliquid addatur*, *quod sit eo formalius*, ipsum determinans, sicut actus potentiam. Esse enim quod huiusmodi est, est aliud secundum essentiam ab eo, cui additur determinandum. Nihil autem potest addi ad esse, quod sit extraneum ab ipso, cum ab eo nihil sit extraneum, nisi non ens, quod non potest esse nec forma, nec materia. Unde non sic determinatur esse per aliud, sicut potentia per actum, sed magis sicut *actus per potentiam.* Nam et in definitione formarum ponuntur propriae materiae loco differentiae, sicut cum dicitur, quod: *Anima est actus corporis physici, organici.* Et per hunc modum hoc esse ab illo esse distinguitur, inquantum est talis vel talis naturae. Et per hoc dicit Dionysius quod, licet viventia sint nobiliora quam exsistentia, tamen *esse est nobilius quam vivere*; viventia enim non tantum habent vitam, sed cum vita simul habent et esse ». [1]

In formulis definitionum conveniunt Doctores, sed differunt sensu.

20. Ex omnibus huc usque dictis apertissime intelligitur, inspectis formulis quibus rem exhibent, Doctores omnes in declaranda essentiae exsistentiaeque notione ad unguem fere inter sese convenire. At si quis diligentius paulo singularum loquutionum sensum introspiciat, pervidebit sane mentem eandem haud omnibus esse; quam, cum ab initio non declararint, subinde ubi res et tempus id exigere videntur, tum demum in medium proferant. Cavendum hoc nobis est, ne in incertum curramus. Id autem praestabimus optime, si modo propriam *Nihili*, itemque *Potentiae* et *Actus*, sive proximi sive ultimi, rationem in antecessum constituamus.

Quid ageadum?

CAPUT II.

DE NIHILI NOTIONE

Generatim.

21. Nihilum generali ratione dictum opponitur enti, sicut eius negatio, atque idem sonat ac: *Non-ens.* Quare tot modis dici potest, quot modis ens dicitur. Iam vero ens strictissimo modo dicitur: *Id, quod non solum esse potest, sed quod est, atque sic est, ut non possit non esse.* Nihilum autem enti hoc modo oppositum est negatio omnis prorsus entis, quaeque proinde non solum non

Ens strictissimo sensu.

Nihilum huic enti oppositum.

[1] QQ. DD. *De Potentia, q. 7. art. 2. ad 9.* — Cfr. *De Anima, art. 6. corp. et ad 2.um*

est seu non datur; sed, nulla aut qualibet facta hypothesi, nunquam dari potest. Hinc fit ut sicut ens, prima illa ratione intellectum, totam τοῦ *esse* plenitudinem praesefert, atque enti necessario unique Deo convenit, sic etiam nihilum ipsi oppositum totam τοῦ *esse* plenitudinem neget, ac contradictoriam oppositionem ad Deum, a quo excluditur, directe saltem, unice dicat.

Ens minus stricte.

22. Praeterea ens audit: *Id, quod tum potest esse, tum est, quamvis sic sit, ut possit etiam non esse.* Nihilum vero, quod enti sic intellecto opponitur, est negatio entis contingentis eiusdemque actu exsistentis, atque de omni quod contingentem exsistentiam excludit, seu pressius de exclusa contingenti exsistentia dici etiam cum veritate potest. Huiusmodi nihilum aut totale et adaequatum est, aut partiale et inadaequatum, prout nimirum aut totum ens contingens ab exsistentium expungit albo, aut hoc vel illud ens, aut pro hac aut illa temporis differentia.

Nihilum ei oppositum.

Adaequatum aut inadaequatum.

Ens latiori sensu.

23. Tandem ens dicitur: *Quod non est, potest tamen esse*, atque idem est ac *stricte possibile.* Cum autem in hoc conceptu habeatur tum entis negatio, tum entis affirmatio, eius oppositum cum debita proportione sumendum est. Si *possibile* usurpatur quatenus affirmans est, ac: *quod esse potest* meminit, ei opponitur *impossibile* seu: *quod esse non potest.* Quare possibile dicit *ens*, impossibile vero *non-ens*, seu *nihilum.* At si possibile accipiatur, quatenus actualitatis negationem includit, in hac hypothesi possibile seu ens in potentia erit: *Non-ens actu, seu nihilum in actu*, eique opponetur *ens actu*, tanquam affirmatio.

Nihilum eidem oppositum.

Ex D. Tohma tripliciter patet.

24. Huiusmodi vero nihilum, quod entis actualitatem negat, iuxta D. Thomam tripliciter patet. Aut enim: 1.° negat *actualitatem tum formae tum subiecti*, et dici solet *nihilum absolulum, nihilum sui et subiecti;* aut: 2.° negat *actualitatem formae, sed non subiecti*, seu negat actualitatem formae in subiecto, utique talis formae capaci eamque naturaliter exigente, et dici solet *Privatio*, seu *Nihilum privativum;* aut demum: 3.° negat *actualitatem subiecti praecisive a forma*, et tale *Nihilum* aut *Non-ens* dicitur *Materia prima*, quatenus ex se includit potentiam, et praescindit ab actu ipsumve negat. Quapropter in hoc sensu materia dicitur *Non ens*, quatenus est *Nihil formae* aut *actus specifici;* et eadem ratione *actus* seu *forma materialis* dici posset *Non ens*, quatenus intrinsece excludit seu negat a sui ratione materiam, sine qua, saltem connaturaliter, nequit exsistere. Verum huiusmodi loquendi modus recte a D. Thoma et ab aliis Doctoribus non admittitur; quia negatio materiei, cum sit negatio negationis, affirmationi aequivalet, et actum, perfectionem, atque adeo ens proprie significat. Itaque actui seu formae proxime opponunt materiam primam, tanquam eius negationem; remote vero *Nihilum essentiae*, aut *Nihilum exsistentiae*, prout actus praesefert *actualitatem essendi*, aut *actualitatem exsistendi.* Haec autem ultima oppositio, quatenus distinctionem aut formaliter effert, aut virtualiter infert inter creati entis exsistentiam essentiamque, ita ut actus essendi non sit actus exsistendi, et nihilum exsistentiae non sit per se nihilum essentiae,

Nihilum absolutum.

Privatio.

Materia prima.

Forma materialis.

Notandum apprime.

est oppositio realis vel rationis, prout realiter vel tantum ratione a creata essentia realis distinguitur exsistentia. Quare nisi alterutrum fuerit antea constitutum, neutrum in sensu determinato sine petitione principii potest usurpari.

25. Sed audiamus iam ipsum D. Thomam. « Aliquis, *inquit*, potest dubitare, cum generatio sit transmutatio de non-ente in ens, ex quo non-ente in ens fit generatio. Dicitur enim non-ens tripliciter. Uno modo, quod nullo modo est, et ex tali non-ente non fit generatio, quia ex nihilo nihil fit secundum naturam. Alio modo dicitur non-ens ipsa *privatio*, quae consideratur in aliquo subiecto: et ex tali non-ente fit quidem generatio, sed per accidens, in quantum scilicet generatio fit ex subiecto, cui accidit privatio. Tertio modo dicitur non-ens ipsa *materia* quae, quantum est de se, non est ens actu, sed ens potentia. Et ex tali non-ente fit generatio per se. Et hoc est quod dicit (*Philosophus*) quod, si aliquod non-ens est ens in potentia, ex tali, scilicet non-ente, fit generatio per se ». [1] D. Thomas.

26. His in antecessum praenotatis, quando exsistentia formaliter extra nihilum res fieri dicitur, *Nihilum* non intelligitur primo sensu, quatenus opponitur enti necessario et hypothesim undequaque impossibilem comminiscitur; sed secundo aut tertio sensu, quatenus vel est negatio actualitatis entis contingentis, vel est negatio actualitatis, quam potest habere *purum* aut *stricte possibile*, sive ea negatio sit negatio actualitatis *sui* et *subiecti*, sive sit tantum *sui*, sive demum praeseferat *materiam primam*, quae aut absolute aut connaturaliter sine forma esse non potest. At vero si exsistentia ab actuali essentia realiter distingueretur, quod inferius erit discutiendum, ex vi exsistentiae res formaliter et realiter non fieret nisi extra nihilum exsistentiae, quam non haberet ens contingens, et quam negat purum aut stricte possibile: ceterum extra *nihilum actualis essentiae*, quod significatur etiam in ente contingente non exsistente aut in puro seu stricte possibili, res non fieret neque formaliter neque realiter ex vi exsistentiae, sed solum ex vi actualis essentiae. Quod si, contra, actualis essentia et exsistentia in uno et eodem creato ente non distinguuntur realiter, quamvis formaliter distinguantur, res erit vel dici poterit *realiter* extra nihilum tum *essentiae actualis tum exsistentiae* ex vi sive actualis essentiae sive exsistentiae, quamvis *formaliter* dicenda sit esse extra nihilum essentiae actualis ex vi actualis essentiae aut etiam formae, extra nihilum vero exsistentiae ex vi ipsius exsistentiae.

Quid proprie: *Extra nihilum.*

Exsistentiae.

Actualis essentiae.

27. Quandoquidem quid sit, ex vi exsistentiae, rem extra nihilum fieri definitum est; non abs re erit paucis subnectere, quid sit fieri *extra causas;* idque eo libentius hoc loci praestamus, quod eiusmodi declaratio in pleniorem dictorum intelligentiam redun-

Quid sit: *fieri extra causas.*

[1] D. Thomas, *Metaphys. XII. Lect. 2. sub finem.*

dabit. Interim hac super re Capreolum [1], et Suaresium [2] consule.

Declaratur. Universim vero res fit extra causas, quando ens contingens, quod nihil actu est, vel est purum aut stricte possibile, a suis causis, in quibus continebatur, tandem producitur. Causae vero, in quibus ens contingens, quod nihil est actu, vel est purum aut stricte possibile, antequam actu fiat, continetur, illae sunt, quae ipsi rei

D. Thomas. factae quodammodo praeexsistunt. Hae autem sunt ex D. Thoma, loco nuper laudato [3], causa efficiens, materialis, pro rebus sane materialibus, et exemplaris; quibus si addamus causam finalem, omnes omnino causas recensuerimus. Omittimus formalem causam; quia ipsa proprie non praecedit, sed eius vel eductione aut concreatione, si de substantiis corporeis aut de accidentibus sermo sit, vel, si de substantiis spiritualibus, creatione, res aut fit aut primo creatur.

in causa materiali. 28. Iam age: 1.° intelligitur rem fieri extra causam materialem, in cuius potentia ratione formae continebatur, quando ex virtute agentis forma in ipsa producitur, et quidem dependenter ab ipsa, seu cum subiectivo eiusdem concursu; aut, quod idem est, quando ex virtute agentis materia fit id quod esse poterat, seu ad quod erat in potentia: sic ignis fit extra causam materialem v. g. lignum, ubi hoc ab alio igne vel ab alio agente proportionato igneam suscipit formam. — Intelligitur: 2.° rem fieri

in efficiente. extra causam efficientem, in cuius virtute continebatur, ubi agens actione sua producit effectum, ad quem producendum virtutem

in exemplari. habebat. — Intelligitur: 3.° rem fieri extra causam exemplarem, quoties exemplar aut idea quae est in mente artificis, in exemplato ad exitum adducendo ipsum direxit: ac pari ratione res fit

n finali. extra causam finalem, quum finis illexit movitque agentem ad effectum ob sui amorem producendum.

Conclusio. 29. Haec communia omnibus sunt, ac D. Thomae familiaria usque adeo, ut opus non sit eadem allatis auctoritatibus confirmare. Itaque in omni sententia ratum est extra has causas omnes ex vi exsistentiae rem fieri formaliter. Sed qui essentiam actualem ab exsistentia realiter distinguunt, tenentur omnino fateri ex vi essentiae actualis rem fieri formaliter extra causas quoad essentiam, et tantum quoad exsistentiam rem fieri formaliter extra causas per exsistentiam. Eadem enim nihili et causarum ratio est;

Definitur quaestio. siquidem quatenus extra nihilum res fit, eatenus actuatur, et consequenter fit extra causas, cum fieri extra causas idem sit ac

---

[1] Capreolus, *I. Dist. 8. q. 1. a. 1.*

[2] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 6. n. 21.*

[3] D. Thomas, *In 12. Metaph. Lect. 2. in fine.* Heic S. Doctor, postquam Anaxagoram confutavit, tandem subdit: « Haec autem ratio procedit contra Anaxagoram, inquantum ponebat intellectum indigere materia ad faciendum res. Si autem ponat primum rerum principium (*causam efficientem*) intellectum, qui ipsam materiam (*causam materialem*) producat omnem, principium diversitatis rerum erit ex ordine apprehenso ab primo intellectu praedicto (*causa exemplaris*), qui secundum quod res diversas producere intendit, instituit materias diversas aptas diversitati rerum ».

actuari. Itaque quaestio de distinctione inter essentiam et exsistentiam in hanc aliam potest resolvi: Utrum nimirum in quacumque productione duplicem partialem distinctumque influxum, ad distinctum realiter terminum ordinatum, singulae suo modo exserant causae; an vero unum influxum, unumque realem terminum respicientem. Quod si cum Capreolo et Suaresio, locis nuper laudatis, quis dixerit exsistentiam solum significare statum rei, quatenus actualitatem *exercite* habet in rerum natura, quaestio superest cum patronis distinctionis realis: Utrum ad hunc statum res adducatur eo ipso, quod essentia producitur; an vero, praeter productionem essentiae, opus etiam sit producere actum aliquem, qui exsistentia dicitur, quique statum illum in producta essentia, dixerim, consummat aut absolvit.

CAPUT III.

DE POTENTIA ET ACTU

§ I.

Potentiae et Actus notio et divisio.

30. Iam aliquid de potentia et actu innuendum est. Qua in re id primum ex D. Thoma monemus, simpliciter loquendo, actum potentia priorem esse. « Licet enim, *ait S. Doctor*, in uno et eodem, quod exit de potentia in actum prius sit tempore potentia quam actus; simpliciter tamen actus prior est potentia, quia quod est in potentia non reducitur in actum, nisi per ens actu ». [1] Hinc, absolute loquendo, actus intelligi potest absque ulla potentia; haec autem, cum actum necessario supponat, ad ipsumque essentialem dicat habitudinem, nonnisi per ordinem ad actum intelligi proprie ac definiri potest. Quare utriusque notionem simul conabimur evolvere.

Ex D. Thoma, simpliciter actus prior potentia.

Actus absolute intelligibilis; potentia per ordinem ad actum.

31. Uti ab eo, quod aliquid potest agere vel pati, dicta est *Potentia;* ita ab eo, quod aliquid agit, dictus est *Actus.* Quandoquidem autem cognitio nostra a sensibilibus ducit originem atque, ut tota est, *a posteriori* est, ex motuum et externarum operationum serie prima *actus* notione desumpta, subinde eadem denominatio ad ipsam formam significandam fuit corrivata; quemadmodum nomen potentiae extensum fuit ad id omne, quod non solum potest agere et pati, sed quod etiam potest esse. Quare generalissima acceptione, uti actus praesefert entelechiam, perfectionem, esse; sic potentia suo modo innuit capacitatem et aptitudinem eiusmodi entelechiae et perfectionis essendi, atque porro esse cum aliquo non esse. Ad rem Aquinas noster: « Nomen actus, *ait*, quod

Unde dicta potentia unde actus.

Quid generatim actus.

Quid potentia.

D. Thomas.

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 3. art. 1. corp.* — Cfr. *In IX. Metaph. Lect.* 7.

ponitur ad significandam entelechiam et perfectionem, scilicet formam et alia huiusmodi, sicut sunt quaecumque operationes, venit maxime ex motibus, quantum ad originem vocabuli. Cum enim nomina sint signa intelligibilium conceptuum, illis primo imponimus nomina, quae primo intelligimus, licet sint posteriora secundum ordinem naturae. Inter alios autem actus maxime est nobis notus et apparens motus, qui sensibiliter a nobis videtur. Et ideo ei primo impositum fuit nomen *actus*, et a motu ad alia derivatum est ».[1]

Quid re actus. Philosophus. D. Thomas.

32. Quod si rem ipsam inquirimus: « Est autem actus, *ait Philosophus*, exsistere rem, non ita, sicut dicimus in potentia, ut in ligno Mercurium ».[2] In quae verba S. Doctor: « Ostendit, *inquit*, primo quid est actus, dicens quod: Actus est, quando res est, nec tamen ita est, sicut quando est in potentia. Dicimus enim in ligno esse imaginem Mercurii potentia, et non actu, antequam lignum sculpatur; sed, si sculptum fuit, tunc dicitur esse in actu imago Mercurii in ligno ».[3] Utique istaec proprii nominis definitio non est; sed nec etiam est cur proprii nominis in re simplicissima, qualis actus est, definitio quaeratur, quemadmodum ipse monet Philosophus, et D. Thomas concinne declarat. « Posset, *inquit*, aliquis quaerere ab eo (*Philosopho*), ut ostenderet: *Quid sit actus?* per definitionem. Sed ipse respondet dicens, quod inducendo in singularibus per exempla manifestari potest illud, quod volumus dicere, scilicet quid est actus: *et non oportet cuiuslibet rei quaerere terminum*, id est, definitionem. Nam prima simplicia definiri non possunt, cum non sit in definitionibus abire in infinitum. Actus autem est de primis simplicibus: unde definiri non potest. Sed per proportionem aliquorum duorum ad invicem potest videri quid est actus. Ut si accipiamus proportionem aedificantis ad aedificabile, et vigilantis ad dormientem, et eius qui videt ad eum, qui habet oculos clausos, cum habeat potentiam visivam,..... sed quorumlibet sic differentium altera pars erit actus, et altera potentia. Et ita proportionaliter ex particularibus exemplis possumus venire ad cognoscendum, quid sit actus et potentia ».[4]

Notio actus et potentiae.

33. Itaque actus est: *Ens, quod est id, quod esse potest;* potentia vero: *Ens, quod non est id, quod esse potest.* Hinc actus dicit per se ens aliquod determinatum, perfectum, imo etiam perficiens; potentia autem audit ens indeterminatum, imperfectum, perfectibile, ens quod sit aliquo modo non ens. Quapropter eo usque actus et potentiae ratio protenditur, quousque intelligitur dari ens quod, secundum sui rationem, praesefert aliquid aut determinatum et perficiens, aut indeterminatum et perfectibile. Iam vero hoc habere locum potest in ordine sive physico et realitatis, sive metaphysico et intelligibilitatis seu rationis obiectivae, sive logico aut secundarum intentionum. In triplici igitur hoc ordine

In ordine physico, metaphysico, logico.

---

[1] D. Thomas, *In IX. Metaph. Lect. 3.* — Cfr. *Lect. 5.*
[2] Aristoteles, *Metaphysicorum, lib. 9. text. 11. part. 2.*
[3] D. Thomas, *In laud. loc. Arist. Lect. 5.*
[4] Idem, *Ibidem, paulo post.*

ratio potentiae et actus potest inveniri; nec licet sine sophismate ab uno ad alium ordinem transire; nec quae propria sunt, non actus et potentiae *ut sic*, sed ordinis in quo considerantur, ceu ad potentiam aut actum *ut sic* pertinentia, possunt cuilibet potentiae aut actui indiscriminatim tribui.[1]

Qui actus physicus; quae physica potentia.

34. Intelligimus autem potentiam et actum in ordine physico locum habere, quotiescumque datur ens reale, quod secundum se imperfectum est et ab alio a se distincto perfectibile; atque item reale ens in se aut sui ratione perfectum, aut etiam ad aliud a se realiter distinctum perficiendum ex sui natura aliquo modo ordinatum. Hac ratione, uti omnes fatentur, materia prima, praesertim dispositionibus ditata, potentia est; forma autem, aut etiam tota natura actus. — In ordine vero metaphysico seu intelligibilitatis eas rationes obiectivas dicimus habere potentiae vim aut actus quae, quamvis realiter identicae sint, spectatis tamen earum formali conceptu et definitione, sic differunt inter se, ut altera sit indeterminata et perfectibilis, altera determinata et perficiens. Sub hoc respectu nomen potentiae et actus tribuitur v. g. gradibus metaphysicis substantiae, viventis, sensibilis, rationalis; et saepe D. Thomas ait genus habere rationem potentiae, differentiam vero actus. En, ut unum locum proferamus, quomodo loquitur in Summa Theologica: « Species constituitur ex genere et differentia. Semper autem id, a quo sumitur differentia constituens speciem, se habet ad illud, unde sumitur genus, sicut actus ad potentiam. Animal enim sumitur a natura sensitiva per modum concretionis, hoc enim dicitur animal quod naturam sensitivam habet; rationale vero sumitur a natura intellectiva, quia rationale est quod naturam intellectivam habet. Intellectivum autem comparatur ad sensitivum, sicut actus ad potentiam; et similiter manifestum est in aliis ».[2] — Tandem in ordine logico ii conceptus, qui indeterminatiores sunt, habent locum potentiae; alii vero, qui magis determinati ac determinantes sunt, rationem actus. Sic in iudicio subiectum se habet uti potentia, praedicatum uti actus, ac copula rursum uti actus utriusque. Unde D. Thomas ubi quaerit: *Utrum veritas sit tantum in intellectu componente et dividente*, in corpore habet: « Quando (*intellectus*) iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum: et hoc facit componendo et dividendo. Nam in omni propositione aliquam *formam* significatam per praedicatum vel applicat alicui rei significatae per *subiectum*, vel removet ab ea ».[3] Forma autem et subiectum apud Angelicum actui et potentiae, uti lippis et tonsoribus notum est, omnino aequivalent.

Qui actus metaphysicus; quae potentia metaphysica.

D. Thomas.

Qui logicus actus; quae logica potentia.

35. Quae huc usque diximus (quod sane expresse monent Philosophus et D. Thomas locis modo laudatis) satis innuunt poten-

Potentia et actus proprie et improprie usurpantur.

---

[1] Cfr. D. Thomam, *In V. Metaph. Lect. 14.—in IX. Metaph. LL. 1.2.3.4.5.*
[2] D. Thomas, *Sum. Theol. 1. p. q. 3. a. 5. corp.*
[3] *Idem. Ibidem q. 16. a. 2. corp.*

tiam et actum non solum proprie et stricte usurpari; sed etiam late et improprie seu metaphorice. Proprie nimirum accipiuntur, quoties significant ens in ordine physico perfectum, aut saltem ordinatum ad aliud perficiendum, vel ens perfectibile aut ex se ordinatum ut ab alio perficiatur: improprie vero ubicumque ratio perfecti aut perficientis et perfectibilis potest aliquo modo considerari. Quare Philosophus: « Secundum metaphoram autem, *ait*, quae in Geometria dicitur potentia ».[1] In quae verba Aquinas noster: « Ostendit, *inquit*, quomodo potentia sumatur metaphorice, et dicit quod in Geometria dicitur potentia secundum metaphoram. Potentia enim lineae in Geometria dicitur quadratum lineae per hanc similitudinem, quia sicut ex eo quod est in potentia fit illud quod est in actu; ita ex ductu alicuius lineae in seipsam resultat quadratum ipsius ».[2] Quam doctrinam saepe tradit Angelicus.[3] Ex quibus apertissime patet potentiam et actum non semper sumi presse et proprie, sed sumi etiam aliquando improprie et metaphorice: quae an et quatenus essentiam et esse respiciant, opportuniori loco discutietur.

Philosophus.

D. Thomas.

Descensus actus ad rationes subiectas.

36. Potentiae et actus notione universim declarata, liceat iam in rationibus universali illi notioni utcumque subiectis eandem plenius vestigare, atque potentiae et actus divisionem aliquam exinde nancisci. Enimvero ens, de quo quaeri potest: *Num ipsi potentiae actusve ratio conveniat*, si sic est ens, ut nullo modo sit non ens, ipsi nullo etiam modo competit potentiae ratio; sed actus est omnino purus, a quo omnis alia ex consequenti pendebit actualitas. Quare huiusmodi actus necessarius est pro quolibet ordine rationes obiectivas praeseferente; nec alius esse potest nisi unicus, secus omni potentialitate et non-ente secundum obiectivas rationes carere non posset. Ex quo illud etiam datur intelligi, potentiam ipsam activam, quae tali enti aut actui a nobis aliquando tribuitur, non esse in ordine physico aut metaphysico proprie dictam potentiam, sed actum perfectissimum et ultimum qui, quatenus in termino extrinseco mutationem potest inducere, a nobis ut potentia consideratur, uti in supernaturali et naturali Theologia docetur.[4]

Actus absolute non purus, relative purus.

37. Praeterea de quo dici potentia actusve potest, si in sua substantia sic ens est, ut aliquo etiam modo non-ens sit; quatenus quidem ens est, actus dicitur, quatenus vero non-ens, latissimo sensu dici potest potentia. Presse tamen huiusmodi ens, *absolute quidem*, *actus non-purus* dicitur, quamvis nihil impediat quominus *actus purus relative* dicatur: sic Angeli, qui simpliciter et absolute non sunt puri actus aut spiritus, relate ad animam humanam quae corporis forma est corpusque informare, saltem primo et per

---

[1] Aristoteles, *V. Metaph. Text. com. 17. part. 13.*
[2] D. Thomas, *in hunc loc. Lect. 14.*
[3] D. Thomas, *De Ente et Essentia, c. 5.*
[4] Cfr. D. Thomam, *De Ente et Essentia, c. 5.* et sursum *c. 6.* — *QQ. DD. De potentia q. 1. a. 1. etc.*

se, exigit, puri actus aut spiritus dicuntur. Hoc idem saepe docet S. Doctor. De Angelis enim aut de substantiis simplicibus, quas etiam intelligentias vocat, scribit quidem : « Non omnes creaturae in uno gradu bonitatis constituuntur. Nam quarundam substantia *forma* et *actus* est, scilicet cui secundum id quod est, competit esse *actu* et bonum esse »;[1] sed simul monet, quod: « Huiusmodi substantiae, quamvis sint formae sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt *actus puri*, sed habent permixtionem potentiae ».[2] Atque eodem recidunt quae superius attulimus ex crisi articuli quadragesimi septimi Petri de Tarantasio ad Fr. Ioannem Vercellensem, quem locum consule. D. Thomas.

38. Praeter huiusmodi actum absolute non purum, qui tamen purus relative dici potest, certum est adhuc dari in rerum natura actum substantialem, non solum absolute sed etiam relative, atque adeo *simpliciter non purum*, vel quia corpus aut materia est, vel quia ad corpus essentialiter ordinatur et consequenter in essentia aut essentiali ratione non ens potentiamque aliquo semper includit pacto. « Quarundam (*creaturarum*) substantia, *prosequitur Angelicus*, ex materia et forma composita est, cui competit *actu* esse et bonum esse, sed secundum aliquid sui, scilicet secundum formam ».[3] Quae subinde plenius explicans subiungit: « Inter partes huius substantiae ex materia et forma compositae, bonitatis (*atque porro actualitatis*) ordo invenitur. Cum enim materia sit ens in potentia secundum se considerata, forma vero sit actus eius, substantia vero composita sit *actu* exsistens per formam; forma quidem erit secundum se bona (*et actus*), substantia vero composita prout actu habet formam, materia vero secundum quod est in potentia ad formam ».[4] Actus simpliciter non purus.

39. Actus autem sive absolute, sive etiam simpliciter non purus ab aliquibus distinguitur *in actum essendi* et *actum exsistendi*. Actus essendi est ipsa praedicatorum actualitas quibus constat rei essentia; actus vero exsistendi est actualitas exsistentiae seu ipsa realis exsistentia. Eiusmodi divisio, si isto intelligatur pacto, ut actus hi bini non necessario exhibeant entia aut actus physice distinctos, sed vel physice, vel metaphysice, vel logice, prout subinde probabitur, hoc loci potest admitti. Quod si in sensu determinato de actibus physice distinctis acciperetur, esset petitio principii, et eandem illam supponeret iam definitam quaestionem, ad quam definiendam haec omnia praemonentur. Istaec distinctio in D. Thoma *formaliter explicite* non habet fundamentum: an et quatenus habeat *formaliter implicite* aut *aequivalenter*, partim ex dictis partim ex dicendis plenissime dabitur intelligi. Actus essendi et exsistendi. An et quatenus admittenda distinctio.

40. Actus vero essendi aut essentiae in *actum suppositi* in *actumque materiae* potest dispesci. Actus suppositi, uti ex Aqui- Actus suppositi e actus materiae.

---

[1] D. Thomas, *Contra Gent. lib. 3. c. 20.*
[2] *Idem, De Ente et Essentia, c. 5.*
[3] *Idem, Contra Gent. lib. 3. c. 20.*
[4] *Idem, Ibidem.*

nate in superioribus docuimus, est ipsa tota simplex vel composita natura aut essentia, quasi forma in supposito aut subiecto recepta, ipsumque actuans. Actus vero materiae est forma, quae ipsam actuat et, si substantialis sit, in specie constituit ipsique esse et operari specificum confert. Actus autem materiae esse potest vel *tantum informans*, cetera in se subsistens et ab ipsa materia independens; vel contra *informans simul et a materia dependens*. Prior est, qui fit quidem et est in materia, sed sine concursu subiectivo ipsius materiae: alter vero qui non solum fit et est in materia, sed etiam fit et est dependenter ab ipsa, atque adeo sine ipsa, saltem connaturaliter, esse nequit. Actus tandem dependens a materia, aut a causa materiali sive subiectivâ, aut *substantialis esse potest ac primus*, aut *accidentalis et secundus*. Ille est qui ordinatur ad potentiam primam primumque simpliciter subiectum et porro materiae tribuit primum esse, seu esse simpliciter aut substantiale: hic vero, qui ordinatur ad potentiam secundam, ipsique esse secundum, seu non esse simpliciter, sed esse secundum quid solum elargitur.

Actus informans, sed independens, et actus informans et dependens a materia.

Actus substantialis aut primus, et accidentalis aut secundus.

41. Aliquid iam nunc de varia, imo generatim etiam diversa, potentiae ratione. Primum omnium animadvertendum est, quamvis per actus entisve negationem aliquam, potentiam universim concipiamus, omnimodam entis actusve negationem non constituere potentiam, sed exhibere nihilum prorsus absolutum, tum obiective tum subiective simpliciter repugnans. Potentia enim includit plane non-ens, ed in ente aliquo, et ad actum seu ens aliquod in aliquo ordine active aut passive, exigitive, principiative aut terminative causandum necessario ordinatur. Itaque ente omni ex parte ablato, aufertur potentia omnis. Hinc potest intelligi, quare dari possit, imo necessario detur actus purus, repugnet autem dari puram potentiam. Actus enim purus est purum ens quod, uti a posteriori constat, sine contradictione non potest non dari: pura autem potentia esset purum non-ens, quod simpliciter repugnat ut detur.

Descensus potentiae ad partes subiectas.

Potentia omnino pura repugnans.

42. Non-ens ergo quod potentia innuit, non respicit ens undequaque tale, sed ens aliquod, seu ens contingens. Iam si huiusmodi non-ens neget actualitatem vel in ente contingenti universim, vel in aliquo ente contingenti, utriusque tamen vel alterutrius retenta capacitate aut aptitudine ad illam habendam, huiusmodi capacitas aut aptitudo dici solet *potentia obiectiva* aut *logica*, quatenus tale ens potest esse obiectum saltem divinae potentiae ab eaque potest in actum reduci, et ab intellectu cogitante, sive divino sive quandoque etiam humano esse logicum aut ideale potest habere. De huiusmodi potentia Philosophus scribit; « Est autem possibile hoc, cui si exstiterit actus, cuius dicitur habere potentiam, nihil erit impossibile ».[1] In quae verba Angelicus: « Ostendit quid sit esse in potentia, et quid esse in actu. Et primo quid

Potentia obiectiva aut logica.

Philosophus.

D. Thomas.

[1] Aristoteles, *IX. Metaph. text.* 7. *p.* 7.

sit esse in potentia, dicens, quod id dicitur esse in potentia, quod si ponatur esse actu, nihil impossibile sequitur. Ut si dicatur: aliquem possibile est sedere, si ponatur ipsum sedere, non accidit aliquod impossibile. Et similiter de moveri et movere, et de aliis huiusmodi ». [1]

Propria potentia realis.

43. At vero si non-ens quod potentia innuit, sic aptitudinem capacitatemque in determinato ente significat, ut meminerit etiam agendi principium, unde talis aptitudo aut capacitas complementum perfectionemque recipiat, tunc propriissime potentia dicitur; et, si sit in ordine reali, realis potentia. Unde Philosophus: « Quaecumque, *ait*, ad eandem speciem (*potentiae*), omnes principia quaedam sunt, et ad primum unum dicuntur, quod est principium transmutationis in alio, inquantum aliud est. Nam quaedam patiendi potentia est, quae in ipso patiente principium mutationis passivae ab alio, inquantum aliud est. » [2] Et D. Thomas in hunc locum: « Considerandum, *inquit*, est de potentiis, quae reducuntur ad unam speciem, quia quaelibet earum est principium quoddam, et omnes potentiae sic dictae reducuntur ad aliquod principium, ex quo omnes aliae dicuntur. Et hoc est principium activum quod est: *Principium transmutationis in alio, inquantum est aliud.* Et hoc dicit, quia possibile est quod principium activum simul sit in ipso mobili vel passo, sicut cum aliquid movet se ipsum: non tamen secundum idem est movens et motum, agens et patiens. Et ideo dicitur quod principium, quod dicitur potentia activa, est principium transmutationis in alio, inquantum est aliud; quia etsi contingat principium activum esse in eodem cum passo, non tamen secundum quod est idem, sed secundum quod est aliud. Et quod ad illud principium, quod dicitur potentia activa, reducantur aliae potentiae manifestum est. Nam alio modo... » [3]

Philosophus.

D. Thomas.

Principium de ratione potentiae proprie dictae.

44. Iis omissis, quae improprie dicuntur potentiae, de ratione potentiae proprie dictae est, ut sit ratione aliqua *principium*, seu: *Id, unde aliud utcumque procedit.* Ad haec, cum omnis alia potentia ad potentiam activam dicat habitudinem ad ipsamque in caput necessario redeat; potentia autem activa, uti ubique docet S. Doctor, in ipsa essendi actualitate fundetur eique sit penitus proportionata [4]; fit repugnare prorsus ut detur in non-ente absoluto potentia quaelibet, uti modo inferebamus. Ex hoc eodem loco habemus, quod potentia proprie dicta alia activa est, alia passiva, et quod ad harum alterutram potentiae proprie dictae omnes reducuntur; ac demum quod illa, cui tanquam famosiori, uti aiunt, analogato potentiae aliae omnes dicunt ordinem, sit potentia activa. Et haec quidem omnia, ex mente Philosophi, clarissime et plenissime a S. Doctore enucleantur. Unum illud notatum volumus, quod Aristoteles, utpote creationis ignarus, potentiam acti-

Potentia proprie dicta alia activa, alia passiva.

---

[1] D. Thomas, *In hunc locum.*
[2] Aristoteles, *IX. Metapth. text. 1. p. 2.*
[3] D. Thomas, *In laudatum Philosophi locum.*
[4] D. Thomas, *Sum. Theol. 1. p. q. 25. art. 1 et 2 ac saepe alibi.*

D. Thomas Philosophi doctrinam complet.

vam et passivam per principium transmutationis in alio et ab alio definit; ac D. Thomas eundem conceptum, exponendo, retinet. At vero ubi de suo loquitur, paulo aliter, seu paulo clarius mentem suam significat. Sic v. g. in Summa Theologica ait: « Unumquodque secundum quod est actu et perfectum, secundum hoc est principium activum alicuius: patitur autem unumquodque secundum quod est deficiens et imperfectum... Ratio autem principii activi convenit potentiae activae; nam potentia activa est: *Principium agendi in aliud;* potentia vero passiva est: *Principium patiendi ab alio* ».[1] Heic Angelicus actionis et passionis, non mutationis mentionem ingerit, ut nimirum in potentia activa potentiam etiam creandi complectatur, quae mutationem proprie dictam nullo modo infert. Quod si transmutatio, quam meminit Philosophus, intelligeretur non solum de mutatione proprie dicta, significante transitum unius et eiusdem subiecti ab uno in alium statum; sed etiam de mutatione improprie dicta, praeseferente transitum rei a non esse simpliciter ad esse simpliciter et secus[2]; tunc conceptus transmutationis in definitione potentiae activae poterit retineri, convenienti tamen addita terminorum declaratione.

Potentia passiva pura aut prima, non pura aut secunda.

45. Omissa potentia activa, cuius divisiones variae vel ex ipsa diversorum actuum, in quibus fundatur, notione colligi possunt, vel non faciunt ad rem nostram, potentia passiva alia dicitur *pura*, ac melius diceretur *prima;* alia *non-pura*, quae rursum pressius diceretur *secunda.* Illa *pura* dicitur non sensu nuper reiecto, quasi vero in ordine in quo consideratur nullum actum entitativum includat ac sit simpliciter *non-ens*; sed quod nullum, qua talis, sibi vindicat actum formalem, a quo in determinata specie constituatur. Quare, uti monuimus, huiusmodi potentia melius dicitur *prima*, quatenus natura sua est ens a primo actu formali perfectibile. Sed de hoc alibi plenius. Alia vero potentia dicitur non *pura* vel *secunda*, quatenus est ens iam actu formali aut primo perfectum, et tantum actu alio formali aut secundo perfectibile.

Potentia substantialis et accidentalis.

Potentia illa eadem passiva dicitur etiam potentia *substantialis* aut *accidentalis*, non quatenus ens, quod est in potentia, sit substantia vel accidens, sed quatenus est ordinatum ad actum formalem substantialem aut accidentalem, et ab eodem actu est perfectibile. Quare cum potentia substantialis nonnisi ad actum primum possit locum habere (omnis enim actus secundus est accidentalis, saltem in vera D. Thomae doctrina) fit, ut potentia substantialis et accidentalis una sit eademque cum potentia prima et secunda. Tandem potentia passiva aut *connaturalis* esse potest, aut *obedientialis*, prout ordinatur vel ad actum, quem ex ipsa connaturale agens potest educere, et ad quem ex consequenti ipsa habet connaturalem aptitudinem; vel contra ad actum talem, in

Connaturalis et obedientialis.

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 25. art. 1. corp.* — Confr. *q. 45. a. 2. ad 2.um, q. 46. a. 1. ad 1.um — QQ. DD. De Potentia, q. 1. a. 1. etc.*

[2] Cfr. Piccirelli, *Disp. Metaph. De Deo, Disp. 3. q. 1. Sect. 1. n. 4. seqq.*

quem a solo creatore potest reduci, cui proinde, dum in actum reducitur, dicitur obedire.

Admittenda potentia obedientiae.

46. Placet autem hoc loci plenius aliquid de obedientiae potentia in medium afferre. Ac principio quidem admittendam esse obedientiae potentiam apertissima et constans catholicorum Doctorum, imprimisque D. Thomae habet disciplina. « Dicendum, *ait Aquinas*, quod duplex capacitas attendi potest in humana natura. Una quidem secundum ordinem potentiae naturalis, quae a Deo semper impletur, qui dat unicuique rei secundum suam capacitatem naturalem; *alia vero secundum ordinem divinae potentiae, cui omnis creatura obedit ad nutum* ».[1] Atque iterum: « Est autem considerandum, quod in anima humana, sicut in qualibet creatura consideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale; et haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura »[2] Atque eodem pacto frequentissime loquitur.[3] Docet hanc obedientiae potentiam non solum amplissimam esse, sed esse prorsus inexplebilem, atque adeo syncategorematice infinitam. « Dicendum, *ait*, quod capacitas creaturae dicitur secundum potentiam receptibilitatis, quae est in ipsa. Est autem duplex potentia creaturae ad recipiendum. Una naturalis, quae potest tota impleri, quia haec non se extendit nisi ad perfectiones naturales. Alia est potentia obdientiae, secundum quod potest recipere aliquid a Deo, et talis capacitas non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi a Deo »[4] Huiusmodi autem prae oculis habita potentia, infert *non esse contra naturam*, sed *esse naturam* quidquid Deus in creatura faciat. « Dicendum, *inquit*, quod verbum Augustini in glossa illa (*Deus, cum sit auctor naturae, non potest facere contra naturam*) non est intelligendum quod Deus non possit facere aliter, quam natura faciat, cum ipse frequenter faciat contra consuetum cursum naturae; sed quia quidquid in rebus facit, non est contra naturam, sed est eis natura, eo quod ipse est conditor et ordinator naturae..... Et propter hoc in eis distinguitur potentia duplex; una naturalis ad proprias operationes et motus; alia, quae obedientiae dicitur, ad ea quae a Deo recipiunt ».[5]

D. Thomas.

Potentia obedientiae syncategorematice infinita.

D. Thomas.

Deus stricte nunquam agit contra naturam.

D. Thomas.

Admittenda potentia obedientialis activa.

47. Quamvis autem quae huc usque attulimus, fere potentiam passivam videantur referre, unde factum est ut non pauci nonnisi potentiam obedientialem passivam ex mente D. Thomae esse con-

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 1. a. 3. ad 3.um*
[2] » « » » *3. p. q. 11. a. 1. corp.*
[3] Cfr. I. Dist. 42. q. 2. a. 2. ad 4.um — II. Dist. 18. q. 1. a. 2. corp. — III. Dist. 1. q. 1. a. 3. ad 4.um et Dist. 2. q. 1. a. 1. corp. — QQ. DD. *De Veritate* q. 8. a. 4. ad 13. et a. 13. ad 4.um, et q. 12. a. 3. ad 18.um etc.
[4] D. Thomas, QQ. DD. *De veritate*, q. 29, a. 3. ad 3.um
[5] » » » » *De Potentia*, q. 1. a. 3. ad. 1.um

tendant; tamen omnino dicendum est traditam fuisse a S. Doctore etiam potentiam obedientialem activam : id quod et aliqua, sin minus omnia, loca allata innuunt, et apertissime alibi docetur. « Dicendum, *inquit*, quod nulla creatura potest agere ea, quae sunt supra naturam, quasi principale agens; potest tamen agere quasi agens instrumentale a virtute increata motum ; *quia sicut creaturae inest obedientiae potentia, ut in ea fiat quidquid creator disposuerit, ita etiam ut, ea mediante, fiat, quod est ratio instrumenti* » [1]. Heic apertissime utramque potentiam obedientialem, passivam nimirum et activam, in qualibet creatura S. Doctor agnoscit.

D. Thomas.

Quid potentia obedientiae ex Suaresio.

48. Atque ex iis, quae modo retulimus, liceret haud aegre definire quae quidditatem rationemve potentiae obedientialis tum activae tum passivae tandem respiciunt. Juverit id praestare Suaresii verbis, qui concinne utramque potentiam declarat. Ait ergo ubi potentiae activae obedientialis rationem vestigat : « Est in creatura potentia, ut cooperetur Deo, tanquam instrumentum eius, ad effectus vel actiones superantes totum naturae ordinem, ut verior sententia Theologorum docet. Illa ergo potentia non potest non esse *realis*, cum per illam influat res in effectum realem, nec potest non esse *activa*, cum sit principium agendi saltem instrumentaliter; comparataque ad effectum vel actionem non potest dici *naturalis*, cum talis actio omnino sit supra naturam talis instrumenti. In se tamen et in entitate sua non est ex se entitas supernaturalis; sed talis est, qualis fuerit entitas ipsius creaturae, quia in re est omnino idem cum illa, et illi non confert propriam aliquam specificationem. Unde etiam est necessario congenita cum entitate, cuius est potentia, secundum quam habitudinem *naturalis* dici potest. Simpliciter tamen et secundum habitudinem ad effectum, et considerato modo agendi optime appellatur potentia obedientialis activa, non negative tantum sed positive ; quia revera positive exsequitur imperium vel motionem superioris agentis, cui active cooperatur et aliter operari non potest » [2].

Activa.

Passiva.

49. De potentia vero obedientiali passiva, postquam de potentia passiva transcendentaliter loquutus est, sequentia habet Eximius Doctor. « Atque hinc facile intelligitur quid dicendum sit de potentia, quam res creatae habent ad recipiendos aliquos actus divinae et supernaturalis virtutis, quos per naturales causas recipere non possunt, ut est capacitas animae ad gratiam, et intellectus ad lumen gloriae. Non est enim dubium, quin talis potentia positiva et realis sit, et in ipsius rei entitate fundata. Non enim dici potest quod sit sola non repugnantia: nam licet haec simul intercedat ; tamen sola non satis est ad realem causalitatem materialem, quam huiusmodi res habent circa actum, quem in se recipiunt; nam est verum ac reale subiectum eius, a quo talis actus accidentalis in esse et fieri pendet. Est igitur in tali subiecto

[1] D. Thomas, *IV. Dist. 8. q. 2. a. 3. ad 4.um*

[2] Suarez, *Metaph. Disp. 43. Sect. 4 n. 6.* — Cfr. *In 3. p. D. Thomae, tom. 1. Disp. 21. Sect. 5. et 6.*

realis capacitas passiva ad talem actum. De hac ergo capacitate disputant Theologi: An naturalis dicenda sit. Et Scotus [1] et discipuli eius illam naturalem appellant. Caietanus [2] vero et alii Thomistae vocant obedientialem, et melius loquuntur, licet possit esse dissensio in solo modo loquendi. Certum est enim hanc potentiam non esse aliquam rem superadditam naturis rerum, aut ab eis in reipsa distinctam; nam oporteret illam supponere aliam capacitatem, de qua eadem rediret quaestio. Unde secundum hunc respectum potest dici talis potentia naturalis subiecto, quia et est cum illo naturaliter congenita, et est ipsamet entitas naturalis eius. Quomodo dixit Augustinus: *Posse habere fidem et charitatem naturae est fidelium* [3]; et D. Thomas eodem sensu ait rationalem animam naturaliter esse capacem gratiae [4], et habilitatem animae ad gratiam consequi naturam eius [5]. At vero comparatione ad actum et ad agens, a quibus potentia simpliciter denominatur, non potest haec potentia dici naturalis, ut recte dicit D. Thomas [6]; tum quia ille actus est simpliciter et in se supernaturalis; tum etiam quia non potest a naturali agente reduci ad actum; tum praeterea quia neque talis actus est ex natura rei debitus tali potentiae, neque ipsa habet naturalem inclinationem ad illum iuxta veriorem Theologorum sententiam. Et ideo vocari solet haec potentia *obedientialis*, seu potentia obedientiae, ut alibi late tractavi [7] » [8].

§ II.

Asserta aliquot de potentia et actu.

50. Si iam nunc potentiam et actum, seu ens in potentia et ens in actu conferamus, videbimus sane: I. *Actum et potentiam, si secundum praecisas et formales rationes inspiciantur, sic inter se opponi, ut actui, qua tali, repugnet ratio potentiae; et vicissim potentiae, qua tali, repugnet ratio actus.* Docet hoc infinities S. Doctor Aquinas, quoties nimirum aut tradit, aut ceu principium ratum usurpat potentiam et actum dividere ens et omne genus entis. Si potentia et actus ens dividunt, membra opposita sunt interque sese repugnantia. Hoc autem saltem formaliter, seu praecise qua

ASSERTIO I.

Ratio actus et ratio potentiae opposita contradictorie.

D. Thomas.

---

[1] Scotus, *In II. Dist. 2. q. 6.*
[2] Caietanus, *1. p. q. 1. a. 1. et q. 12. a. 1.*
[3] S. Augustinus, *De praedestinatione sanctorum, c. 5.*
[4] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. 2. q. 113. a. 1.*
[5] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 48. a. 4.*
[6] D. Thomas, *I. Dist. 14. q. 9. a. 2.*
[7] Suarez, *In 3.am p.em tom. 1. Disp. 31. Sect. 6.* — Et praeterea videri potest D. Thomas, *q. 29. de Veritate a. 3. ad 3.um, et quaestione unica de Virtutibus. a. 10. ad 13, et q. 1. de Poten. a. 3 ad 1.um*, et Capreolus, *in I Dist. 42. q. 1. a. 3. ad 5.um contra 4.am conclus.*, et Ferrariensis, *3. cont. Gent. c. 102.*, ubi D. Thomas ratione 4.
[8] Suarez, *Met. Disp. 43. Sect. 4. n. 16.*

potentia et actus sunt, debet intelligi. Tum, inter alia, haec legimus in S. Doctore. « Dicendum, quod impossibile est aliquid movere seipsum, nisi secundum diversas partes, ita quod una pars sit movens, et alia mota; sicut etiam in animali est anima movens et corpus motum. Cuius ratio est, quia nihil movet nisi secundum quod est in actu, nec movetur nisi secundum quod est in potentia, *et haec duo non possunt simul eidem inesse respectu eiusdem* » [1].

Ratio.

Ratio vero est quod, ex dictis, actus, qua talis, praesefert nonnisi ens aut entis rationem; potentia quamvis, transcendentaliter loquendo, non sit simpliciter non-ens, includit tamen aliquam non entis rationem, seu entis negationem. Ens autem et non-ens inter sese mutuo pugnant. — At si actus et potentia, non formaliter ac praecise accipiantur, sed materialiter aut identice, si nimirum spectetur id quod actus est, non autem quatenus actus est, ac rursum id quod potentia est, non autem quatenus est potentia; abs dubio una et eadem res, solo actu simpliciter primo et potentia obiectiva aut logica, pro ordine reali, exceptis, potest sub diversa ratione esse simul actus et potentia, quod D. Thomas in omnibus fere locis huc usque allatis satis innuit, et apertissime patet in actibus non omnino puris, qui ad ulteriorem actum potentiam retinent.

Declaratio.

Assertio II.

51. Asserendum est II. *Non solum actum esse simpliciter potentia priorem, quod ab initio huius tractationis monuimus; sed universim potentiam omnem actum aliquem proportionatum supponere in eoque fundari.* Est hoc assertum in doctrina Philosophi et D. Thomae paulo ante allata, qua universim potentiam omnem passivam proprie dictam ad potentiam activam ultimo referunt. Docuit nos praeterea S. Doctor potentiam omnem obedientialem passivam ex activa creatoris potentia totam derivari: de connaturali autem passiva potentia, sequentia apud ipsum vulgaria sunt prorsus: « Nulla potentia passiva invenitur in natura, cui non respondeat aliqua potentia activa, potens eam in actum reducere; alias talis potentia frustra esset » [2]. *Ratio vero generalis et a priori est*, quod potentia, adaequate et transcendentaliter inspecta, praesefert ens cum aliquo non ente, seu est ens aliquo modo capax ulterioris perfectionis vel acquirendae vel saltem communicandae. Omne autem ens, quatenus ens est, actus aliquis est. Omnis igitur potentia, quatenus potentia est, necessario actualitatem includit aliquam, in ipsaque habet fundamentum. — *Idem etiam patet a posteriori.* Nam potentia accidentalis passiva, sive naturalis sit sive supernaturalis, supponit subiectum actu exsistens et actuale principium activum, in iisque, uti ex D. Thoma audivimus, demum fundatur.

Potentia omnis proportionatum actum supponit in eoque fundatur.

Est doctrina Philosophi et D. Thomae.

Ratio generalis a priori.

a posteriori in potentiis realibus.

---

[1] D. Thomas, *I. Dist. 8. q. 3. a. 1. ad 3.um*

[2] D. Thomas, *I. Dist. 12 q. 1. a. 1. corp.* — Cfr. *II. Dist. 30. q. 2. a. 1. corp. circa medium.* — *III. Dist. 26. q. 1. a. 2. corp.* — *IV. Dist. 43. q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. corp.* — Contra Gentes. *lib. 2. cc. 20. 60., lib. 3. c. 45.* — De Veritate, *q. 18. aa. 2. 5. corp.*

Potentia substantialis passiva, eo ipso quod habet aliquam entitatem, utique imperfectam, uti, consentiente Eminentissimo Cardinali Zigliara [1], D. Thomas aperte docet quemadmodum suo loco erit videndum, nullum certe formalem actum, optime vero actum aliquem sibi vindicat entitativum: ceterum si nullam ex se actualitatem haberet, ex se esset simpliciter nihil, neque ullo vero sensu potentia realis dici posset [2]. Iam si potentia omnis passiva necessario, si realis sit, actualitatem aliquam supponit ac eius velut clauditur sinu; id longe verius ac clarius est de reali qualibet potentia activa, quae et ex se actus aliquis primus est, et actualitatem essentiae, a qua profluit, ante se praemonstrat. — Quod autem diximus de potentiis realibus, de potentia in quolibet alio ordine considerata proportionaliter dicendum est, uti consideranti facillime patet. Et certe potentia obiectiva supponit actum in Deo aut in intellectu cogitante; universales rationes potentiales in Deo, in individuis, in intellectu; potentia logica in primis intentionibus.

52. Cum inter potentiam et actum ordo sit, asserendum est: III. *Ea, ratione aliqua, invicem limitari; huiusmodi autem limitationis rationem, proportionali quodam pacto pro diverso ordine physico, metaphysico, logico, non esse intrinsecam et formalem, sed extrinsecam et connotativam.* — Tota haec doctrina D. Thomae doctrina dicenda est prorsus. Et primo quidem quod universim actus aliquo modo limitetur per potentiam et potentia per actum innumeris locis S. Doctor tradit. Exemplo sit quod legimus: « Dicitur infinitum ex eo quod non finitur. Finitur autem et materia per formam, in quantum materia, quae est in potentia ad diversas species, determinatur ad unam speciem per formam; et forma per materiam, in quantum forma speciei, quae nata est esse in pluribus individuis, secundum quod recipitur in hac materia, determinatur ad individuum » [3]. *Ratio vero est*, cum pro diverso ordine, proportione servata, potentia quaelibet ad proprium actum essentialem dicat habitudinem, actusque finitus aut essentialem aut certe connaturalem habitudinem ad propriam potentiam, alterutrum sane necessario tantum patebit, quantum alterum; correlata enim, secundum quod correlata sunt, simul ponuntur et auferuntur. Quae autem ita habent, limitatio unius necessario alterius infert limitationem. — Praeterea, secluso actu primo simpliciter de quo nunc quaestio non est, quod actu est, natura saltem et ordine generationis prius erat in propria potentia sive activa causae, sive passiva subiecti; et quod est in potentia, ad proprium aliquem actum in potentia est. Ergo et potentia proprio actui commensuratur, et actus propriae potentiae; neque dari potest proprius actus aut pro-

Assertio III.

Potentia et actus in omni ordine invicem limitantur, non intrinsece et formaliter, sed extrinsece et connotative.

Est doctrina D. Thomae.

Ratio 1ae partis prima.

Secunda.

[1] Em. Card. Zigliara, *De mente Concilii Viennensis, c. 2.*

[2] Cfr., inter alia loca, *QQ. DD. De Malo, q. 1. a. 2. corp.*

[3] D. Thomas, *Quodlibet 3. q. 2. a. 3. corp.* — Cfr. *Summ. Theol. 1. p. q. 7. a. 1. c.—I. Dist. 43. q. 1. a. 1.— QQ. DD. De spiritualibus creaturis, q. unica, a. 1. ad 2um.—De Potentia, q. 1. a. 2. corp.—Compendium Theologiae* ad F. *Reginaldum c. 18.* etc.

pria potentia, quin actum potentiamque, ad quae dicunt habitudinem, adaequent. Hoc autem idem est ac dicere, actum potentiamque, proprie aut proportionaliter inspecta, inter sese invicem limitari, cum eorum neutrum ultra id, quod alterum eorum compatitur, possit excurrere. Et sic potentia obiectiva aut possibilitas radicaliter inspecta tantum, *a posteriori*, patere dicitur, quantum divina omnipotentia; ac rursus actus divinae omnipotentiae ipsa radicalis possibilitatis ratione externe quidem, sed quasi *a priori*, commensuratur. Potentia vero passiva omnis per dispositiones a forma aut actu requisitas in ratione potentiae determinatur, ac simul ipsa secundum has dispositiones hunc exigit connaturaliter actum; quem proinde et non alium agens in ipsa aut connaturaliter producit aut connaturaliter educit. Potentia demum alia activa et secundum se limitatur ad totam latitudinem suorum actuum seu ad rationem obiecti formalis ipsam specificantis; et in singulis nisibus ad actum aliquem, pro diverso influxu obiecti formalis in ipsam, limitibus constringitur.

Ratio 2ae partis.

53. Age iam si ratione aliqua potentia et actus invicem limitantur, huiusmodi limitatio dici nullo modo potest intrinseca ac formalis, sed extrinseca et connotativa. Docet hoc apertissime D. Thomas in anima humana, atque adeo in qualibet forma informante, quam universim tradit per materiam limitari ad hoc individuum. Ex qua doctrina sequitur neque materiam intrinsece limitari aut constitui in ratione huius determinatae materiae aut potentiae per formam, cum ratione materiae sic dispositae, atque adeo ordine generationis prius praeexistentis, haec forma aut creetur aut ex materiae potentia educatur. Quod si sermo sit de formis subsistentibus, cum hae ex doctrina S. Doctoris limitentur a potentia producentis, satis claret eas non intrinsece, sed tantum extrinsece a potentia limitari. « Secundo modo, *ait S. Doctor*, invenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, in quibus est aliud esse quam essentia ipsarum, quamvis essentia sit sine materia; unde esse earum non est absolutum, sed receptum et ideo limitatum et finitum ad capacitatem naturae recipientis: *sed natura vel quidditas earum est absoluta, non recepta in aliqua materia;* et ideo dicitur in libro de Causis, quod *intelligentiae sunt finitae superius et infinitae inferius. Sunt enim finitae quantum ad esse suum, quod a superiori recipiunt: non tamen finiuntur inferius, quia earum formae non limitantur ad capacitatem alicuius materiae recipientis eas:* et in talibus substantiis non invenitur multitudo individuorum in una specie, ut dictum est, nisi in anima humana propter corpus, cui unitur. — Et licet *individuatio eius ex corpore* OCCASIONALITER *dependeat, quantum ad sui inchoationem, quia non acquiritur sibi esse individuatum, nisi in corpore, cuius est actus;* non tamen oportet ut, destructo corpore, individuatio pereat, quia cum habeat esse absolutum, ex quo acquisitum est sibi esse individuatum ex hoc, quod facta est forma huius corporis, illud esse semper remanet individuatum. Et ideo dicit Avicenna quod *individuatio animarum et multiplicatio dependet ex corpore quantum ad sui princi-*

D. Thomas.

pium, *sed non quantum ad sui finem* »[1]. — Nihil subnectimus de doctrina D. Thomae circa limitationem potentiae activae eiusdemque actus, cum hanc non intrinsecam sed extrinsecam esse in doctrina S. Doctoris dubium sit nemini.

Ratio *a priori*.

54. Enimvero pugnat prorsus ut unum, realiter aut formaliter sive adaequate sive inadaequate ab alio distinctum, limitetur aut constituatur intrinsece et formaliter *hoc* ab eo, quod a se distinctum realiter aut formaliter est, et secundum id praecise, secundum quod ab ipso realiter aut formaliter distinctum est; sic enim, realiter aut formaliter, essent identica et distincta, seu identica et non identica, distincta et non distincta. At hoc praecise haberetur, si potentia a suo proprio actu realiter aut formaliter distincta, intrinsece et formaliter ab eodem actu, et vicissim, limitaretur. Ergo actus et potentia nequeunt dici formaliter intrinsece invicem limitari.

a posteriori.

55. Praeterea limitaretur formaliter intrinsece sive potentia passiva vel pura aut prima, vel non pura aut secunda ab actu formali; sive potentia activa ab actu producto; sive actus mere subsistens a potentia quam habet alium forsan actum recipiendi; sive actus informans a potentia passiva in qua recipitur. Nihil horum dici potest. Non 1um. Sane omnis potentia passiva sive pura aut prima, sive non pura aut secunda, natura saltem prius quam actum recipiat, certas dispositiones habeat actumque determinatum exigat necesse est, uti ad unum omnes cum Philosopho et D. Thoma[2] docent Scholastici. Ergo determinata sit necesse est, atque adeo intrinsece et formaliter ad talem actum limitata, nec consequenter eget aut potest ab ipso eam limitationem accipere. Unde S. Doctor, uti modo retulimus, materiam docet limitari a forma non in ratione potentiae, sed quia determinatur ad unam speciem, cum ex se posset quamlibet constituere.

Potentia passiva prima aut secunda non limitatur formaliter a suo actu.

Nec potentia activa ab actu producto.

56. Non 2um. Nam potentia activa sive solum productiva sit sui termini, uti locum habet in omni potentia activa ad vitam intentionalem aut cognoscitivam non pertinente, sive sit praeterea detectiva aut comprehensiva sui obiecti, hoc demum sibi vindicat, ut actum suum, producendo seu ad modum causae efficientis, producat. Potentia autem huiusmodi tum quia effectui aut actui iam intrinsece constituta praesupponitur, tum quia necessario realiter aut formaliter distinguitur a suo termino, prout nimirum de potentia physica aut metaphysica sermo est, uti ex primo argumento etiam constat, nequit formaliter intrinsece a suo actu limitari. Adde quod actus et obiectum formale specificativum extrinsecum, non intrinsecum potentiarum sunt. Ergo nequeunt intrinsece ac formaliter potentias constituere, nec proinde intrinsece et formaliter limitare. — Atque hinc intelligitur actum potentiae activae non posse intrinsece limitari a sua potentia, a qua distinguitur.

Illatio.

[1] D. Thomas, *De Ente et Essentia c. 6.*
[2] Cfr. Philosophum et D. Thomam, *Metaphysicorum lib. 5. c. 14.*

Et de potentia quidem transeunter agente ac de potentia agente quidem immanenter, sed immanentia propria vitae vegetativae res est prorsus evidens. Actus enim seu terminus potentiae transeunter agentis, iuxta veram sententiam, est in passo non in agente; actus vero potentiae vegetativae est in subiecto vivente, non in ipsa potentia. Neuter ergo potest intrinsece et formaliter a potentia limitari. Aliqua forsan esse posset difficultas in actu potentiarum intentionalium; quae tamen modo bene perpendatur, haud difficulter poterit dissolvi. Sane huiusmodi difficultas nulla est in sententia eorum, qui volunt actus potentiarum cognoscentium et appetentium esse qualitates absolutas ab ipsis potentiis realiter distinctas, uti patet ex factis argumentis. In sententia vero eorum, qui contendunt huiusmodi actus esse qualitates modales seu modos realiter absolute indistinctos, uti modos alios, a suis potentiis; id saltem ratum omnino est, ipsos et distingui realiter modaliter a potentiis, et sub praecisa ratione modi non esse formaliter ipsas potentias (uti sub praecisa ratione modi figura non est formaliter ipsa quantitas), nec proinde posse formaliter intrinsece a potentiis constitui aut limitari.

Difficultas.

Solvitur.

Actus subsistens nequit formaliter limitari a potentia, quam includit.

57. Neque 3.um, nimirum non posse actum subsistentem a potentia, quam forsan includit, intrinsece et formaliter limitari. Enimvero actus subsistens, uti convenit nobis cum adversariis, est absdubio in sua substantia limitatus, et tamen non est in potentia substantiali ad actum, seu in potentia ad actum substantialem. At si per potentiam, quam includit, intrinsece et formaliter limitaretur, huiusmodi potentia substantialis esse deberet; secus enim non in ipsa substantia, sed ad summum in aliquo, ad intrinsecam substantiam non pertinente, posset limitari: quomodo enim intrinsece ac formaliter limitaret substantiam, si intrinsecam eiusdem rationem non attingeret? — Quod si dicatur actus subsistens limitari posse ex potentia, quam ad actum accidentalem sibi necessario vindicabit, oppido id erit absurdius. Huiusmodi enim potentia constitutum iam limitatumque in sua quidditate, a qua necessario debet profluere, supponit subiectum, quod heic ipse actus subsistens est. Nequit proinde ipsum intrinsece et formaliter limitare. Tum accidens, uti potentia operativa in creatis est, accidentaliter quidem non substantialiter immutare substantiam potest. Limitatio autem intrinseca et formalis actus subsistentis mutatio esset non accidentalis, sed substantialis. — Demum si actus subsistens limitaretur intrinsece ac formaliter per potentiam, quam includit, hoc deberet maxime locum habere ex vi potentiae, quam essentia omnis atque adeo essentia v. g. etiam Angelica includeret in ordine ad esse, aut in ordine ad actum exsistendi, uti non pauci volunt patroni distinctionis realis inter esse et essentiam actualem. Hoc autem dici nequit. — α) Quia supponitur distinctio realis inter essentiam et esse, et essentiam esse veram et realem potentiam respectu actus exsistendi; quae praecise in quaestione sunt. — β) Data utcumque utraque hypothesi, tunc aut ista realis potentia ad esse non dicitur esse praedicatum quidditativum, et non posset, ex ra-

Difficultas.

Solvitur.

Nequit speciatim limitari a potentia ad esse.

Declaratur et probatur multipliciter.

tionibus factis, intrinsece et formaliter limitare quidditatem, quae ipse actus subsistens est: aut, contra, praedicatum quidditativum esse asseritur; atque hoc dici nequit. Sane hac in hypothesi essentia actus mere subsistentis esset potentia substantialis ad actum abs dubio substantialem: quo posito deberet. — 1.° Assignari discrimen inter essentiam mere subsistentem et materiam primam; praesertim in eorum sententia, qui totam rationem partium integralium quantitati in ipsa materia prima adscribunt. Utraque enim esset simplex quidem, sed substantialis potentia ad actum abs dubio formalem et substantialem, atque adeo esset substantia incompleta: 2.° *Esse* quod, in hac hypothesi, esset actus, deberet esse substantia ac certe actus substantialis, secus ac docent plures adversarii, qui volunt τὸ esse deputandum esse actibus accidentalibus: 3.° Si esset actus substantialis, esset etiam substantialis differentia, et substantia angelica non esset in sua quidditate simplex, sed composita: 4.° Quod si actus substantialis dicatur non ad modum formae substantialis, sed ad modum formalis termini; atque in forma subsistente nullus talis formalis terminus ab ipsa realiter distinctus requiritur, *ut* SIMPLICITER ACTU SIT *aut exsistat*, uti valide probat Suaresius contra adversarios [1]; nullus item formalis terminus ab ipsa realiter distinctus, *ut* PER SE SIT *aut subsistat*, uti nos cum D. Thoma [2] et pluribus Doctoribus contra Suaresium et Caietanum fidenter tuemur. Et sane, quod ad praesentem quaestionem attinet, sine tali formali termino substantiali, essentia subsistens actu, seu essentia substantialis actualis ex sese habet ut extra causas sit, ut sit consequenter extra nihilum, atque adeo sit aliquid in rerum natura. Ergo ex sese habet ut formaliter exsistat, et nullo alio formali termino substantiali eget ad simpliciter exsistendum. Ergo neque includit in sua quidditate potentiam substantialem ad huiusmodi formalem terminum substantialem, neque consequenter potest a non exsistente eiusmodi potentia intrinsece atque formaliter limitari. — γ) Adde quod si τὸ esse realiter distingueretur ab essentia et ut contradistinctum ab essentia nonnisi per realem receptionem in reali potentia posset limitari, id praeterquamquod absurdum est (quomodo enim per solam receptionem in alio, quod limites non habet, posset limites nancisci? nonne verius diceretur tale esse non posse recipi?), certe id sequeretur: in actuali essentia subsistente dari substantialem potentiam realem ad recipiendum τὸ esse reale illimitatum ad ipsumque realiter limitandum. Eiusmodi autem potentia evidentissime absurda esset et, missis aliis, illud involveret: esse intrinsece illimitatum posse intrinsece limitari, et limitari per aliquid ipsi extrinsecum. Ergo absurda eiusmodi realis et substantialis potentia ad τὸ esse reale in essentia subsistente non datur;

---

[1] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 4. 5. et 6. praesertim Sect. 5.*

[2] Cfr. Tiphanum, *Declaratio ac defensio scholastica doctrinae SS. Patrum Doctorisque Angelici de natura ac persona.*

nec proinde potest ipsam, quatenus forma et actus subsistens est, intrinsece et formaliter limitare. Sed de hoc plenius postea.

Actus informans nequit formaliter limitari a sua potentia.

58. Neque 4.um, nimirum non posse actum informantem limitari intrinsece a potentia passiva, in qua recipitur. Etenim eiusmodi actus informans vel est etiam subsistens, vel est solum informans, sive accidentalis sive demum substantialis sit. Porro in neutro casu limitatur intrinsece et formaliter per potentiam passivam in qua recipitur.

D. Thomas.

Atque D. Thomas, uti ex allatis eius verbis constat, docet prorsus huiusmodi formas *occasionaliter* limitari a materia, quatenus nimirum materia sic disposita exigit ut agens hanc determinatam formam aut in ipsa producat, aut ex ipsa educat; et limitari non in ipsa ratione formae, sed quatenus per receptionem hoc aut illud constituitur individuum. Hoc autem non significat limitationem intrinsecam et formalem, sed extrinsecam et connotativam.

Prima ratio.

— Probatur iam 1.a minoris pars. Si actus informans est etiam subsistens, huiusmodi actus cum non possit intrinsece ac formaliter limitari a potentia passiva intrinsecus ipsi inhaerente, uti probatum est; multo minus poterit limitari a potentia passiva in qua recipitur, tum quia ab ipsa realiter distinctus; tum quia etiam in suo esse realiter independens. Adde quod hic actus est terminus actionis creativae natura prius quam uniatur; atque adeo antequam a materia posset limitari, iam est ex vi sui *hic*, et consequenter intrinsece et formaliter limitatus. Adde etiam quod, si intrinsece ac formaliter a potentia aut materia, in qua recipitur, huiusmodi actus limitaretur, anima v. g. humana, natura prius quam uniretur, haberet totam perfectionem animae humanae, ut sic, ac subinde ex vi unionis limitaretur ad *hanc*. Absurdum consequens; 1.° quia unio cederet in perniciem animae: 2.° quia si anima intrinsece haberet ampliorem perfectionem, hanc certe per solam unionem non posset amittere; cum ex vi talis unionis non mutetur *intrinsece substantive* seu in sua ipsa quidditate, sed tantum *intrinsece modaliter*, quatenus ipsa corpori, ipsi corpus invicem coaptantur.

Praeoccupatur difficultas.

— Verum quidem est D. Thomam saepe dicere, ex unione cum corpore animam deprimi quodammodo. At huiusmodi depressio non exhibet aut infert limitationem quasi ampliorem eius perfectionem coercentem; sed exhibet aut infert *conditionem status*, vi cuius nequit converti ad superiora et ab inferioribus tenetur species mutuari.

Secunda ratio.

— Probatur 2.a minoris pars. Si actus non subsistens, sed tantum informans est, certe retinet suam realem entitatem, unam plane ac individuam, distinctam realiter ab entitate materiae, ad ipsum recipiendum atque ad subsistendum cum ipso in ratione subiecti adhaesionis, natura saltem prius, dispositae. Nulla ergo ratione dici potest, quod a materia aut a potentia intrinsece ac formaliter limitatur.

Collectio.

59. Ex huc usque dictis colligimus: si actus et potentia invicem aliquo modo limitantur, et non intrinsece ac formaliter; ea extrinsece et connotative inter sese mutuo limitari. Consequentia evidens est, quia intrinsece et extrinsece, formaliter et connotative in re praesenti contradictionem involvunt; idem enim est ac si

dicereretur intrinsece et non intrinsece, formaliter et non formaliter, quae contradictoria sunt. Et revera ea ratione probatum est potentiam et actum non limitari invicem intrinsece ac formaliter, ut id de formalissima ratione potentiae, qua potentiae, et actus, qua actus, sit intelligendum, uti constat maxime ex 2.° asserto praesentis materiae. Quare nequit caveri illata contradictio, si quis contendat potentiam et actum limitari invicem intrinsece, sed non formaliter; heic siquidem omnis intrinseca limitatio esset etiam necessario formalis. Quare si non limitantur invicem formaliter, non limitantur intrinsece, atque adeo stat nostra consequentia quod, si non limitantur intrinsece et formaliter, limitantur extrinsece et connotative, cum aliquo modo limitentur.

Assertio IV.

60. Asserendum est IV: *Si sermo sit de potentia passiva et actu eidem proportionato, in ordine sive physico, sive metaphysico, sive logico, simpliciter dicendum esse actum limitari per potentiam, non autem potentiam per actum, ac limitari plane quatenus in potentia proprie aut improprie recipitur; actum vero proprie aut metaphorice aliquid addere ipsi potentiae.* — Haec etiam tota assertio ex mente, imo simpliciter D. Thomae doctrina censeri debet. Et ad primum quod attinet, quamvis S. Doctor actum doceat per materiam limitari et materiam per actum; saepe tamen sic loquitur, ut de solo actu videatur docere ipsum per materiam aut potentiam limitari. « Nullus actus, *inquit*, invenitur finiri nisi per potentiam, quae est eius receptiva. Invenimus enim formas limitari secundum potentiam materiae »[1]. Ac rursum: « Actus non finitur nisi dupliciter: uno modo ex parte agentis, sicut ex voluntate artificis recipit quantitatem et terminum pulchritudo domus: alio modo ex parte recipientis, sicut calor in lignis terminatur et quantitatem recipit secundum dispositionem lignorum »[2]. Ad haec: « Secundo modo, *ait*, invenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, in quibus est aliud esse quam essentia ipsarum, quamvis essentia sit sine materia: unde esse earum non est absolutum, sed receptum et ideo limitatum et finitum ad capacitatem naturae recipientis; sed natura vel quiddítas earum est absoluta, non recepta in aliqua materia, et ideo dicitur in libro *de Causis*, quod intelligentiae sunt finitae superius et infinitae inferius »[3]. Atque sic saepe alibi. Ex quibus locis intelligi potest S. Doctorem celebrare maxime limitationem actus per potentiam receptivam aut materiam, utpote cui huiusmodi limitationis genus praeprimis aut simpliciter competit. Ratio vero est quod, ubi de potentia passiva deque actu eidem respondente sermo est, potentia vel *re*, vel *ratione* prior est actu et, si proxima sit, praesefert determinatam actus capacitatem: contra vero actus et passiva potentia posterior est, et ad passivae potentiae capacitatem exigentiamque ab agente vel in ipsa produ-

Dicendum simpliciter actum per receptivam potentiam propriam aut impropriam limitari; ipsum vero aliquid potentiae addere.

Est doctrina D. Thomae.

Ratio 1ae partis.

---

[1] D. Thomas, *Compendium Theologiae ad F. Reginaldum, c. 18.*
[2] D. Thomas, *QQ. DD. De Potentia q. 1. a. 2. corp.*
[3] D. Thomas, *De Ente et Essentia, c. 6.*

citur, vel ex ipsa educitur. Sequitur hinc quod in ipsa actus ratione, extrinsece tamen, actus per potentiam passivam limitatur, dum materia aut potentia passiva non limitatur in ipsa ratione potentiae, sed quatenus ad determinatam speciem contrahitur, uti expresse D. Thomas supra docuit. At si actus in ipsa actus ratione per potentiam limitatur, dum contra potentia solum in ordine ad aliud, seu ad speciem ab actu contrahitur, actus simpliciter per potentiam passivam, non contra haec per illum simpliciter limitari dicenda est. — Adde quod actus, qua actus, ex se non dicit limitationem, cum possit etiam esse simpliciter illimitatus: potentia vero passiva ex sui conceptu limitata est; exhibet enim ens cum non-ente coniunctum. Atqui quod ex se illimitatum est recte dicitur limitari simpliciter ab eo quod ex se limitatum est. Ergo.— Quod autem hoc locum habeat in quolibet ordine, sive physico nimirum, sive metaphysico, sive logico, facillime exemplis illustratur. Revera forma aut actus physicus, anima v. g. humana, quatenus debet informare hanc materiam, ipsam natura prius exigentem, *haec determinata* a Deo creatur: rationale item, quatenus in subiecto aut potentia metaphysica passiva animalis est, ad rationale humanum coarctatur: praedicatum denique propositionis in eiusdem subiecto, quod relate ad ipsum potentia logica passiva est, limitationem nanciscitur.

Confirmatur.

Demonstratio 2ae partis.

61. Imo, quod secundo loco assertum est, per se dici debet actus potentiae passivae in ipsa proprie aut improprie seu metaphorice recipi, et ex hac receptione limitari. — Haec etiam pars aut implicite aut etiam explicite in allatis D. Thomae testimoniis continetur, quatenus S. Doctor formae aut actus limitationem ex receptione in propria aut impropria materia aut potentia ubique derivat. Atque quod actus potentiae passivae physicae in ipsa recipiatur, res est absque controversia evidens. Quod vero etiam recipi dici possit actus potentiae metaphysicae aut logicae, ex eo intelligitur quod, cum genus metaphysice inspectum, et subiectum inspectum logice, ex materia deriventur, et rationem materiae aut potentiae passivae habeant relate ad differentiam aut ad praedicatum; recipi quod proprie convenit actui physico relate ad physicam materiam, saltem improprie aut metaphorice conveniet actui metaphysico aut logico, id est, differentiae aut praedicato in ordine ad genus aut ad subiectum propositionis. Eadem enim ratione actus recipi in potentia dici potest, qua actus est. Actus igitur proprius proprie, improprius autem aut metaphoricus etiam improprie aut metaphorice. Iam actus physicus proprius est, metaphycus aut logicus improprius. Ergo [1]. — Ratio vero a priori est quod potentia, ut potentia, ac magis multo potentia passiva, praesefert ens cum aliquo non-ente, ad quod tamen ens, quo caret, dicitur habere aptitudinem: actus vero, qui hanc aptitudinem actuat, capacitatem quasi illam entis implet, et sic in ipsa aut recipitur aut concipitur

D. Thomas.

Ratio *a priori*.

[1] Cfr. D. Thomam, *Contra Gent. lib. 2. c. 54. in fine. — De Ente et Essentia, c. 5. Sub finem.*

recipi. — Iam age, ex vi huius receptionis actus dici debet per potentiam limitari. Enimvero actus dicitur recipi, quatenus implet aut concipitur implere sive complere aptitudinem aut capacitatem potentiae passivae ad ipsum recipiendum, ad quam capacitatem implendam aut complendam actione proportionata hic aut alter ab agente producitur aut concipitur produci. Hoc autem idem est ac actum per receptionem in potentia passiva limitari; quia videlicet talis producitur, qualis in tali potentia recipi potest aut recipitur.

62. Consimili ratione actus dici potest ac debet vel proprie vel improprie aut metaphorice addere aliquid potentiae passivae. — Monendum imprimis: « Quod tripliciter potest aliquid super alterum *addere*. Uno modo, quod *addat aliquam rem*, quae sit extra essentiam illius rei, cui dicitur addi: sicut album addit super corpus, quia essentia albedinis est praeter essentiam corporis. Alio modo, dicitur aliquid *addi* super alterum per modum contrahendi et determinandi, sicut homo addit aliquid super animal, non quidem ita quod sit in homine alia res, quae sit penitus extra essentiam animalis, alias oporteret dicere quod non totum, quod est homo, esset animal, sed animal esset pars hominis; sed animal per hominem contrahitur, quia id, quod determinate et actualiter continetur in ratione hominis, implicite et quasi potentialiter continetur in ratione animalis: sicut est de ratione hominis quod habeat animam rationalem, et de ratione animalis est quod habeat animam non determinando ad rationalem vel non rationalem: *ista tamen determinatio, ratione cuius homo super animal* ADDERE *dicitur, in aliqua re fundatur*. Tertio modo, dicitur aliquid *addere* super alterum secundum rationem tantum, quando scilicet aliquid est de ratione unius, quod non est de ratione alterius; quod tamen nihil est in rerum natura, sed in ratione tantum, sive per illud contrahatur id, cui dicitur addi, sive non. Coecum enim *addit* aliquid supra hominem, scilicet caecitatem, quae non est aliquod ens in natura, sed rationis tantum, secundum quod ens est comprehendens privationes, et per hoc homo contrahitur; non enim omnis homo caecus est: sed cum dicimus talpam caecam, non fit per hoc additum aliqua contractio »[1]. Hinc, si sermo sit de physica potentia et actu, cum actus exhibeat rem, quae est extra essentiam potentiae physicae, huic reale quid addere in perspicuis est. Quod si ad actum et potentiam metaphysicam quaestio restringatur, cum differentia aut gradus metaphysicus inferior genus aut gradum metaphysicum superiorem contrahant ac determinent, hisce aliquid addere dicenda sunt in ordine intelligibilitatis per modum, non sane rei, sed *contrahendi ac determinandi*, uti D. Thomam loquentem audivimus. In potentia demum et actu logico, conceptus, qui se habet ad modum actus, non est de ratione conceptus ad modum potentiae se habentis, atque adeo si

Demonstratio 3ae partis.

D. Thomas.

Declaratur.

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De Veritate, q. 21. a. 1. corp.* Cfr. *De veritate, q. 1. a. 1.*

cum hoc altero coniugatur, ipsi aliquid addere in ordine logico intelligitur; sic dum dico: *homo est species*, secunda haec speciei intentio non est de ratione conceptus hominis, ut sic, atque hinc est ut in illo iudicio aut composito logico ipsi addi potest et debet.

Potentia et actus dividunt eus.

63. Si potentia et actus cum ente conferantur, communis cum Aristotele et D. Thoma sententia est: *potentiam et actum dividere ens et omne genus entis.* Quamvis vero philosophema hoc omnes accipiant, non eundem tamen eidem omnes, praesertim recentiores, tribuunt intellectum, uti videre est apud P. Remer [1], P. Urráburu [2], P. Delmas [3], P. De Mandato [4], apud alios denique. Plerique sane plus minus in eo conveniunt, ut eius effati intellectus certo sit: omne ens *aut esse*, si nimirum *actu sit, aut non esse*, si videlicet *sit in potentia.* Proprie enim loquendo, ens in actu stat pro ente reali; dum contra ens in potentia stat pro non ente reali, seu pro ente non realiter exsistente, sed solum possibili. Hoc sensu divi-

Philosophus.

sionem hanc Philosophus declarat, ubi ait: « Ipsum esse et ipsum ens quoddam eorum, quae dicta sunt, *potentia* dici posse significat, quoddam *actu.* Videns etenim dicimus esse et quod potentia, ut dicitur, videt, et quod actu: ipsum quoque sciens similiter, et quod potest uti scientia, et quod iam utitur: ac etiam quiescens tum illud cui iam inest quies, tum quod quiescere potest. Similiter autem in substantiis. Etenim Mercurium in lapide dicimus esse, et lineae medietatem, ac triticum, quod nondum maturum est. Quando vero possibile et quando non, in aliis determinan-

D. Thomas.

dum est » [5]. In quem locum Angelicus: « Ponit distinctionem entis, *inquit*, per actum et potentiam, dicens: quod ens et esse significant aliquid dicibile, vel effabile in potentia, vel dicibile in actu. In omnibus enim praedictis terminis, quae significant decem praedicamenta, aliquid dicitur in actu et aliquid in potentia. *Et ex hoc accidit quod unumquodque praedicamentum per actum et potentiam dividitur.* Et sicut in rebus, quae extra animam sunt, dicitur aliquid in actu et aliquid in potentia ita in actibus animae et privationibus, quae sunt res rationis tantum. Dicitur enim aliquis scire, quia potest uti scientia, et quia utitur: similiter quiescens; quia iam inest ei quiescere, et quia potest quiescere. Et non solum hoc in accidentibus, sed etiam in substantiis. Etenim Mercurium, id est, imaginem Mercurii dicimus esse in lapide in potentia, et medium lineae dicimus esse in linea in potentia; quaelibet enim pars continui est potentialiter in toto, linea vero inter substantias ponitur secundum opinionem ponentium mathematica esse substantias, quam nondum reprobaverat. Frumentum etiam, quod nondum est perfectum, sicut quando est in herba, dicitur esse in potentia. Quando vero aliquid sit in potentia, et quando

[1] P. Remer, *Metaphysica Generalis, q. 1. §. 2. n. 33.*
[2] Urráburu, *Ontologia, Disp. 3. c. 2. art. 4.*
[3] P. Delmas, *Ontologia, c. 1. a. 4. n. 99.*
[4] P. De Mandato, *Ontologia, pars 3. q. 8. — Thesis 23.*
[5] V. *Metaphysicorum, text. 14. part. 5.*

nondum est in potentia, determinandum est in aliis, scilicet in Nono huius » [1]. In eundem sensum scribit Suaresius: « Statuendum est in rebus creatis ens in potentia et in actu immediate ac formaliter distingui tanquam ens et non ens simpliciter. Quae distinctio ab aliquibus vocatur realis negativa, quia unum extremum est vera res et non aliud; ab aliis vero vocatur distinctio rationis, quia non sunt duae res, sed una tantum, quae per intellectum concipitur et comparatur ac si essent duae. Et hoc principium receptum communiter est in schola D. Thomae, ut patet ex Soncinate IX. Metaphysicae, quaestione tertia, et aliis » [2]. Ex quibus facillime intelligitur ens, si in tota sua transcendentali et analogica communitate accipiatur pro quolibet vero ente sive creato sive increato, rectissime dividi in ens in actu et ens in potentia, cum omne verum ens, sive creatum id sit sive increatum, necessario aut sit aut non sit, seu, quod eodem recidit, aut in actu sit, aut in potentia. Suarez.

64. Contra hunc sensum et ex se quidem satis clarum et a veteribus communiter receptum P. Cornoldi, quem ex parte sequuntur locis modo laudatis P. Remer et P. De Mandato, contendit sensum illius effati esse: in omni ente dari potentiam et actum realiter inter se distincta, atque adeo in ipso dividi potentiam et actum aut, si lubet, ipsum in potentiam et actum dividi. Postquam enim verbalem *entis* analysim instituit, sequenti pacto prosequitur: « Iam patens est pulchra significatio veteris axiomatis in scholis omnibus celebrati: *Potentia et actus dividunt ens.* Sensus non est sub ente transcendentali binas esse categorias, ad quarum alteram pertineat potentia, ad alteram actus. Sensus est ens omne in se divisionem hanc habere, quae a nobis realis distinctio dicitatur. Itaque *ens* transcendentaliter sumptum in se habet potentiam, nimirum *essentiam* transcendentaliter et ipsam sumptam, et *esse*. Unumquodque genus in unaquaque decem categoriarum et species quaelibet bina haec in se habent elementa, in quae ens omne dividitur: animal, exempli causa, quod ens est, in se habet potentiam, nimirum essentiam, *animalitatem*, et esse a quo in actum reducitur, ac tantundem de re qualibet alia dicatur » [3]. P. Cornoldi. PP. Remer et De Mandato. Patris Cornoldi sensus.

65. Huiusmodi autem illius effati interpretatio tum, uti ipse auctor innuere videtur, nova est, cum vetustissimum sit axioma; Crisis. Novus est.

---

[1] D. Thomas, *in laud. Philos. locum.*

[2] Suarez, *Metaphys. Disp. 31. Sect. 3. n. 1.*

[3] Civiltà Cattolica, *primo sabbato di Maggio, 1884, II.* Or vedesi la bella significazione del vetusto assioma ammesso in tutte le scuole che: *potentia et actus dividunt ens.* Non vuol dire che sotto l'*ens* trascendentale vi sieno due categorie, ad una delle quali appartenga la potenza, all'altra l'atto. Ma vuol dire che ogni ente ha in sè questa divisione, che da noi è detta distinzione reale. Quindi l'*ens* trascendentalmente preso ha in sè la potenza, cioè l'essenza trascendentalmente pur presa, e l'essere. Ciascun genere in ognuna delle dieci categorie, e ciascuna specie ha pur in sè questi due elementi, ne' quali ogni ente è diviso: per esempio l'animale, che è ente, ha in sè la potenza, cioè l'essenza, l'*animalità*, e l'essere ond'è essa attuata, e così dicasi d'ogni cosa.

tum non unum habet incommodum. Tuetur nimirum ipse in ente transcendentaliter sumpto dari potentiam transcendentaliter sumptam, nimirum essentiam, eandemque ab esse, a quo actuatur, realiter distinctam. Sed enim ens transcendentaliter sumptum etiam Deum includit. Ecquid etiam in Deo ea dabitur realis distinctio, contra ac auctor ab initio optime dixit? Quod si, uti in sequentibus subdit, quae in Deo sola ratione distinguuntur, in creaturis realiter distingui dicantur, videbimus suo loco iurene asseratur an secus. Heic displicet modus loquendi auctoris parum accuratus qui, nisi ipse esset notus, dignum redderet plane, ut erroris accusaretur: certissime clarus non est, cum ipse tamen sibi sub finem de claritate blandiatur. — Ad haec, si sermo sit de rebus creatis, ille sensus eatenus verus est, quatenus verum est in ipsis dari distinctionem realem inter essentiam et esse; si enim ea non daretur, sensus ille non solum novus esset et minus accurata loquendi ratione propositus, sed esset simpliciter falsus. Quapropter si hanc quaestionem non in antecessum supponit resolutam, vel est omnino dubius, si ex sese diiudicetur; vel si ad eam ipsam solvendam quaestionem principii loco tanquam quid ratum adhibeatur, erit pura petitio principii. Quae petitio principii, inspecto loco ubi auctor illum sensum prodit, ipsi esset tribuenda; quamvis forsan dici posset ipsum sic per quandam prolepsim fuisse loquutum, et exhibuisse sensum respondentem opinioni asserenti distinctionem realem inter essentiam et esse, quam ipse putat se posse defendere. Tandem sensus ille est certo contra D. Thomam, qui in novem generibus accidentium distinctionem illam *realem*, quidquid per ipsam intelligendum sit, quod suo loco videbitur, diserte negat [1].

Minus accurate expressus.

Est dubius et controversus.

Aut petit principium.

Est contra D. Thomam.

Illatio.

66. Ex huc usque dictis iam inferimus, in definitionibus illis, quibus dicitur: *Esse vel Existentia est actualitas essentiae — Actualitas rei — Ultima rei actualitas* etc.; actualitatem aliter atque aliter ab auctoribus accipi; quatenus alii intelligunt actum physicum et ab essentia realiter distinctum; alii vero actum tantum metaphysicum aut logicum, qui proinde una cum essentia non faciat rem compositam, sed rationem aut metaphysice aut logice constitutam. Quare hoc etiam ex capite vis definitionis ex praecipua quaestione pendet. Monemus tamen *actualitatem*, quae communi calculo τῷ *esse* aut exsistentiae tribuitur, a Goudinio, Liberatore et aliis, locis superius laudatis, dici *ultimam*, a Cornoldi vero *primam* nuncupari. Scribit enim: « *Est* solum *actum primum* indicat; quare verbum *est* recte substantivum dicitur, utpote quod *primum* est, quod omnibus aliis actibus *substat*, in omnibusque aliis *supponitur* » [2]. Uterque dicendi modus fundamentum habet in D. Thoma. Legimus enim: « Ipsum *esse* est *ultimus actus*, qui participabilis

Vis definitionum ex praecipua quaestione pendet.

Actualitas ultima et prima.

Fundamentum habet in D. Thoma.

[1] Cfr. *QQ. DD. De Veritate, q. 27. a. 1. ad 8um.*

[2] Civiltà Cattolica, *loc. laud.*: Adunque l'*è* indica il solo atto *primo*; però ben dicesi il verbo *è* sostantivo, perchè è il primo che *substat* a tutti gli atti, e in tutti gli altri è supposto o *sottoposto*.

est ab omnibus: ipsum autem nihil participat »[1]. Praeterea: « Dicendum quod natura vel essentia comparatur ad duo: ad habentem, et ad id, cuius natura est principium. Inter essentiam igitur et habentem essentiam non cadit aliqua potentia media, quantum *ad actum* ipsius essentiae in habentem, *qui est esse;* sed ipsa essentia dat esse habenti: et iste *actus* est quasi *actus primus* »[2]. Secundo huic loquendi modo favere videtur Boetius, inquiens: « Est igitur et hominis..... οὐσία quidem atque essentia, quoniam *est:* οὐσιώσις vero atque subsistentia, quoniam *in nullo subiecto est:* ὑπόστασις vero atque substantia, *quoniam subest ceteris*, quae subsistentiae non sunt, id est οὐσιώσεις: est πρόσωπον atque persona, quoniam est rationabile individuum »[3]. Quibus verbis actui subsistendi actum essendi Boetius anteponit, nec proinde hunc ceu *ultimum*, sed ceu *primum actum* considerat. Atque eodem pacto Suaresius[4] et qui cum ipso Thomistae tradunt subsistentiam ultimum esse actum et complementum naturae substantialis exsistentis, *esse aut exsistentiam* non uti *ultimum*, sed uti *primum actum* revera habent. Qui vero cum Caietano[5] subsistentiam mediam faciunt inter essentiam et esse seu exsistentiam, hanc omnino uti ultimum habent actum, atque *esse*, tanquam id quod magis formale in re est, fidenter depraedicant.

Boetius.

Suaresius.

Caietanus.

67. At si quis rem attente perpendat, haud difficulter sane perspiciet exsistentiam, sub diversis respectibus, uti *actum* non solum *primum*, sed etiam *ultimum* haberi posse: et, si omnia istaec solo formali conceptu, ut revera est et suo loco probabitur, distinguerentur, denominationes illas posse optime rei uni eidemque sub diversis respectibus convenire; quamvis fatendum sit posse denominationes easdem ipsas accommodari, etiamsi distinctas res significare dicerentur. Nimirum exsistentia, quatenus refertur ad essentiam quam actuat ceu propriam potentiam, uti ex D. Thoma audivimus, dicitur *actus primus;* quatenus vero formae quaelibet, essentiam exsistentem modificantes, et ipsae debent exsistere seu *esse* participare, quod esse nihil participat, exsistentia dicitur *actus ultimus*, quasi ultimo quaecumque in re sunt determinans. Item subsistentia concipitur tanquam actus antecedens exsistentiam, quatenus innuit *totalitatem* essentiae substantialis, sine qua substantia connaturaliter nequit exsistere: concipitur vero tanquam *actus ultimus*, quatenus essentiae exsistenti subsistentia tribuit *perseitatem*, seu est ratio exsistendi per se. Utrum vero commentationes istae plus quid innuant necne, subinde erit videndum. In praesentiarum satis est ut intelligamus rationes illas *actus primi* et *ultimi*, in definitione existentiae, aliud et aliud ipsius munus significare.

τὸ *esse* sub diversis respectibus actus primus aut ultimus.

---

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De Anima, art. 6. ad 2.*
[2] D. Thomas, *I. Dist. 7. q. 1. art. 1. ad 2.*
[3] Boetius, *De persona et duabus Naturis, c. 3.*
[4] Suarez, *Metaph. Disp. 31 sect. 5. nn. 3. 4. 5.*
[5] Caietanus, *3. p. q. 4. a. 1.*

CAPUT IV.

DE DISTINCTIONE ET COMPOSITIONE.

68. Antequam ad quaestionem ipsam sive proponendam, sive solvendam gradiamur, pauca, pro instituti nostri ratione, de distinctione et compositione subiicienda sunt. Est autem distinctio, quam *diversitatem* videtur D. Thomas cum Philosopho in libris Metaphysicorum nominare, transcendentaliter inspecta: *Negatio identitatis inter plura*, seu: *Negatio unitatis in entitate.* Enimvero quae identica sunt, quatenus sunt identica, unum revera sunt: quae contra unitas si tollatur, quatenus tollitur, pluralitati locum dabit, et sic habebitur aliud et aliud, non proinde idem, sed distinctum aut diversum. Potest hinc facile intelligi distinctionis, identitatis quin, remotius saltem, unitatis conceptus ita esse inter sese connexos ut, si declarandi sunt, (vix enim egent aut possunt, cum simplicissimi sint, declarari) simul ac *fere* unus ex altero sint declarandi: id quod Philosopho et D. Thomae in Metaphy. libris solemne est [1].

Philosophus et D. Thomas distinctionem nominant diversitatem.

Quid sit transcendentaliter inspecta.

Conceptus distinctionis, identitatis, unitatis inter se connexi.

69. Philosophus, definitis modis quibus *idem* dicitur *per accidens* et *per se*, tandem subdit: « Quare palam quia *identitas unio* quaedam est plurium *essendi*, aut quando utitur uno ut pluribus, veluti quando dicit: *idem eidem idem;* nam ut duobus utitur *eodem* »; vel ut habet alia versio: « Quare patet quod *identitas unitas quaedam essentiae est* aut plurium, aut cum ut pluribus utatur, ut puta cum dicat: *ipsum sibi ipsi idem;* ut duobus enim ipso utitur » [2].

Philosopho identitas quid sit.

D. Thomas.

In quae verba Aquinas noster: « Ex hoc autem (*id est ex declaratis modis identitatis per accidens et per se*) ulterius concludit, quod identitas est unitas vel unio, aut ex eo quod illa, quae dicuntur idem, sunt *plura secundum esse*, et tamen dicuntur idem inquantum *in aliquo uno* conveniunt; aut quia sunt *unum secundum esse*, sed intellectus utitur *eo ut pluribus* ad hoc, quod relationem intelligat. Nam non potest intelligi relatio, nisi inter duo extrema; sicut cum dicitur aliquid esse idem sibi ipsi; tunc enim intellectus utitur eo, quod est unum secundum rem, ut duobus, alias eiusdem ad seipsum relationem designare non posset. Unde patet quod si relatio semper requirit duo extrema, et in huiusmodi relationibus non sunt duo extrema secundum rem, sed secundum intellectum solum, relatio identitatis non erit relatio realis, sed rationis tantum, secundum quod aliquid dicitur idem simpliciter. Secus autem est, quando aliqua duo dicuntur esse idem vel genere vel specie » [3].

70. Quam Philosophi et D. Thomae doctrinam ut intelligamus,

[1] Cfr. *Metaphysicorum lib. 5. c. 7. seqq. et D. Thomae Lectiones 7. 8. 11. 12.*
[2] V. *Metaphysicorum, c. 9.*
[3] D. Thomas, *in laud. Philos. loc. Lect. 11.*

primum omnium monendum est, identitatem presse non dici nisi *in ipsa essentia aut entitate, praesertim substantiali*, quae *simpliciter essentia* nominatur. Quare Philosophus in sua definitione: *unionem essendi*, aut: *unitatem essentiae* dixit; et D. Thomas eodem loco, paullo ante, unitatis partes suo modo declaravit, inquiens: « Partes unius sunt *idem*, quod est *unum in substantia;* et *simile*, quod est *unum in qualitate;* et *aequale*, quod est *unum in quantitate* ». Et sane ipsa qualitas aut quantitas, quin praedicamenta omnia, si in eis entitas aut essentia spectetur, identica sibi sunt et aliis quibuscum genere aut specie conveniunt. Ratio vero similitudinis aut aequalitatis, in qualitate aut quantitate, qua talibus, proprie locum habet: sic paries, qui identicus sibi est ratione entitatis, similis est alteri parieti ratione coloris, aequalis ratione dimensionum; imo ipse color parieti appositus, ratione suae entitatis est idem sibi et aliis cum quibus genere aut specie convenit; quatenus vero formaliter color est, alteri colori similis est et coloratum simile reddit; quatenus vero dimensiones in subiecto habet vel habere potest, aequalis dicetur alteri pariles dimensiones habenti.

Identitas non dicitur nisi in entitate, praesertim substantiali.

D. Thomas.

Identicum, simile, aequale.

71. Ut autem in entitate identitatem habeamus, requiritur secundo, ut illa entitas *una* sit, id est, ut *indivisa prorsus in se sit*, in ea sane ratione in eoque ordine, in quibus ipsa una aut indivisa dicitur. Habetur hoc expresse in verbis ipsis Philosophi et S. Doctoris. Ceterum res ipsa facilis est. Si enim in re, aut in ratione obiectiva seu ontologica, quae etiam intelligibilitas dicitur, aut in conceptu logico unitas desit, dabitur in eadem re, aut in ratione obiectiva, aut in conceptu multiplicitas, atque adeo *aliud* et *aliud*, non *idem*.

Ad identitatem requiritur unitas.

72. Negari tamen nequit in conceptu identitatis includi praeterea relationem aliquam, quam *exercite* Philosophus, *signate* autem D. Thomas, locis nuper laudatis, significarunt. Enimvero de quocumque *idem* praedicatur, non praedicatur nisi quatenus aut in alia et alia duratione, aut in alio et alio subiecto, aut sub alia et alia denominatione quod idem dicitur unitatem servat: sic Petrus infans et iuvenis idem Petrus dicitur, et humanitas in Petro et Paulo dicitur eadem, et Socrates et hoc album idem sunt. Quod autem sic habet, respectum unius ad alterum, seu relationem quandam praesefert. — Huiusmodi autem relatio aut *convenientia* rei secum ipsa, aut *convenientia* rationis obiectivae prout abstracte aut concrete in singularibus consideratur, aut *convenientia* unius subiecti, prout sub alio et alio accidente concipitur, et alio significatur nomine, proprie in conceptu identitatis videtur contineri. — Quare, cum de ratione relationis sit ut, praeter fundamentum, quod hic *unitas entitatis* est, duos habeat terminos; termini heic bini erunt aut res ipsa secundum varias durationes multiplicata, aut bina seu plura subiecta in quibus abstracta ratio concrete exsistit, aut bina accidentia sub quibus subiectum idem quodammodo latet. — Ex quibus demum infertur relationem identitatis aut convenientiae eius, quod dicitur idem, secum ipso, in uno et eodem subiecto sub alia et alia denominatione significato, esse

In identitate includitur relatio.

Quandonam relatio identitatis realis, quandonam rationis?

semper relationem rationis ; bini enim termini nonnisi ope rationis multiplicantur : esse e contra relationem realem , quotiescumque bina singularia ex fundamento unius rationis obiectivae identica sunt: medio quodammodo pacto se habere, ubi res secundum varias durationes successivas sibi ipsî identica dicitur. Verum de identitate individui temporanei plura essent dicenda, quae hoc loco non videntur memoranda [1].

Distinctionis notio.

73. Ex praecepta hac identitatis notione, eius divisionibus omissis, licet plenius , quod nostrum est , distinctionis notionem enucleare. Monuimus iam distinctionem supra distinctorum entitatem nihil aliud addere nisi *negationem identitatis* aut *unitatis in entitate*, atque identitati esse prorsus oppositam [2]. Catus autem lector in textibus in nota laudatis, si eos legerit, quod nunc communiter *distinctum* dicimus, id ipsum *diversum* et identico oppositum a D. Thoma cum Philosopho nominari intellexit. *Diversum* tamen, uti subinde idem S. Doctor tradit, *proprie* plus quid negat quam *differens*, et significat illa distincta, quae ne quidem genere conveniunt. « Differens omne , *ait* , est diversum , sed non convertitur. Nam illa diversa, quae in nullo conveniunt, non possunt proprie dici differentia, quia non differunt aliquo alio, sed seipsis. Differens autem dicitur, quod aliquo alio differt » [3]. Itaque proprie loquendo, *diversa* sunt quae ne quidem genere conveniunt, seu seipsis aut ipso genere differunt; *differentia*, quae conveniunt quidem genere, differunt autem specie; *distincta* demum, quorum unum utcumque aliud non est. Fatendum tamen huiusmodi nomina non semper hac proprietate usurpari , atque adeo saepe eorum intellectus ex ipso aut textu, aut contextu, aut aliunde definiendus est.

Diversum, differens, distinctum.

Distinctio presse ad rei entitatem pertinet.

74. Ut autem ad distinctionem proprie dictam redeamus , cum haec identitatis negatione contineatur, ratum imprimis esse debet in ipsa rerum entitate proprie distinctionem versari ; non autem in qualitate, aut quantitate , aut similibus. Opposita enim circa idem se habent. Si ergo identitas , uti probatum est , proprie ipsam respicit entitatem, praesertim substantialem; distinctio, quae identitatem negat, necessario ipsam entitatem pro obiecto habeat opus est. Ceterum quae qualitate aut quantitate differunt, pro prie non *distincta*, sed *dissimilia* aut *inaequalia* audiunt. — Ad haec, ut distinctio identitati opposita habeatur, ab entitate, de qua distinctio praedicatur, unitas excludenda est ; quae exclusio multiplicitati locum dabit in eo quidem ordine, physico, metaphysico, logico , in quo proprie obtinet distinctio ; uti enim sine unitate identitas, sic sine quadam multiplicitate intelligi nequit distinctio.— Tandem, uti identitas, distinctio relationem quandam includit negatae nimirum identitatis aut unitatis inter plura. Neque enim intelligi potest distinctio , quin hoc non esse illud intelligamus.

Ut distinctio habeatur neganda entitatis unitas.

Distinctio relationem includit.

---

[1] Cfr. Delmas , *Ontologia , c. 2. a. 1. q. 3.* § II. *De identitatis conceptu.* — Urráburu, *Ontologia, Disp. 2. c. 2. a. 5.*

[2] Cfr. Aristotelem, V. *Metaphysicorum, c. 9.* (Alias 15), et D. Thomam, *In eundem locum, Lect. 12.*

[3] D. Thomas, *Ibidem.*

Huiusmodi autem negativa relatio *realis* per se est, cum in physico rerum ordine obtinet; est autem per se *rationis*, quoties in solo ordine metaphysico aut logico versatur.

Distinctio realis et rationis.

75. Distinctio, atque eidem opposita identitas duplex revera est, alia realis, rationis alia, uti ex communiori Doctorum sensu nunc accipimus et ex dicendis clarius patebit. Frequens est utriusque membri distinctionis mentio apud S. Doctorem nostrum [1], ut opus non sit heic ipsius verba referre. — Generalem vero rationem exhibet Suaresius, aiendo: « Nulla distinctio inter extrema positiva (*definivit superius distinctionem inter extrema negativa*) et realia excogitari potest quae, si per rationem conficta non sit, non debeat necessario in re ipsa antecedere et esse ante omnem operationem intellectus: et quia quidquid huiusmodi est, reale est, quatenus in rebus exsistit, ideo in hoc sensu omnis distinctio, quae rationis non est, realis dici potest: atque ita manifestum videtur non posse dari medium inter distinctionem realem et rationis » [2].

Suaresius.

Age vero realis distinctio est: *Negatio identitatis aut unitatis inter plures res*, rei nomine pro quacumque physica realitate intellecto; rationis vero distinctio est: *Negatio identitatis aut unitatis inter plures conceptus unius et eiusdem rei.* Quibus ex definitionibus facillime datur intelligi distinctionem realem rebus competere independenter a quolibet intellectus opere; distinctionem, contra, rationis vel ab actu aliquo intellectus provenire, vel in actu intellectus unice reponi.

Quid distinctio realis.

Quid rationis distinctio.

Distinctionis realis signa.

76. Distinctionis realis tria certa sunt signa, ubi res non sunt prorsus invicem separatae. Horum primum est realis productio unius ab altero, id quod locum habet v. g. in animae facultatibus respectu suorum actuum; alterum est realis oppositio relativa inter duo, quod obtinet in divinis personis SS.^{ae} Trinitatis; tertium est realis separabilitas: eo ipso enim quod cera separari potest a sua v. g. rotunditate, inter rotunditatem et ceram realem agnoscimus distinctionem. Haec Doctoribus fere omnibus communia sunt, ut mirati prorsus fuerimus scriptorem recentissimum asserentem graves dari philosophos qui: *ad habendam partium distinctionem separabilitatem requirant, vel requirant praeterea ut, facta separatione, sive naturaliter sive supernaturaliter in exsistendo persistant* » [3].

Recentissimi Doctoris assertio.

Ut verum fateamur, missis Scotistis, nullibi talia legimus, sed prorsus opposita. Quod si, ex scriptoris mente, inter graves philosophos connumerandus sit, uti videtur, Suaresius, id nonnisi iniuria ipsi appingitur. Suaresius quidem plura de separabilitate discutit, ast non eo sensu ut contendat separabilitatem ad habendam distinctionem requiri; sed eo plane, ut definiat: an et quate-

Defenditur Suarez.

---

[1] Cfr. D. Thomam, QQ. DD. *De Potentia, q. 2. a. 4. corp. et ad 2um. — De Veritate, q. 2. a. 1. ad 1um etc.*

[2] Suarez, *Metaph. Disp. 7. Sect. 1. n. 9.*

[3] Civiltà Cattolica, Fasc. 3. Maggio, 1884 *Del composto ontologico*, I. haec habet: « Vi è, chi ad avere un composto reale e reale distinzione delle parti richiede la divisibilità delle medesime. Altri vuole che, dopo la loro divisione, o naturalmente od almeno per miracolo, possano esse continuare la loro esistenza ».

nus separabilitas signum nobis esse possit distinctionis stricte realis aut solum modalis. Scribit ergo : « Dico primo: Quandocumque duo conceptus obiectivi ita se habent, ut a parte rei et in individuo separari possint, vel ita ut unum sine alio in rerum natura maneat; vel ita ut realiter disiungantur et realem unionem, quam habebant, amittant; SIGNUM EST inter illa esse maiorem distinctionem, quam rationis ratiocinatae, atque adeo actualem aliquam ex natura rei, seu quae a parte rei sit » — « Dico secundo: Separatio unius ab alio, quae solum est non mutua (ut vulgo appellatur) id est, in qua unum extremum potest manere sine alio, non tamen e converso, est sufficiens argumentum distinctionis modalis, non tamen maioris, seu realis proprie sumptae ». — Dico tertio : Quamvis ad realem distinctionem cognoscendam plura indicia soleant assignari ; tamen duo quae ex separatione sumuntur, videntur potissima. Unum est de separatione tantum quoad realem unionem, id est, si utrumque simul et actu possit conservari in rerum natura absque unione reali inter se. Aliud est de separatione mutua quoad exsistentiam, id est, quod unum possit sine alio conservari et e converso, per se, immediate, et sine ordine seu connexione necessaria cum aliquo tertio »[1]. Haec et similia non requirunt separabilitatem ad distinctionem, sed ex separabilitate a posteriori distinctionem inferunt. Quod si Suaresius ex inseparabilitate etiam de potentia absoluta indistinctionem infert, id nullibi facit ex eo, quod separabilitas, saltem de potentia absoluta, sit de ratione distinctionis; sed ex eo quod, si unam duorum conceptuum realem identitatem mittas, nullum aliud conditionis, causalitatis aut dependentiae genus posset impedire, quominus de potentia saltem absoluta binae illae suppositae res aut realiter aut modaliter distinctae inter sese separarentur. Relege, si lubet, quae ex Suaresio modo laudavimus et alia loca similia. Ceterum si, praeter Scotistas, aliquis sit auctor ea docens quae ab adversario reprehenduntur (neque enim omnes perlegimus auctores), nos etiam in ipso eadem reprehendemus. Mallemus tamen eiusmodi scriptores singillatim notatos, quam indefinite exhibitos, ut pateret falsam assertionem ipsis vitio verti debere, non doctrinae, ad quam utcumque sustentandam falsis rationibus imprudenter utuntur.

Suaresii doctrina.

Animadversio.

77. Doctores alii sunt, qui admittentes *separabilitatem duorum* realis distinctionis indicium esse indubium, quando utrumque potest in individuo ab alio disiungi et seorsim in rerum natura permanere, negant *separabilitatem*, si non mutua sit seu si utrumque disiunctum in re seorsim non maneat, esse per se solam et semper realis distinctionis indicium; ut in simplicissimo et immutabili actu divini intellectus res contingentes intelligentis, quas posset non intelligere, videre est. Quapropter ut separabilitas non mu-

[1] Suarez, *Metaph. Disp. 7. Sect. 2.* — Legesis totam sectionem, quin etiam sectionem 1am, et *Disp. 31, Sect. 6.*

tua, etiam in individuo, realis distinctionis sit signum non dubium, alii requirunt, ut separabilitas illa nequeat obtineri *sine aliqua intrinseca et vera mutatione subiecti, quod permanet;* alii, *ut subiectum manens realem et absolutam perfectionem amittat* [1]. — Verum haec, nisi solum in sensu exclusivo aut de conditione omnino necessaria intelligantur, non quidem falsa, sed certissime sunt inadaequata. Si per separationem aut separabilitatem amitteretur perfectio absoluta, uti fit in separatione partis integrantis a toto heterogeneo, aut actus intelligendi et volendi a subiecto, in sententia ponente actus illos esse qualitates absolutas; abs dubio inter totum et partem illam, interque subiectum illosque actus dabitur distinctio realis, sed distinctio realis maior, *seu rei a re.* At vero, praeter realem hanc distinctionem, datur distinctio realis minor seu modalis, aut *rei a reali modo*, v. g. *figurae rotundae a cera*, quae in re et independenter a quolibet cogitante, ac proinde *realiter* locum aut habet aut potest habere. — Item separabilitas coniuncta cum intrinseca mutatione subiecti, signum indubium est realis distinctionis intrinsecae; sed non excludit realem distinctionem extrinsecam, quae nimirum in re et independenter a qualibet mente cogitante locum aut habet aut potest habere inter rem et formas extrinsecas, quibus extrinsecae denominationes fulciuntur: sic, cessante actu Petri diligentis Ioannem, sive quis cogitet sive non, Ioannes non est actu dilectus a Petro. Denominatio ergo *actu dilecti a Petro* non est aliquid Ioanni identicum, sed realiter distinctum. Cognoscitur autem realiter distincta *etiam ex hoc*, quod potest a Ioanne realiter separari. Itaque ubicumque datur realis separabilitas in individuo, et quatenus datur realis separabilitas, necessario proportionata datur realis distinctio, maior aut minor, intrinseca aut extrinseca, substantialis aut accidentalis, prout illa sunt, quae in ordine reali aut physico separari posse certo constat. — Ratio vero generalis est, quod repugnat ut idem separetur realiter a seipso, dum idem realiter manet; esset enim simul et non esset. — Nec quidquam valet, quod affertur de actu divini intellectus res contingentes intelligentis. In actu enim divini intellectus entitative inspecti nulla est separabilitas: separabilitas tota est in termino qui, si contingens sit, absolute potest et non potest terminare actum illum prorsus immutabilem, et ratione termini ipsi actui divino, *actu mentis nostrae*, denominatio illa tribuitur. Terminus igitur, mundus hic v. g., potest separari realiter extrinsece ab hac forma, quod sit intellectus aut libere volitus a Deo, atque porro ab illa intellectione aut volitione divina realiter extrinsece revera distinguitur; uti realiter extrinsece distinguuntur omnia accidentia extrinseca a suis subiectis, v. g. tunica a subiecto tunicato. Universim ergo ubi datur realis duorum separabilitas in individuo, ibi etiam necessario datur proportionata realis distinctio; uti ubi datur realis identitas, et quatenus datur rea-

Separabilitas non mutua an distinctionis realis signum?

Cum positivae perfectionis amissione coniuncta.

Coniuncta cum intrinseca mutatione

Realis separabilitas semper realis alicuius distinctionis signum.

[1] Cfr. Schiffini, *Op. laud. Tom. 1. Met. Gen. Disp. 2. Sect. 2. n. 466.* — Pesch, *De Verbo Incarnato, Tom. 4. nn. 33. 34. etc.*

lis identitas, ibi necessario datur realis inseparabilitas non solum mutua, sed etiam non mutua: quod ratione divinarum personarum dictum volumus praecipue. Personae enim divinae, quatenus realiter inter se distinguuntur, relativa ipsa oppositione a se sunt realiter separatae: cum tamen eaedèm personae sint realiter idem in essentia, cum qua singulae realiter identificantur, in absoluto neque separantur, neque possunt unquam realiter separari, et consequenter nequit unquam *ex hoc capite* cognosci eas inter se esse realiter distinctas.

Distinctio realis positiva, negativa, mixta.

78. Distinctio realis alia *positiva* est, alia *negativa*, alia *mixta*. Positiva est, quae intercedit inter duo extrema positiva, quorum unum a parte rei non est aliud v. g. inter duos homines, inter animam et corpus. Negativa locum habet inter duo vel plura extrema negativa, quorum item unum a parte rei aliud non est v. g. inter duas privationes aut negationes, inter silentium et tenebras. Mixta occurrit inter duo extrema, quorum unum a parte rei positivum est, alterum negativum v. g. inter lucem et tenebras, inter ens reale et non ens. — De data divisione, prout includit distinctionem negativam et mixtam, quae in usu etiam D. Thomae sunt [1], praecipit Suaresius: « Illud est in hac distinctione observandum, solere distingui *in positivam et negativam :* quae partitio non tam ex parte ipsius distinctionis, quam extremorum eius data est. Distinctio enim ipsa formaliter semper in negatione consistit, ut supra dictum est; tamen haec negatio intercedit aliquando inter res positivas et reales, quarum una non est alia, et tunc dicitur distinctio positiva, et haec est propria distinctio realis, de qua nos loquuti sumus. Aliquando vero consideratur talis distinctio *inter ens* et *non ens*, aut inter *non-entia omnino diversa*, et tunc vocatur *distinctio realis negativa*, quia unum illorum extremorum non habet realitatem, quam habet aliud, si ens positivum et reale sit; vel, si utrumque sit ens privativum, ut tenebrae et caecitas, quia ita separantur et distinguuntur inter se quod, si positivae res essent, realiter distinguerentur; vel certe quia fundamenta habent realiter distincta, in quibus suo modo esse censentur. Unde haec distinctio negativa per proportionem vel analogiam ad positivam intelligenda ac declaranda est » [2].

Suarez.

Distinctio numerica, specifica.

79. Omissa distinctione reali negativa, distinctio realis positiva ex doctrina D. Thomae superius relata, quaeque saepissime in omnibus aliis eius occurrit operibus, aliquando se tenet ex parte materiae et est distinctio numerica aut individualis; aliquando vero ex parte formae, et audit distinctio specifica aut universalis. Porro altera haec distinctio in naturalibus dupliciter locum habet. Scribit S. Doctor: « In rebus naturalibus distinguitur aliquid per formam suam ab alio dupliciter. Uno modo *secundum directam oppositionem formae ad formam*, et hoc modo distinguitur unaquae-

D. Thomas.

---

[1] *Summ. Theol. 1. p. q. 17. a. 4.* et *q. 3. a. 3.* etc. et ubicumque agit de oppositione, praesertim contradictoria.

[2] Suarez, *Metaph. Disp. 7. Sect. 1. n. 2.*

que res naturalis ab omnibus speciebus sui generis, quae habent formas oppositas, secundum quod genus dividitur oppositis differentiis; sicut saphirus sua forma distinguitur ab omnibus aliis speciebus lapidum. Alio modo distinguitur res naturalis per suam formam *secundum habere et non habere*, et hoc modo quod habet formam aliquam naturalem distinguitur ab omnibus non habentibus formam illam; sicut saphirus per suam formam naturalem distinguitur non solum ab aliis generibus lapidum, sed a speciebus animalium et plantarum »[1]. Distinctio vero prior, seu numerica subdividitur in *adaequatam* et *inadaequatam*, prout duo vel plura individua distinguuntur vel *secundum se tota* v. g. binae domus; vel *secundum aliquid sui*, uti est distinctio domus a determinato cubiculo. Huiusmodi inadaequata distinctio dicitur etiam *includentis* et *inclusi*. — Ad haec, distinctionis realis celebris etiam divisio est *in realem absolutam*, et *realem modalem*. Prior illa intercedit inter duas res absolutas, quarum realis identitas negari debet, v. g. inter binas arbores. Altera vero locum habet inter rem eiusque modum, seu affectionem quamlibet ipsam determinantem sive in ordine ad esse, sive in ordine ad operationem v. g. inter ceram eiusque figuram rotundam, inter facultatem vitalem cognoscentem aut volitivam eiusque actum, si actus vitalis, uti quibusdam placet, qualitas modalis sit, non qualitas absoluta. Huiusmodi distinctionem realem esse exinde patet quod, independenter a quolibet intellectus conceptu, illa figura in cera est, et ille actus in sua facultate; atque item absque mentis operatione cera potest in rerum natura permanere, amissa rotunditatis modificatione, et eodem pacto potest remanere facultas cessante actu; quod ex dictis realis distinctionis indubium signum est. Verum quandoquidem modus multum deficit a perfectione entitatis absolutae, distinctio realis absoluta dici solet *distinctio realis maior*, distinctio autem modalis *distinctio realis minor*.

Distinctio realis absoluta, modalis.

Distinctio realis maior et minor.

80. Quae spectant pleniorem intelligentiam distinctionis rationis eiusdemque divisionis placet ex Suaresio derivare. Distinctio rationis, *ait:* « Est illa quae formaliter et actualiter non est in rebus, quae sic distinctae denominantur, prout in se exsistunt, sed solum prout substant conceptibus nostris, et ab eis denominationem aliquam accipiunt; quomodo distinguimus in Deo unum attributum ab alio, vel relationem identitatis a termino, quando dicimus: *Petrum esse eundem sibi*. Haec autem distinctio duplex distingui solet: una, quae non habet fundamentum in re, et dicitur *rationis ratiocinantis;* quia oritur solum ex negotiatione et operatione intellectus: alia, quae habet fundamentum in re, et a multis vocatur *rationis ratiocinatae*, quamvis haec vox, sicut impropria valde est, ita et aequivoca esse potest. Nam distinctio rationis ratiocinatae sic dicta existimari potest, quia in re ipsa praeexsistit antequam ratiocinetur, ut quasi ex se ratiocinata dicatur, so-

Distinctio rationis ex Suaresio.

ratiocinantis.

ratiocinatae.

[1] D. Thomas, *Quodlib. 4. q. 4. a. 7. corp.*

lumque requiratur ratio ad illam cognoscendam, non vero faciendam; solumque dicatur distinctio rationis et non realis, quia non est tanta, neque per se tam patens, sicut realis, et ideo requirat attentam operationem rationis ad distinguendam illam. Sed explicata significatione huius vocis iuxta hanc etymologiam, talis distinctio non est vere distinctio rationis, de qua nunc agimus, sed coincidit cum distinctione ex natura rei, de qua statim dicemus. Alio ergo sensu dici potest distinctio rationis ratiocinatae: *rationis* quidem, quia actu et formaliter non est in rebus, sed per rationem fit aut excogitatur; *ratiocinatae* vero, quia non est omnino ex mero opere rationis, sed ex occasione, quam res ipsa praebet, circa quam mens ratiocinatur. Unde fundamentum, quod dicitur esse in re ad hanc distinctionem, non est vera et actualis distinctio inter eas res, quae sic distingui dicuntur, alias non fundamentum distinctionis, sed distinctio ipsa antecederet; sed esse debet vel eminentia ipsius rei, quam sic mens distinguit, quae a multis appellari solet virtualis distinctio; vel certe habitudo aliqua ad res alias vere et in re ipsa distinctas, penes quas talis distinctio excogitatur, seu concipitur ».

Utriusque membri divisionis declaratio.

81. « Haec autem duo distinctionum rationis genera, quamvis ab aliis aliter explicentur, commode tamen possunt in hunc modum declarari, nimirum ut distinctio rationis ratiocinantis sit in ordine ad eundem conceptum adaequatum seu simplicem eiusdem rei solum per quandam repetitionem vel comparationem eius, quae in mente sit. Sic enim distinguitur Petrus a se ipso vel in ratione subiecti et praedicati, quando de seipso enunciatur, vel in ratione termini et subiecti relationis, quando idem sibi dicitur; in his enim et similibus distinctionibus rationis idem est atque integer conceptus Petri, solumque fit quaedam repetitio et comparatio eius. At vero posterior distinctio rationis fit per conceptus inadaequatos eiusdem rei: nam licet per utrumque eadem res concipiatur, per neutrum tamen exacte concipitur totum id quod est in re, neque exhauritur tota quidditas et ratio obiectiva eius, quod saepe fit concipiendo rem illam per habitudinem ad res diversas vel ad modum earum; et ideo talis distinctio semper habet fundamentum in re, formaliter tamen dicetur fieri per conceptus inadaequatos eiusdem rei. Sic distinguimus in Deo iustitiam a misericordia, quia non concipimus simplicissimam virtutem Dei, prout in se est et secundum totam vim suam, sed eam conceptibus partimur in ordine ad diversos effectus, quorum est principium illa eminens virtus, vel per proportionem ad diversas virtutes, quas in homine invenimus distinctas, et eminentissimo modo reperiuntur unitae in simplicissima virtute Dei ».

Rationis distinctio non exinde dicta, quod inter entia rationis versatur.

82. « Ex quibus intelligitur primo, distinctionem rationis non appellari eo quod inter entia rationis versetur, in quo multi decepti sunt, ut postea videbimus. Constat enim ex dictis exemplis, ea, quae sic distingui dicuntur, entia realia esse, vel potius ens reale diversis modis conceptum. Et ratione etiam id patet; quia ratio non fingit entia, quae sic distinguit, sed solum per mo-

dum distinctorum concipit quae distincta non sunt. Ergo non ea, quae distinguuntur, sed sola ipsa distinctio per rationem resultat. — Nec tamen mens fallitur sic distinguendo; quia non affirmat in re esse distincta, quae sic concipit, sed simpliciter et absque compositione, seu affirmatione aut negatione, ea concipit ut distincta per abstractionem praecisivam, per quam quasi efficit huiusmodi distinctionem. Quod si postea, per reflexionem vel compositionem, illam praedicat de rebus sic conceptis, non affirmat simpliciter illas esse distinctas, sed tantum secundum quid, id est secundum rationem. Quamquam autem distinctio haec non requirat extrema, quae in se sint entia rationis, semper tamen supponit in eis aliquam denominationem rationis, qualis est denominatio subiecti aut praedicati, vel saltem esse sic concise vel inadaequate concepta. Ex quo etiam fit ut, licet haec distinctio non requirat extrema, quae absolute sint entia rationis, possit tamen etiam inter illa fingi et excogitari. Nam ens rationis semel conceptum potest ad seipsum comparari, et sic ratione distingui. Imo et relatio speciei v. g., quamvis in se unum numero ens rationis sit, adaequate respiciens omnia individua; potest etiam praecise concipi ut ad unum vel aliud terminatur, et sic ratione distingui. Quamvis ergo distinctio rationis non requirat entia rationis ut extrema, neque inde denominetur; potest tamen ad illa extendi seu in illis versari ».

Potest tamen etiam inter entia rationis haberi.

83. « Ex quo ulterius intelligitur, distinctionem rationis dupliciter dici posse seu denominari: primo *intrinsece*, nimirum quia in se non est vera distinctio, sed concepta solum seu ratione conficta, et haec est propria distinctio rationis, de qua loquimur: alio tamen modo potest distinctio rationis dici quasi *extrinsece* ab extremis, in quibus versari intelligitur; ita ut distinctio rationis dicatur quae inter extrema seu entia rationis omnino versatur; et haec non semper est distinctio rationis priori modo, sed tunc solum quando circa idem ens rationis versatur, ut explicatum est. Possunt autem interdum distingui duo entia rationis, quae non possunt dici proprie realiter distingui, quia entia realia non sunt; tamen neque etiam dici possunt ratione distingui proprie et intrinsece, quia eo modo quo sunt, non iam ex fictione rationis, sed ex se vere distinguuntur. Nam cum distinctio negatio sit, communis esse potest etiam fictis entibus, et ita potius est illa distinctio quasi realis, sicut supra dicebamus de distinctione inter tenebras et caecitatem. Similis enim intelligitur inter relationem speciei ad individua, quae concipitur in natura humana ad sua individua, et in equina ad sua; ita enim comparantur illae duae relationes inter se, quod si reales essent, realiter essent distinguendae; habent enim fundamenta et terminos realiter distinctos ».

Undenam proprie dicta distinctio rationis?

84. « Ultimo ex dictis intelligitur, distinctionem rationis propriam et intrinsecam, de qua loquimur, proprie et per se non esse nisi medio intellectu concipiente res imperfecte, abstracte, confuse vel inadaequate. Quia cum haec distinctio non sit in re, neque in obiecto cognito, solum consistit in quadam denominatione a

Distinctio rationis semper opus mentis.

conceptibus mentis, et ideo requirit distinctionem saltem in ipsis conceptibus et in denominatione, quae ab illis sumitur. Haec autem distinctio conceptuum respectu rei, quae in se omnino una est, nunquam est, nisi ob imperfectionem ipsorum conceptuum. Quapropter intellectus divinus per se non proprie facit distinctionem rationis, quamvis comprehendat illam, quae ab intellectu finito et imperfecte concipiente fieri potest »[1].

Sitne de conceptu distinctionis rationis praecisiva abstractio *obiectiva*, an *formalis?* Lossada.

85. Optime sane et amplissime haec de distinctione rationis a Suaresio dicta videri possunt. Ut autem melius intelligantur, aliqua a nobis sunt plenius declaranda. Ac principio quidem, cum *abstractione praecisiva* distinctio praesertim rationis ratiocinatae locum habeat, vigeatque inter conceptus rei unius eiusdemque, quaeri potest: *De qua praecisiva abstractione sermo est, de obiectivane an solum de formali?* Ut huic quaestioni respondeamus, monendum censemus ex P. Lossada quod: « Praecisionis nomen, a materiali scissione derivatum, tribuitur illis actibus intellectus, qui ex praedicatis realiter identificatis unum sibi quodammodo decerpunt ac repraesentant, omissis aliis. Quod si praecisio proprie divisionem efficiat in obiecto, id est, si *cognitio praecisiva ita unum attingat praedicatum obiecti, ut cetera realiter identificata vere relinquat incognita et intacta*, vocatur *praecisio obiectiva*, sive *praecisio ex parte obiecti*. Si vero *cognitio attingat reipsa totam realitatem obiecti, cunctaque praedicata ab eo realiter indistincta, sed adeo tenui repraesentationis claritate, ut vi illius perinde appareat obiectum, ac si unicum praedicatum haberet*, appellatur *praecisio formalis*, sive *praecisio ex parte actus*, vel *ex parte modi*. Exempli gratia, cognitio « *animal* » erit praecisio obiectiva, si per eam talis divisio fiat in entitate hominis, ut realitas *animalis* maneat attacta, cognita, repraesentata, et realitas *rationalis* vere maneat non attacta, non cognita, non repraesentata: erit autem praecisio formalis, si totam hominis entitatem attingat, sed imperfecta ac tenui claritate, perinde ac si homo foret duntaxat animal, et nihil aliud »[2].

Respectus historicus.

86. His itaque praenotatis, haec saeculo superiori celeberrima quaestio inter Scholasticos Doctorum animos in duas partes divisit, stantibus aliis pro *praecisione obiectiva*, aliis pro *formali*, uti videre est apud P. Lossada modo laudatum. Nostris autem temporibus quaestio *fere* oblivioni tradita est, ut eam recentiores plerique ne attingant quidem, atque unus sic attingat, ut videatur prorsus quaestioni non studuisse, certo certius vero eam non intellexisse. Inter paucos qui pleniori quadam ratione, saltem eruditionis ergo, de ea disquirunt, P. Urráburu salutandus est[3] qui, non sine ratione, ipsi D. Thomae praecisiones vindicat obiectivas.

Opinionum fundamenta.

Qui stant pro praecisionibus formalibus, moventur maxime quod secus contradictioni locus esset, quandoquidem in opposita sententia res una eademque obiective simul esset cognita et non co-

---

[1] Suarez, *Metaph. Disp.* 7. *Sect. 1. nn. 4. 5. 6.* 7. *8.*
[2] Lossada, *Cursus Philosophicus Salmanticensis p. 1. tom. 2. Disp. 1. c.* 7.
[3] Urráburu, *Ontologia, Disp. 2. c. 2. art. 6. n. 110. seqq.*

gnita. Quibus vero arrident praecisiones obiectivae, innituntur tum facto conscientiae, quod nos dum praecisive *animal* cogitamus, *rationale* in homine ipsi realiter identicum nullo pacto cogitamus; tum rationi, quod species impressa animalis rationale non repraesentat; tum quod res una eademque, sub diversis respectibus quodammodo obiective multiplex, potest abs dubio diversis conceptibus praecisivis repraesentari, quibus respondeant sin minus diversae res, saltem rationes obiectivae diversae; quae cum oppositae quodammodo aut diversae rationis entitatem constituant, una repraesentata, non necessario aliae debent, utut diminute, repraesentari.

Admittendae praecisiones obiectivae.

87. Negari nequit hanc alteram sententiam meliori fundamento superstructam videri et omnino esse amplectendam. Ut autem eam declaremus, atque oppositae sententiae in concordiam revocentur, damus libenter primae sententiae non posse dici sine contradictione unam formalitatem realiter alteri identicam esse cognitam, quin altera identice aut materialiter cognita sit, seu quin sit cognitum id, quod alteram formalitatem constituit. At vero hinc non licet inferre alteram formalitatem esse formaliter aut signate cognitam, seu cognitam esse ipsam formam aut rationem propriam, et quidem explicite, utut diminute seu minus clara cognitione, qua haec altera formalitas in suo esse constituitur et ab illa distinguitur, atque adeo quodammodo illam negat. Quamvis enim huiusmodi praecisio ac quodammodo separatio opus proprie rationis sit; ipsa tamen iam facta, una formalitas sic se signate repraesentat, ut alteram non solum non contineat, sed quodammodo a se excludat. Nequit ergo ipsa sub tali praecisione formaliter alteram repraesentare; nec, ipsa signate cognita, alteram signate cognoscendam exhibere. Sic si praecisive inspiciatur *animal* utique hominis, sed formaliter quatenus dicit *vivens sensu praeditum;* quamvis hoc animal realiter sibi identificet *rationale*, sub illa tamen praecisione a rationali distinguitur atque adeo ipsum formaliter de se negat aut a se excludit. Argumento itaque: *Nequit cognosci animal hominis, quin cognoscatur rationale;* in forma respondendum est: *Quin cognoscatur rationale materialiter et identice*, Conc. *Formaliter et signate, utut diminute*, Nego.

Declaratur et probatur assertum.

Respondetur argumento adversariorum.

88. Animadvertendum praeterea est in distinctione rationis ratiocinatae considerari posse et *fundamentum*, et *formam* qua ipsa constituitur. Iam fundamentum esse potest vel rei, inter cuius praedicata varia distinctio asseritur, plane intrinsecum, vel contra ipsi extrinsecum. *Intrinsecum* erit, quum eius eminens aut superior perfectio aequivalet pluribus perfectionibus, quae distinctae inveniri possunt aut inveniuntur in rebus aliis; id quod locum habet in divinis attributis aut perfectionibus simpliciter simplicibus, in anima humana quoad gradus metaphysicos, atque ita porro. Erit autem *extrinsecum*, ubi ratio distinctionem fundans inter praedicata realiter identica alicuius rei huic erit extrinseca, v. g. effectus varii ab una et eadem re producti, operationes diversae, termini quos respicit res una eademque. Sic in Deo distinguimus

Distinctionis rationis ratiocinatae fundamentum.

Intrinsecum.

Extrinsecum.

etiam misericordiam a iustitia ex effectu misericordiae et iustitiae; in anima humana intellectum a ratione ex diverso agendi aut tendendi modo; in ente rationem veri a ratione boni ex diverso ordine, quem praesefert ad intellectum aut ad voluntatem. Intrinseci vero huius extrinsecive, sed tamen *realis*, ratione fundamenti, quod potest antecedere, imo *per se* antecedit omnem intellectus actum, utpote talis actus obiectum exsistens, atque adeo independenter ab actu mentis esse potest in rerum natura, distinctio rationis ratiocinatae quodammodo *distinctio realis* aut *fundamentaliter realis* dici potest, et aliquando a D. Thoma distinctio realis dicta est, uti suo loco videbimus.

Ratione fundamenti distinctio rationis ratiocinatae dici potest *realis*, aut *fundamentaliter realis*.

Distinctionis rationis ratiocinatae *forma*.

89. Supposito reali, ut diximus, fundamento, *forma* distinctionis rationis ratiocinatae ex proprio et formali intellectus actu habetur, quatenus mens, ex vi illius, duplici modo distincto unam et eandem rem concipit et effert. Hoc autem tunc proprie fit, quando membra, inter quae formalis distinctio asseritur, exhibent per sese diversas, uti aiunt, *definibilitates*, seu efferri possunt conceptu proprio et definitione formali diversis; aut aliter, quando eorum quodlibet, si oporteret ipsum formaliter definire, non egeret *in recto* definiri per aliud, quamvis nihil impediat quominus unum definitionem alterius ingrediatur *in obliquo*. Hac ratione in homine differunt animalitas et rationalitas, quarum altera est: *radix et principium sentiendi*, altera: *radix et principium ratiocinandi;* item humanitas et petreitas in Petro, quarum prima est: *id, quo Petrus est homo;* altera vero: *id, quo humanitas contrahitur ad hoc individuum hominis.* — Contingit tamen aliquando, ut huiusmodi rationes nequeant perfecte et adaequate prorsus concipi et definiri, earum altera non concepta aut definita, sed solum imperfecte et inadaequate, seu solum secundum id, quod innuunt explicite, non autem secundum id totum, quod formaliter sane, sed solum relate ad mentem imperfecte cognoscentem includunt implicite. Ubi id locum habeat, distinctio rationis ratiocinatae non poterit dici *adaequata*, sed solum *inadaequata;* hoc autem iuxta veram doctrinam D. Thomae, maxime obtinet in divinis perfectionibus absolutis [1].

Distinctio rationis ratiocinatae adaequata et inadaequata.

90. Inter bina huc usque declarata distinctionis membra, realis scilicet aut rationis, membrum nullum aliud medium communius Doctores agnoscunt: non desunt tamen aliqui oppositum sentientes. Scotistae enim et Thomistae aliqui mediam quandam distinctionem invehunt, quae neque realis sit neque rationis, quae tamen in re sit ante omnem actum intellectus. Audiatur imprimis Scotus, qui de distinctione divinam essentiam inter et personalitates intercedentem loquens, haec habet: « Dico..... quod ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, et ratio essentiae, ut essentiae, *habent aliquam distinctionem praecedentem omnem actum intellectus creati et increati.....* Et intelligo sic *realiter*, quod nullo

Distinctio media inter realem et rationis.

Scotus.

[1] Cfr. Piccinelli, *Disp. Metaphysicae* De Deo, *Disp. 1. q. 3. Sect. 2. § 2.* et *Disp. 2. prooemio.* — De Deo Uno et Trino, *In 1.am p.em D. Thomae, Disp. 1. Sect. 2. q. 3. § III. n. 149. seqq.*

modo per actum intellectus considerantis; imo quod talis entitas (*realis essentia communicabilis*) esset ibi (*in supposito incommunicabili*), si nullus intellectus consideraret: et sic esse ibi, si nullus intellectus consideraret, dico esse ante omnem actum intellectus ». Subinde vero: « Sed numquid haec distinctio dicetur *realis* ? Respondeo: non est proprie *realis actualis*, intelligendo sicut communiter dicitur realis actualis illa, quae est differentia rerum et in actu; quia in una persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem divinam: et sicut non est realis actualis, ita nec est realis potentialis; quia nihil est ibi in potentia, quod non est in actu. Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quod *ratio* accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundum quod quidditas est obiectum intellectus. Vel alio modo potest vocari differentia virtualis; quia illud quod habet talem distinctionem in se, non habet rem et rem, sed est una res habens virtualiter et eminenter quasi duas realitates; quia utrique realitati, ut est in illa re, competit illud proprium, quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta. Ita enim haec realitas distinguit, et illa non distinguit, sicut si ista esset una res, et illa alia res..... Breviter igitur dico, omittendo illa verba de distinctione rationis et de distinctione virtuali, non quia sint male dicta, sed quia non oportet eis uti; dico quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, et est entitas B, et haec non est formaliter illa, ita quod intellectus paternus, considerans A et considerans B, habet *ex natura rei*, unde ista compositio sit vera: *A non est formaliter B*, non autem praecise ex aliquo actu intellectus circa A et B..... » [1].

91. An haec, praeter distinctionem rationis ratiocinatae quam *fundamentalem* diximus, plus quid innuant, incertum est. Praesertim cum Scotus aperte dicat admitti posse dari in Deo unam rem supereminentem, quae virtualiter pluribus aequivaleat, nec ipsam distinctionem rationis dedignetur, quamvis subinde alias et alias innuat formales entitates. Quidquid vero sit de ipso Scoto, Scotistae certe suum magistrum et ducem interpretati distinctionem mediam invehunt, seu aiunt distinctionem universim dividendam esse in eam, quae non est per opus rationis, et eam quae ope rationis tota consistit. Priorem vero dividunt in formalem, realem et modalem, prout a parte rei et ante opus rationis dantur vel in una et eadem re plures formalitates aut conceptibilitates, quarum altera alteram non includit, aut saltem una non est alia, quamvis ipsam includat; vel in uno et eodem subiecto res binae; vel demum in uno et eodem ente res et modus physicus. Primo modo dicunt distingui in divinis absolutum et relativum, in homine animalitatem et rationalitatem, vel animalitatem et humanitatem; secundo modo animam et corpus; tertio pacto ceram eiusque figuram

Scotistae.

[1] Scotus, *I. Dist. 2. q. 7. circa finem.*

rotundam. Sed de hac tota re consulendus est Mastrius, qui eam in sensum omnem versat, quamvis optatam non contingat metam [1].

Thomistae aliqui.

92. Thomistae etiam aliqui inter bina illa distinctionis membra tertium quoddam adstruere conati sunt; seu distinctionem aut quasi-distinctionem antevertentem intellectus actui triplicem agnovere, quarum primam *virtualem*, alteram *realem*, tertiam *modalem* appellarunt. Intelligunt autem per distinctionem virtualem aequivalentiam distinctionis realis, seu: *intrinsecam capacitatem unius eiusdemque eminentioris entitatis suscipiendi praedicata contradictoria et definitiones formaliter diversas, aut determinandi conceptus formaliter diversos.* Quae distinctio virtualis a virtuali alia, quam communiter Doctores admittunt, eo differt, quod adstruat entitatem eminentiorem pluribusque perfectionibus, quae in aliis divisim aut imperfectiori modo continentur, aequivalentem, ex sese ac sine ope rationis praecise cognoscentis, posse suscipere sine contradictione praedicata contradictoria formaliter inspecta: altera negat. Ex vi distinctionis virtualis intrinsecae una et eadem entitas, v. g. homo realiter inspectus, quia *animal est* independenter a conceptu mentis, dici potest formaliter sentire et non ratiocinari; quia vero independenter etiam a conceptu mentis *rationalis est*, dici potest formaliter ratiocinari et non sentire; dum ex vi distinctionis virtualis, quae communiter admittitur, istae praedicationes dicuntur locum non habere, nisi dependenter a conceptu mentis praecisive cognoscentis in homine animal, qua animal, et rationale, qua rationale. Thomistarum horum distinctio virtualis differt etiam a distinctione *formali ex natura rei* Scotistarum, quod haec in re una eademque agnoscit actu plures formalitates, quarum una non est alia; illa vero nonnisi unam eminentem entitatem depraedicat, quae secundum rationes obiective ab invicem formaliter praescindentes capax sit suscipiendi praedicata contradictoria, rationis auxilio nullatenus invocato [2].

In quo differant distinctio virtualis communiter admissa, distinctio virtualis quorundam Thomistarum aut virtualis intrinseca, et formalis ex natura rei distinctio scotica.

Nostrum non est huiusmodi distinctiones plenius sive declarare, sive refutare. Unum illud meminisse sufficiat, praeter difficultates non paucas nec facile solvendas, quibus obnoxiae sunt, eas non esse necessarias ad finem, propter quem excogitatae fuerunt, nimirum ad declarandum sive qua ratione in divinis et in praedicatis metaphysicis contradictoria de uno et eodem reali ente dici possint, sive quo pacto quae sunt realiter identica concipi ac definiri possint diverso conceptu formali diversaque formali definitione [3].

Munus nostrum.

Quid compositio.

93. Pauca nunc de compositione. Ubicumque datur distinctio aliqua, si eius membra ad unitatem redigantur, dabitur aliqua compositio, quae generalissima acceptione: *duorum vel plurium convenientiam* significat. Hoc sensu ait Angelicus: « Omne illud, in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum » [4]. Conce-

D. Thomas.

[1] Mastrius, *In lib. Metaph. Disp. 6. q. 7. art. 3. et q. 11. per totum.*
[2] Cfr. Lossada, *Logica, part. 1. tom.* vel *tract. 2. Disp. 1. c. 4.*
[3] Cfr. Piccirelli, *Disp. Metaph. De Deo, D. 1. q. 3. puncto 3. § 2.*
[4] *Summ. Theol. 3. p. q. 2. a. 4. ad 2um.*

ptu autem magis presso, compositio exhibet: *duorum vel plurium distinctorum unionem.* Quare Angelicus ait: « Cum compositio non sit nisi ex diversis, ipsa diversa indigent aliquo agente ad hoc ut uniantur... Omne autem compositum habet esse secundum quod ea, ex quibus componitur, uniuntur »[1]. Ac rursum: « Omnis compositio est unio »[2]. Quod si distincta illa plura ceu partes totum componentes possint haberi, atque ita quidem ut vel alia potentiae, alia actus rationem induat, vel partes omnes ad totum tanquam potentia ad actum possint comparari, tunc compositionis notio numeris omnibus ex Angelici praeceptoris doctrina absolvetur. Divinam totalitatem declaraturus: « Totum, *ait,* hic non accipitur *secundum quod ex partibus componitur;* sic enim Deitati congruere non posset, utpote eius simplicitati repugnans »[3]. Simili fere modo loquitur, ubi de compositione personae Christi peragit. Cum enim sibi obiecisset: « Omnis compositio videtur esse ex partibus. Sed divina natura non potest habere rationem partis, quia omnis pars habet rationem imperfecti. Ergo impossibile est quod persona Christi sit composita ex duabus naturis »; respondet: « Dicendum quod illa compositio personae ex naturis non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri; sicut omne illud, in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum »[4]. Tandem: « In omni composito qualicumque compositione oportet potentiam actui commisceri. In compositis enim vel unum eorum, ex quibus est compositio, est in potentia ad alterum, ut materia ad formam, subiectum ad accidens, genus ad differentiam, vel saltem omnes partes sunt in potentia ad totum. Nam partes ad materiam reducuntur, totum vero ad formam, ut patet in 2.° Physicorum »[5]. Ex quibus omnibus licet inferre, ex mente Doctoris Angelici compositionem proprie dictam esse: *Duarum vel plurium partium unionem ad totum aliquod efformandum*, atque adeo ex totius ac partium diversitate diversaque partium unione posse compositionem aliter atque aliter denominari.

Omnis compositio est unio plurium distinctorum.

Stricte partium.

Quarum alia potentia, alia sit actus.

Pressior compositionis notio.

94. Ut autem hanc Angelici praeceptoris doctrinam, quantum ad praesens attinet institutum, plenius declaremus, pauca sunt subiicienda. Cum compositio proprie dictam etiam partium unionem significet, ipsa partis unionisque notio penitius est vestiganda ut compositionis notionem funditus informemus. Age iam pars proprie est — α) ens incompletum — β) natura sua ordinatum ad totum aliquod cum aliis partibus per unionem efformandum — γ) ex qua unione et partes singulae perficiuntur — δ) et totum quod exsurgit, inadaequate ab singulis partibus distinguitur. Patent haec maxime in partibus essentialibus compositi naturalis, ubi ratio partis et totius, sicut etiam ratio compositionis plenissime obtinent. Ubi

Quid pars?

Compositio propria.

---

[1] QQ. DD. *De Potentia, q. 7. a. 1. corp.*
[2] *Idem, Ibidem, ad 10um.*
[3] *De Divinis Nominibus, c. 2. Lect. 1.*
[4] *Summ. Theol. 3. p. q. 2. a. 4. ad 2um.*
[5] QQ. DD. *De Potentia, q. 7. a. 1. corp.* — Cfr. *II. Dist. 17. q. 3. a. 1. corp.* — *De Veritate, q. 16. a. 1. ad 16.um* etc.

ergo huiusmodi entia habentur, quae per proprie dictam unionem aut *coaptationem realem unius ad alterum, tanquam actus ad potentiam, inter sese vinciuntur*, ibi etiam propriissima habetur compositio. Impropria. Quod si partes proprie dictae desint, sive quod non dantur plura realia entia inadaequata, sive quod abest eorum ordo naturalis ad totum, sive quod singula tali unione non aequaliter perficiuntur, utpote nullum ex aliis nacta complementum, sive demum quod totum resultans a componentibus nequit dici nè inadaequate quidem distingui, tunc compositio nonnisi latiori sensu locum habet. Animadversio. At vero ex quatuor hisce notis si secunda vel tantum, vel simul cum tertia desit, modo adsit prima quae necessario secum quartam deferet, compositio semper aderit, etsi non proprie et in toto rigore, et res exinde resultans dicetur composita: sic acervus lapidum, improprie quidem, sed tamen compositus dicitur, quamvis singuli lapides ad totum naturaliter non ordinentur, nec ex unione perficiantur; sic domus dicitur composita, quamvis ordo sit mere artificialis et partes nonnisi extrinsece perficiantur. Cum autem notio partis personae divinae nullo modo possit competere, etsi datur duarum naturarum realiter distinctarum unio in persona Verbi, Christi persona nonnisi latissimo sensu dici potest et de facto a Patribus dicitur physice composita.

Compositio realis aut physica. 95. Ubi partes reales sunt, atque porro inter ipsas realis etiam intercedit unio, ibi physica aut realis compositio obtinet, propria tamen aut impropria prout partes et unio propriae sunt, aut impropriae. Huiusmodi physicas realesve compositiones D. Thomas in aliis operibus alias memorat, quae si omnia in unum colligantur, videntur posse reduci ad compositionem — α) *ex partibus essentialibus*, ad quam referenda etiam est perfecta mixtio; — β) *ex partibus quantitativis, aut integralibus*, quae complectitur etiam mixtionem imperfectam, simplicem aggregationem, aggregationem cum ligamento et ordine, compositionem ex substantia et accidente; — γ) *ex partibus virtutis*, si haec ultima compositio in doctrina D. Thomae physica aut realis sit, non autem rationis aut metaphysica. D. Thomam loquentem audiamus: « Cum totum sit quod dividitur in partes, secundum triplicem divisionem est triplex totalitas. Est enim quoddam totum quod dividitur *in partes quantitativas*, sicut tota linea vel totum corpus. Est etiam quoddam totum, quod dividitur *in partes rationis et essentiae*; sicut definitum in partes definitionis, et compositum resolvitur in materiam et formam. Tertium autem totum est potentiale, quod dividitur in partes virtutis »[1].

Ex partibus essentialibus.

Ex partibus quantitativis.

Ex partibus virtutis.

D. Thomas.

96. Ubi deest propria ratio partium physicarum et physica aut realis unio aliqua inter eas, quatenus vel desunt incompleta quodammodo realia entia, vel si haec adsint, ab ipsis absit realis

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 76. a. 8. corp.* — Cfr. *De Veritate, q. 16. a. 1. ad 16.um* — *Summ. Theol. 2. 2. q. 48. a. 16. corp.* — *1. 2. q. 57. a. 6. ad 4.um* — *1. p. q. 8. a. 2. ad 3.um* — *3. p. q. 90. a. 2 corp.* — *II. Dist. 17. q. 3. a. 1. corp.*

unio, et solum adsit unio cogitata aut intelligibilis, ibi compositioni physicae aut reali sive propriae, sive impropriae, nullus esse locus potest. At si dentur rationes obiectivae fundamentaliter reali, quam vocavimus, distinctione aliae atque aliae, quae distinctis conceptibus formalibus possint exhiberi; haberi exinde poterit compositio metaphysica, quae prodit ex partibus non realiter, sed tantum formaliter distinctis, et terminatur in compositum aut totum metaphysicum. Huiusmodi autem totum non est proprie res aliqua composita, aut compositum ens realiter in natura exsistens; sed, uti saepe docet S. Doctor [1], est solum *aliqua ratio composita*, qualis est *humanitas*, aut quidditas omnis genere et differentia constans. Quare modo audivimus S. Doctorem aientem dari: « *quoddam totum, quod dividitur in partes rationis et essentiae, sicut definitum* (quod est totum rationis) *in partes definitionis, et compositum* (quod exhibet essentiam physicam) *resolvitur in materiam et formam* ». Definitum proinde recte dicitur *ratio composita.* Dicitur autem hic *ratio* (quod etiam ex Scoto superius didicimus) abstracta ipsa *quidditas*, aut *essentia rei*, quatenus rationis obiectum est aut esse potest; uti dici etiam solet *intelligibilitas*, quatenus intellectui cognoscenti potest obiici. « Primo considerandum est, *inquit Angelicus*, quod ratio cuiuslibet est, quam significat nomen eius, sicut ratio lapidis est, quam significat nomen eius. Nomina autem sunt signa intellectualium conceptionum: unde ratio uniuscuiusque rei, significata per nomen, est *conceptio intellectus*, quam significat nomen. Haec autem conceptio intellectus est quidem, in intellectu sicut in subiecto, in re autem intellecta sicut in repraesentato [2] ».

Compositio metaphysica.

D. Thomas.

Rei ratio et ratio composita.

97. Itaque compositio metaphysica et ratio composita proprie locum habent, ubi rationes obiectivae fundamentaliter distinctae exhiberi possunt adaequate conceptu proprio et definitione formali diversis. Si enim rationes hae differant solum secundum id, quod formaliter explicite dicunt, non autem secundum id, quod sive utraque ratio, sive alterutra implicite continent; illud, quod ex earum unione secundum rationem aflorescit, dici nequit *ratio composita*, uti earum *unio* dici proprie nequit, ne metaphysice quidem, *compositio.* Enimvero rationes hae, ne formaliter quidem, *partes* exhibent, nisi quia et quatenus uti partes cogitantur, cum ex sese utraque vel alterutra sint formaliter *totum.* Nequeunt ergo, ne metaphysice quidem, stricte componere. Exemplum prioris habes in divinis attributis, quae cum inter sese et ab essentia formaliter non differant nisi secundum explicitum a nobis imperfecte conceptum, ne metaphysice quidem ipsa composita sunt, nec componunt divinam essentiam. Exemplum vero alterius habes in divinis personis, in quibus cum personalitas, iuxta probabiliorem sententiam, de sui ratione seu formaliter sibi identicam habeat essentiam,

Quandonam locum habeant.

Quando non.

Declaratur in divinis attributis.

Et in divinis personis.

[1] Cfr. *Quodlib. 2. a. 3. ad 1um.*

[2] D. Thomas, *Opusc. IX. Edit. Rom. Responsio ad F. Ioannem Vercellensem, quaest. 1.* — Cfr. *Summ. Theol. 1. p. q. 15. a. 2. etc.*

quamvis ipsa de essentiae ratione, seu formaliter essentia non sit, non solum realiter sed ne metaphysice quidem sunt aut dici possunt compositae [1]. In his et similibus, uti communiter loquuntur Theologi ubi inquirunt de constitutivo divinae personae, dici potest dari unum *constitutum* et *una ràtio constituta*, et illae rationes formales obiectivae, quae inadaequate uti distinctae concipiuntur, vocari poterunt *constitutiva*. Porro facillime intelliget huiusmodi constitutionem in re imperfectionem nullam ponere, quisquis animadvertat constitutionem huiusmodi non haberi in ipsis rationibus formalibus, nisi ex eo quod mens nostra imperfecto modo potest eas percipere et de facto percipit. Quare imperfectio, si qua est, tota est in mente concipiente, non in re concepta [2].

Constitutum, ratio constituta, constitutiva.

98. Tandem si nullum omnino in re fundamentum sit ad distinguendas sive adaequate sive inadaequate rationes varias, sed mens vi sua distinctionem inducit in rem unam realiter formaliterque prorsus eandem; tum vi iterum sua si forte sic distincta ad unitatem redigat, aiendo v. g. *Ego sum ego ;* ex huiusmodi unione nullam habebimus nec rem, nec rationem compositam aut solummodo constitutam ; sed habebimus solam mentis compositionem, quae proinde tantum aderit, quantum ipsa erit cogitans, avolatura quam citissime, ubi ad rem aliam cogitandam se convertat. Hac autem in re notandum est iudicium mentis, quo rationis mere ratiocinantis uti distinctio, sic etiam compositio fit, spectari posse *subiective*, sive prout est affectio subiecti cogitantis et esse reale habet in mente; et *obiective*, seu prout est obiecti repraesentatio. Priori sensu, iudicium humanum, de quo proprie loquimur, quamvis nonnisi per rationem et in ratione habeat esse, non tamen praesefert inter suas partes solam distinctionem rationis, et in se solam compositionem rationis; sed ex actibus physice aut realiter distinctis, qui spiritali modo inter sese copulantur etiam physice, per veram et realem compositionem, quasi artificiosam, est et dici debet realiter compositum. Huiusmodi autem distinctio et compositio actuum in iudicio angelico ac multo magis divino nullo modo invenitur. Sub hoc respectu iudicium humanum est semper compositio, seu est semper actus compositus, sive de subiecto praedicatum affirmet, sive demum inficietur. At in iudicio obiective inspecto, si inter subiectum ac praedicatum neque realis, neque formalis, sive adaequata sive inadaequata detur identitas, inter ea realis aut formalis distinctio negando asseritur ; fit contra asserendo compositio aut realis aut formalis, si in re aut ratione obiectiva, duplici conceptu aut signo expressis, realis aut formalis detur identitas. Haec autem omnia, quamvis rationis ratiocinantis negotia sint, non exhibent solam distinctionem aut compositionem rationis ratiocinantis, imo exhibent per se distinctionem et compositionem sive realem, sive formalem pro diversa ra-

Compositio logica, aut mentis.

Notandum de iudicio humano.

Subiective inspecto.

Obiective inspecto.

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, In 1. p. D. Thomae, Disp. 1. Sect. 2. q. 3. § 3. n. 144.*

[2] *Idem, Ibidem, De SS. Trinitate, Disp. 4. Sect. 3. q. 40. §. 2. n. 183. et seqq.*

tione obiecti, uti facile intelligitur. Distinctio vero et compositio rationis ratiocinantis tunc proprie habetur, quando ratio ipsa ex se multiplicat terminos, et eos aut asserendo componit aut negando distinguit v. g. *Homo subiectum est homo praedicatum: Homo subiectum non est homo praedicatum.*

Quandnam stricte habetur compositio rationis ratiocinantis.

CAPUT V.

STATUITUR QUAESTIO.

99. His iam in antecessum praeiactis, licet ad quaestionem ipsam proponendam accedere. Eminentissimus Cardinalis de Lugo in opere inedito: « *De metaphysica* », cuius textus originalis in Biblioteca Legionensi in Hispania asservatur, transumptus autem Vallibus Anicii in Valsensi Seminario S. I., pro suo tempore, sequenti pacto quaestionem proponit:

Ex Card. de Lugo.

100. « Quaeritur: Utrum in Petro v. g. distinguantur esse hominem, seu esse animal rationale, et actu exsistere hominem? Homo enim pertinet ad Petri essentiam; quod autem non solum sit, sed exsistat homo, pertinet ad eius actualem exsistentiam. In hac quaestione duplex est, et utraque satis celebris et vulgaris sententia, licet in eis declarandis aliquantulum differant earum auctores. Prima est celebris sententia Thomistarum, qui dicunt ante ullam intellectus operationem distingui essentiam entis creati ab eius actuali exsistentia, et per consequens in Petro v. g. dari compositionem realem ex essentia et exsistentia. Auctores huius sententiae vide apud Vasquez [1], et apud Suarez [2] ».

De quo sit quaestio.

Duplex sententia.

Prima Thomistarum distinguens realiter esse ab essentia.

101. Auctores huius sententiae non omnes eandem distinctionem requirunt inter essentiam et exsistentiam. Quidam enim solum postulant distinctionem ex natura rei, seu modalem; dicunt enim exsistentiam non esse rem, sed modum rei exsistentis. Alii vero ponunt distinctionem omnino realem, quae versari solet inter duas res. Nam licet Vasquez, ubi supra, dicat a nemine concedi talem distinctionem inter essentiam et exsistentiam, sed omnes contentos esse distinctione modali; re tamen vera aliqui Thomistae plus exigunt, ut ex dicendis a fortiori constabit ».

Diversimode proposita.

Alii volunt esse distinctionem realem modalem.

Alii absolutam.

102. « Aliqui enim Thomistae adeo processerunt in hac distinctione, ut dixerint posse manere exsistentiam, destructa essentia; immo de facto ita contingere docuit M.er Banez [3], quem refert Suarez [4]: dixit enim, destructa substantia panis in Eucharistia, manere exsistentiam substantialem panis: quam sententiam postea, in secunda editione, retractavit, licet dicat adhuc posse probabi-

Banez.

---

[1] Vasquez, *In 3. p. D. Thom. tom. 1. Disp. 72. nn. 1. et 15.*
[2] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 1.*
[3] Bañez, *In 1. p. D. Thomae, q. 4. a. 2. dub. 2. (Edit. prior.).*
[4] Suarez, *In 3. p. D. Thomae, Disp. 49. Sect. 4.*

Thomistae alii.

liter sustineri. — Alii ulterius progrediuntur. Dicunt enim posse forte, de potentia absoluta, manere a parte rei essentiam absque ulla prorsus exsistentia; quos, suppresso nomine, refert Suarez [1]. Omnes tamen fere fatentur posse manere essentiam absque propria exsistentia, dummodo exsistat per exsistentiam alienam; immo de facto ita contingere in humanitate Christi Domini, quae non solum caret propria subsistentia, sed etiam propria exsistentia; subsistit enim et exsistit per subsistentiam et exsistentiam Verbi ».

Tertii.

103. « Rursum ex Thomistis aliqui dicunt exsistentiam substantiae esse aliquid substantiale; alii vero, quos refert Suarez, ubi supra, dicunt esse aliquod accidens vere et in rigore physico; alii denique dicunt neque esse accidens neque substantiam, in quod videtur inclinare Magister Banez [2]. Denique alii recentiores Theologi Salmanticenses ita distinguunt essentiam entis creati ab exsistentia, ut dicant exsistentiam rei permanentis esse modum intrinsece successivum, per quem res successive exsistit; aliud enim est exsistere hodie, et aliud exsistere cras. Quare licet eadem sit essentia Petri hodie et cras exsistens; non tamen est eadem exsistentia, per quam hodie et cras exsistit ».

Quarti Salmanticenses.

Secunda sententia non distinguens realiter esse ab essentia.

104. « Secunda et extrema sententia docet in nullo ente creato distingui realiter vel ex natura rei essentiam ab exsistentia; sed per eandem omnino realitatem Petrum esse hominem et esse exsistentem a parte rei: immo nec posse, etiam de potentia absoluta, exsistere per alienam exsistentiam, sicut nec potest aliquid formaliter esse per alienam essentiam. Ex quo etiam fit exsistentiam substantiae esse substantiam; exsistentiam accidentis esse accidens; totque debere numerari exsistentias in rebus, quot fuerint essentiae, sive ipsae sint reales, sive modales, sive completae, sive incompletae. Auctores pro hac sententia vide apud Vasquez et Suarez, ubi supra. Quam quidem sententiam amplectitur iam universa nostra Societas, et merito; habet enim pro se fortissima et insolubilia plane argumenta, quae oppositam sententiam vel reddunt improbabilem, vel talem, cuius probabilitatem nemo possit facile concipere et explicare » [3]. Huc usque Cardinalis de Lugo, et optime quidem pro temporibus suis.

Exsistentia substantiae substantialis, aut substantia, accidentis accidentalis seu accidens.

Societatis Iesu sententia

Quid nostris temporibus?

105. Nostris vero temporibus, qui secundae sententiae adhaerent, de re ipsa nihil discrepant a veteribus; quamvis iam illud dici amplius nequeat, nisi morali et latiori quadam ratione, universam Societatem nostram in eam ivisse sententiam, praesertim si recentissimorum scriptorum supputetur census. Quibus vero prior sententia in honore est, plus etiam minusve, ac veteres scriptores, in ea proponenda et propugnanda inter sese differunt, quamvis quisque se D. Thomae mentem acu tangere sibi ipsi blandiatur.

Em. Zigliara.

106. Atque, ut hinc ordiamur, minus accuratus in ea proponenda ac subinde probanda dicendus est Em. Cardinalis Zigliara. Scri-

[1] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 12. n. 1.*
[2] Bañez, *1. p. q. 3. a. 4. dub. 3. ad 2um.*
[3] De Lugo, *Metaphysica, Disp. 2. Sect. 1.*

bit enim: « Sed movetur quaestio subdifficilis, quae philosophos mirifice torquet et in contrarias sententias distrahit: utrum in rebus creatis essentia *realiter* distinguatur ab exsistentia? Affirmat S. Thomas, cuius sententiae universa eius Schola et plurimi extranei subscribunt: negat Durandus et Suarez, quos ut plurimum sequuntur recentiores philosophiae scriptores. Et cl. P. Palmieri in *Institutionibus philosophicis, ontologia, Cap. I. Thesis III*, ita cum his tenet, ut fideiter scribat: *Falluntur* CERTISSIME *qui inter eandem essentiam realem* (finitam) *et eius exsistentiam distinctionem invehunt realem;* et postea, in probatione *Thesis*, S. Thomae sententiam iterum dicit *evidenter falsam.* — Si quis autem attente consideret, de facili deprehendet quaestionis solutionem pendere ex hoc, quod definiatur, utrum in rebus creatis essentia realiter exsistat *vi essentiae, quatenus essentia est*, vel potius *vi realitatis distinctae ab ipsa*, hoc est *exsistentiae*, quae proinde realiter se habeat ad essentiam, sicut actus ad potentiam. In primo casu exsistentia dicenda esset aut ipsamet essentia, aut saltem pars essentiae rerum creatarum, et diceretur de ipsis *in primo modo dicendi per se*; in altero casu exsistentia dicenda esset *accidens* eiusdem essentiae realis. Non tamen *accidens*, quasi realis essentia stare possit sine exsistentia propria vel superiori, sed quatenus non est essentia neque pars essentiae, sed constituitur per principia essentiae quasi *proprium*, quod praedicatur de re *in secundo et quarto modo dicendi per se* »[1].

Male quaestionem proponit.

107. Haec non videntur satis accurate dicta. Nondum sane possumus, ex vi scientiae, impedire, quominus sententiam suam S. Thomae sententiam dicat. Ast quod pro contraria unum citat ex veteribus cum Durando Suaresium, et de recentioribus asserit Patrem Palmieri dicere *S. Thomae sententiam evidenter falsam*; haec plane, amplissimae suae dignitatis pace dicam, minus sunt veritati consentanea. Haud solum ex veteribus saepe temerarius Durandus, temeritatem quodammodo, in re praesenti, Suaresio aspersurus, eam tradidit sententiam; sed etiam plures Doctores alii, iique primi prorsus subsellii, uti mox erit videndum. P. autem Palmieri nusquam ac nullibi ait hac in re D. Thomae falsam esse sententiam, ac minus multo evidenter falsam; sed ab initio a D. Thoma praescindit; ubi autem ad D. Thomam ventum est, omnibus suo modo discussis, negat tandem opinionem distinctionis realis esse sententiam D. Thomae. En quid ipse scribit: « Provocatur tandem ad S. Thomae auctoritatem, cuius haec *dicitur esse sententia* ». Et, prolato celebri textu *ex c. 5. De Ente et Essentia*, peractaque disquisitione, tandem concludit: « Ceterum 3.° adeo est manifesta falsitas huius opinionis, ut nisi evidentissimis argumentis adacti inducere possimus animum ut credamus eam a S. Doctore vindicatam fuisse »[2]. Ac subinde probat D. Thomam illam sententiam non docuisse. Quare ergo et quomodo scriptum est P. Palmieri dicere *S. Thomae sententiam esse evidenter falsam?!* Utique tandem in

Animadversiones aliquot.

Prima historico-critica.

P. Palmieri.

[1] Em. Card. Zigliara, *Ontologia, lib. 2. c. 1. art. III. et IV.*
[2] Palmieri, *Ontologia, c. 1. Thes. 3. sub finem.*

NOTA Em. Auctor refert P. Palmieri contendere sententiam illam non esse S. Thomae sententiam. At vero quare hoc prius non dixit; dixit autem ipsum asserere *S. Thomae sententiam esse evidenter falsam?* Ad invidiam igitur quodammodo, spectata re sin minus loquentis intentione, verba illa videntur prolata. Quid vero de mente D. Thomae sentiendum sit, subinde videbitur.

Secunda doctrinalis.

108. Quod vero subdit, in re praesenti: « *quaestionis solutionem pendere ex hoc, quod definiatur, utrum in rebus creatis essentia realiter exsistat* VI ESSENTIAE, *quatenus essentia est, vel potius* VI REALITATIS *distinctae ab ipsa, hoc est exsistentiae* »; ut minimum dicam, minus accurate scriptum est. Quid enim est essentiam universim exsistere vi essentiae, nisi habere in se rationem suae exsistentiae et durationis, seu esse ens a se? Hac enim ratione dicimus omnes Deum exsistere vi essentiae suae, et habere quotquot in ipso sunt perfectiones absolutae simpliciter simplices. Cuinam autem unquam in mentem venit huiusmodi sensus, ubi movetur quaestio de re creata, quae proinde suae exsistentiae non in essentia sua rationem habet, sed in Dei creatione et conservatione?

Tertia in bonum sensum Em. Auctorem explicans.

Fateor Auctoris Em. verba posse sic intelligi: *utrum in rebus creatis essentia realiter exsistat*, id est, sit formaliter extra nihilum et extra causas, *vi essentiae, quatenus essentia est*, id est, se ipsa seu ipsa sola sua realitate, *vel potius vi realitatis distinctae ab ipsa, hoc est exsistentiae.* Hoc altero sensu verba Actoris Eminentissimi tolerabilia sunt, quamvis fatendum sit ea esse minus clara et accurata; verba enim illa: *vi essentiae, quatenus essentia est*, per sese male sonant prorsus. Ex hac autem minus accurata quaestionis notione factum forsan subinde est, ut in thesi probanda prodigiosa hercle protulerit argumenta, uti suo loco videbimus.

109. A modo proponendi quaestionem, quem in Em. Cardinali Zigliara non licuit omni ex parte probare, parum abludit P. Billot.

P. Billot.

Hic monet in antecessum τὸ esse, quatenus dicit actum essentiae, aliter competere substantiae, aliter accidenti; huic nimirum quatenus: *exsistenti inest seu inexsistit*, illi vero, quatenus: *substantia exsistit in se aut per se, id est subsistit.* Tum, declarato discrimine inter substantiam et subsistentiam, ut illa sit: *id cui competit esse in se*, haec autem: *illud quod habet esse in se;* monet subsistentiam aliquando apud veteres accipi concrete, ut sit idem ac *subsistens*, aliquando abstracte: *pro actu essendi, quo aliquod subsistit seu exsistit in se;* tandem subdit:

Sententiam suam proponit.

110. « Et de esse quidem accidentis in praesenti non est sermo, sed de solo esse substantiae; hoc autem esse est vel subsistens ipsum, vel certe formale principium subsistendi. Dixi, vel subsistens ipsum vel principium subsistendi; nam duobus modis intelligi potest substantiam exsistere in se, hoc est subsistere: vel quatenus *est* per identitatem sua exsistendi actualitas, vel quatenus *habet* suum actum essendi receptum in seipsa. Si primum, esse est subsistens, est purum, est absolutum seu liberum ab omni comprincipio realiter distincto, cuius sit actualitas. Si secundum, esse non est subsistens, sed formale principium subsistendi, et non

Quaerit de solo esse substantiae.

Monitum.

est purum, sed receptum in essentia individua ut in quadam reali essendi potentia; denique non est *id quod est*, sed tantum *id quo aliquid est*. Quaeritur ergo: utrum omnis actus exsistendi sit subsistens, hoc est irreceptus et per se stans, quod est quaerere: an omne ens quod est, sit per identitatem suum exsistere, adeoque an commentitia sit vel certe indemonstrata realis illa compositio, quam in creatis adstruimus, ex essentia nimirum et esse »[1]. Statuitur quaestio.

111. Verum enimvero si quis sit vel leviter in metaphysicis versatus, uti intelligi etiam potest ex iis, quae in superioribus ex D. Thomae doctrina praemonuimus, intelliget facillime auctorem in singulis fere periodis aut incisis, ut minimum dicam, aequivocatione laborare: qua posita, in probatione thesis illa eadem urget prodigialia argumenta, quae Em. etiam Cardinali Zigliara in usu sunt. Principio quidem ait esse substantiae: *vel est subsistens ipsum*, *vel formale principium subsistendi*. Si enim intelligit: vel est *subsistens ipsum*, id est, exsistens in se et per se ex vi suae essentiae seu a se, *vel formale principium subsistendi*, id est non quidem exsistens ex vi suae essentiae, sed exsistens uti productum ab alio tanquam formale principium subsistendi aut physicum aut metaphysicum; verum quidem dicit et quaestionem omni ex parte attingit, sed satis obscure loquitur. Si vero intelligit: *est subsistens ipsum*, id est, id quod utcumque subsistit aut in se et per se est, sive a se sive ab alio, aut est *principium formale physicum subsistendi*, falsum omnino docet, uti ex dicendis patebit, et quaestionem certe non proponit, sed suo sensu solutam supponit. Primum enim de subsistente sive *a se* sive *ab alio* falso asserit quod sit *purum*, quod sit *absolutum* etc. Tum quaero: De qua alia re agitur, nisi de hac: Utrum nimirum in ente participato et ab alio, quod proinde necessario limitatum est, una vel alia ratione multiplex esse potest, potentialitatem includit, non purum ens est, dependens et conditionatum est eo ipso, quod non a se, sed ab alio est: utrum nimirum in huiusmodi ente τὸ *esse*, quod nos concipimus ad modum principii formalis, sit principium formale physicum, an solum metaphysicum? — Aequivoca etiam sunt quae subdit: « *duobus modis intelligi potest substantiam exsistere in se, hoc est subsistere: vel quatenus* **est** *per identitatem* (realem solum, aut etiam formalem?) *sua exsistendi actualitas, vel quatenus habet suum actum essendi* (physicum aut metaphysicum?) *receptum* (proprie aut metaphorice?) *in seipsa*. Si enim per solam identitatem realem cum suo esse substantia *est;* in doctrina D. Thomae, uti suo loco videbimus, ac secundum veritatem, ipsa non est sua actualitas, sed *habet* ab alio suam actualitatem, quae in ipsa dicetur *recepta* proprie aut metaphorice, prout probabitur illam esse actum physicum, aut solum metaphysicum, aut etiam, iuxta aliquos, mere logicum. — Fit hinc ut maxime aequivocatione et obscuritate teneatur, ubi ait: *Quaeritur ergo: utrum omnis actus exsistendi sit sub-* Animadversiones aliquot. Prima. Secunda. Tertia.

[1] Billot, *De Verbo Incarnato, In 3. p. D. Thomae, c. 2. q. 2. § 1. n. 2.*

sistens, hoc est irreceptus. Quid est hoc? sit a se vel ab alio? an vero sit etiam necessario et formaliter in se, et nullo modo, ne formaliter quidem et metaphysice in alio? Priori modo quaestio verissime et optime posita est: at vero quis unquam eam hoc loco agitavit? Secundo modo attingitur sane quaestio praesens, sed ab auctore clare non proponitur, sed proponitur prorsus aequivoce. In eo vero quod addit subsignatis verbis: *irreceptus, et per se stans*, quod est quaerere: *an omne ens quod est, sit per identitatem suum exsistere*, aequivocationem notatam plane continuat.

o-Thomistae reqi.
id peccent?

112. Neo-Thomistae reliqui, quamvis eo peccent communiter, quod tanquam omnino ratam distinctionem realem essentiam actualem inter exsistentiamque creati entis exsistentis depraedicent, etiam antequam conati sunt eam distinctionem probare, ac minus multo probarunt reapse; tamen ubi de re ipsa agunt, quaestionem sane recte proponunt. Duobus autem, a pluribus saltem veteribus, differunt. Horum primum est, quod ipsi propriam suam concedunt accidenti exsistentiam, dum illi veteres dicebant accidens exsistere exsistentia subiecti. Alterum est, quod negant communiter realem essentiam exsistentiamve conservari posse seorsim in rerum natura, etiam de potentia Dei absoluta. Cum enim contendant realem essentiam exsistentiamque entia esse *ut quo aut quibus*, non autem ut *quod aut quae;* tum exsistentiam, quamvis aliquid reale sit, reale nihil essentiae addere, nisi *solam ipsissimam actualitatem*, qua caret per sese realis essentia, et quam ab una exsistentia potest formalissime nancisci; putant in nulla unquam hypothesi fieri posse, ut altera ab altera seorsim vel ab ipso Deo in rerum natura conservetur. Contradictorium enim est, ut realis essentia habeat simul et non habeat actualitatem; uti contradictorium est, ut exsistentia realis, quae essentialiter actus et solus actus est essentiae, huic conferat simul et non conferat suam actualitatem. Verum haec an et quousque dicantur recte, et ad mentem D. Thomae suis locis erit discutiendum. Confer, si lubet, quoad praesentem quaestionem P. De Maria, P. Remer et alios Neo-Thomistas in superioribus laudatos.

quo a veteribus
fferunt.

finitur quaestio.

113. Quaerimus ergo: In creaturis actu exsistentibus distinguiturne, et quomodo, earum essentia realis ab exsistentia: an vero secus? Seu, quod idem est: In creaturis actu exsistentibus daturne compositio aliqua, et qualis, inter realem earum essentiam et exsistentiam? Utraque quaestio eodem recidit. Si enim in creaturis exsistentibus datur inter realem essentiam exsistentiamque distinctio aliqua; cum ea in ipsis, facto productionis et conservationis, ad unitatem redigatur, proportionata consequenter dabitur compositio, uti superius praemonuimus.

aenam prae ocu-
habenda.

114. Ad huiusmodi vero quaestionem penitus intelligendam sequentia prae oculis habeamus oportet. Ac primo quidem dicimus: *In creaturis.* Quaestio enim nostra de ipsis tantummodo instituitur, ac nullo pacto de Creatore, seu Deo. Convenit plane nobis cum adversariis, in Deo nullam dari inter esse et essentiam distinctionem aut compositionem proprie dictam, neque physicam,

aestio non de Deo
t, sed de crea-
ris.

neque metaphysicam, sed meram prorsus simplicitatem; ita ut, cum Deus ipsum esse subsistens sit, etiam ex hac parte, uti ait Bernardus: « *Si dici potest*, UNISSIMUS *sit* »[1]. — Addimus vero: « *in creaturis actu exsistentibus* » ad proprium quaestionis subiectum determinandum. Nimirum quaestio nostra procedit de creaturis actu exsistentibus, non quod in creaturis aliis non exsistentibus aut possibilibus res alio modo se habeat aut possit habere; sed quod essentiam illam et exsistentiam, quas hic consideramus, uti actu positas consideramus. Conferimus videlicet realem et actualem exsistentiam creatam cum reali et actuali creata essentia, quatenus utraque in una et eadem re producta aut creata obtinet, sive haec res de facto exsistat, sive non. Quod autem dicimus de una re qualibet creata, de omnibus dicimus, siquidem pro creatis rebus omnibus eadem prorsus est ratio distinctionem illam compositionemque aut affirmandi aut negandi. Actu exsistentibus.

115. Quapropter in uno et eodem, ut actu posito, v. g. Angelo, homine, aut creatura alia qualibet quaestio nostra procedit. In hac autem inquirimus bina. Horum primum est: *Utrum essentia*, id est, *id quo in determinato genere*, *vel in determinata specie res actu constituitur*, *distinguatur ab exsistentia*, *seu ab eo quo constituitur in actu*, aut formaliter ponitur extra nihilum et extra suas omnes alias causas adaequate inspectas. — Huiusmodi quaestio, ut ex dictis potest intelligi, sic etiam posset efferri: *Utrum inter nihilum et rem exsistentem detur re aut ratione aliquid medium, quod neque sit nihil, neque sit exsistens; sed sit ipsa* v. g. *actualis essentia cum qua, ob connexionem aliquam sive mutuam*, *sive non mutuam*, *semper coniungatur exsistentia ;* atque adeo essentia haec non sit *seipsa formaliter exsistens*, sed exsistens *vi exsistentiae*, quam habet. Esset demum eadem quaestio, si quaereretur: *Utrum inter unius eiusdemque rei possibilitatem et exsistentiam, seu ultimam actualitatem in rerum natura*, *detur potentia aliqua passiva*, *non obiectiva aut logica*, *sed subiectiva aut realis ;* atque adeo utrum res quaelibet exsistens praeseferat aliquam compositionem ex illa potentia subiectiva, v. g. humanitate, angeleitate etc., et exsistentia seu actu, quo illa humanitas, angeleitas etc. fiat in hoc aut illo individuo exsistens in rerum natura? Bina quaeruntur. Primum est. Inde alius modus recte quaestionem proponendi. Alius item modus.

116. Priore quaestione sic declarata, cum negari nequeat et nemo dubitet inter essentiam mere possibilem et rem exsistentem seu realem exsistentiam dari distinctionem realem negativam seu mixtam, ad eum modum quo reale ens distinguitur a sui aut etiam subiecti nihilo; negari item nequeat creatam inter essentiam, non mere possibilem sed actuatam, eiusque exsistentiam aut actualitatem, distinctionem aliquam agnoscendam esse; atque porro agnoscendum esse aliquid re aut ratione medium inter nihilum et rem exsistentem; atque demum in re qualibet creata exsistente agnoscendam esse compositionem aliquam rei aut rationis inter actua-

[1] Bernardus, *De Consideratione*, *lib. 5. c. 7. n. 17.*—Cfr. *nostras Disp. Metaph. de Deo, Disp. 1. q. 2. punct. 3.*

lem essentiam et exsistentiam, tanquam ex potentia subiectiva et eius actu proportionato, uti vel fatentur omnes vel, ex dictis, fateri coguntur; inquirendum secundo est: *Qualis sit eiusmodi distinctio aut compositio, quale medium illud inter nihilum et rem exsistentem.* Quandoquidem autem, ex superius praemonitis, nonnisi realis (maior aut minor in re praesenti tantumdem est) aut rationis distinctio revera datur, nec admitti potest distinctio ulla media, sive *formalis ex natura rei* ad mentem Scotistarum, sive *virtualis intrinseca* in sensu Thomistarum quorundam, propositae quaestiones eo redeunt, ut investigemus: *Admittendane sit inter unius eiusdemque creatae rei actualem essentiam exsistentiamque realis distinctio et consequenter realis compositio; an vero distinctio et compositio tantum rationis?* Seu, quod idem est: *Medium illud inter rem possibilem et rem exsistentem, quocumque vocetur nomine, qua tale, et prout actus contradistinguitur a potentia et potentia ab actu, estne medium rei, an solum rationis?* Isti omnes termini in quaestione sunt, ac nullus eorum, in uno aliove sensu, tanquam ratus sine probatione assumi potest, quin principii petitio incurratur.

Secundum est.

Termini omnes, quibus quaestio varie proponi potest, in quaestione sunt, et absque probatione principii loco sine petitione principii nequeunt assumi.

117. Quod si probetur solam rationis distinctionem compositionemque ibi intercedere ac, formaliter loquendo, totum ibi rationis proprium esse negotium; aut certe si non probetur plus quid esse admittendum praeterea; cum in disquisitione scientifica, si sermo non sit de immediate evidentibus, nihil sine probatione possit admitti, fiet ut, cum negotium rationis possit esse aut rationis ratiocinantis, aut rationis ratiocinatae, cuiusmodi adhuc rationis distinctio, et compositio, et medium sit illud, nobis supersit inquirendum. — Tandem si non solius rationis ratiocinantis distinctio, aut compositio, aut medium inter bina illa membra admittenda sunt, sed etiam rationis ratiocinatae; huiusmodi distinctionis, compositionis, aut medii fundamentum proprium erit vestigandum: sit videlicet necne intrinsecum aut extrinsecum rei factae, adaequatum aut inadaequatum, et quodnam demum illud sit.

Quaestio difficillima

118. Eiusmodi quaestio, uti nemo unus inficias ibit, tum difficillima est, tum remota valde ab aliis, quas in re qualibet ventilamus. Inquirit nimirum: *Utrum creatura quaelibet, quatenus ens est seu in ipsa praecisa entis ratione, duplex a parte rei aut solum ex vi rationis elementum exhibeat, atque adeo secundum praecisam ipsam entis rationem realiter simplex aut composita sit.* Qua definita quaestione, ipsum entium ordinem definire licebit, atque quem in ordine ad Deum ac res alias quodlibet ens locum occupet intelligere.

Controversiae initium.

119. Itaque ex quo, saeculo XIV. uti videtur, huiusmodi quaestio directe in scholis coepta est pertractari, illico divisae Doctorum sententiae. Realem distinctionem compositionemque alii propugnare, alii solam distinctionem rationis. Illi, maximam partem, Thomistae seu ex Dominicana familia, quibus successu temporis ex scholis aliis alii accessere: alteri Doctores fere omnes reliqui. Nam si hunc vel illum mittamus auctorem, Scotistae ipsi, qua parte distinctionem realem essentiam actualem inter exsistentiamque creati entis negant, abs dubio contra Thomistas militant cum

Doctoribus ceteris; qua vero plus quid quam meram rationis distinctionem comminiscuntur, sociorum partes minime laedunt. Hoc enim ipsi haudquaquam probant; quin, uti ex dictis colligi potest, certo certius in eo a veritate desciscunt.

120. Iam qui inter essentiam exsistentiamque creati entis realem tuentur distinctionem, duplicem in classem dividuntur. Alii, praesertim ex antiquioribus Thomistis, sic exsistentiam ab essentia realiter distinguunt, ut in substantia creata exsistentiam substantialem identicam omnino asserant cum eiusdem subsistentia. Hi praecipue sunt, de quibus superius diximus ab ipsis exsistentiam censeri non ut *actualitatem formaliter ultimam;* hanc enim formaliter a subsistentia repetunt, ceu a nota ratione ab exsistentia distincta ipsamque contrahente. Exsistentia enim dicit esse; subsistentia vero *esse per se*, seu esse naturae substantialis; haec autem ratio est magis restricta seu minus universalis. Itaque exsistentia est quodammodo prima substantiae actualitas; subsistentia est ultima. Hanc sententiam docent Capreolus [1], Paludanus [2], Deza [3], Zumel [4], Cardinalis de Aguirre [5], Blasius a Conceptione [6] etc., quibus, ex recentioribus, videntur accedere P. Cornoldi [7] et P. Billot [8]. — Thomistae vero generosiores in ente creato substantiali, ut sic, triplicem distinctam realitatem agnoscunt: 1° *essentiam actualem*, 2° *subsistentiam*, 3° *exsistentiam*. Volunt hi subsistentiam esse modum realiter distinctum ab essentia et exsistentia, et medium plane inter utramque. Huius autem *modi* essentiam immediate afficientis proprium munus esse dicunt *constituere naturam substantialem in ratione susceptivi, ut quod, exsistentiae, seu ultimae actualitatis*. Hanc sententiam primo videtur tradidisse Aegidius Romanus [9], subinde vero Ferrariensis [10] et Caietanus [11], quos sequuti sunt plures alii ex recentioribus Thomistis, quamvis hi non satis clare omnia membra doctrinae Caietani proponant, et in eo videantur eius esse discipuli, quod *exsistentiam, uti ultimam entis actualitatem definiant*. Hi porro sunt Banez [12], Ioannes a S. Thoma [13], Godoy [14], Philippus a SS. Trinitate [15], Complutenses [16],

Plenius proponitur realiter distinguentium sententia.

Exsistentia substantiae subsistentiae identica iuxta aliquos.

Quinam ii sint.

Subsistentia realiter distincta ab exsistentia substantiae iuxta alios.

Recensentur Auctores.

[1] Capreolus, *I. Dist. 8. q. 1.*, et *III. Dist. 5. q. 3. ad argum. contra 3. conclus.*
[2] Paludanus, *III Dist. 1. q. I. a. 3.*
[3] Deza, *I. Dist. 4. Sect. 2.*
[4] Zumel, *In 1am pem D. Thomae, q. 3. a. 3.*
[5] De Aguirre, *In Monolog. S. Anselmi, Tract. 4. Disp. 76. Sec. 1.*
[6] Blasius a Conceptione, *Methaph. Disp. 8. q. 3.*
[7] Cornoldi, *Civiltà Cattolica, Primo Fascicolo del mese di Maggio, 1884.*
[8] Billot, *De Verbo Incarnato, q. 2. § 2.*
[9] Aegidus Romanus, *I. Dist. 2. q. 4. a. 1.* et *De Ente et essentia, q. 9. seqq.*
[10] Ferrariensis, *Contra Gentes, lib. 2. c. 52. seqq.*
[11] Caietanus, *In 3. p. q. 4. art. 1.*
[12] Bañez, *1. p. q. 3. art. 3. dub. 1.*
[13] Ioannes a S. Thoma, *In 1. p. Disp. 4. art. 3.*
[14] Godoy, *1. p. Disp. 80. n. 116.*
[15] Philippus a SS. Trinitate, *3. p. Summ. Philos. q. 20. a 1.*
[16] Cursus Complutensis abbreviatus, *In additionibus.*

Goudin [1], praeterea e Societate Nostra Pallavicini [2] et Silvester Maurus [3]. Num his addendi Conimbricenses et Fonseca, dicetur subinde. Iis tamen certo addendi sunt Neo-Thomistae, Liberatore, Zigliara, et alii saepe in superioribus laudati.

Quinam stent pro sola distinctione rationis.

121. Pro distinctione vero rationis praeter Alexandrum Alensem [4] et apud Capreolum laudatos, loco citato, Aureolum, Henricum, Godefridum de Fontibus [5] et Gerardum de Carmelo, stant Nominales omnes, Hervaeus [6], Durandus [7], Suarez [8], Vasquez [9], Valentia [10], Petavius [11], Toletus [12], De Lugo [13], Arriaga [14], Lossada [15] et alii qui videri possunt apud Mastrium [16]. Ex recentissimis vero praeter P. Kleutgen [17], qui in hanc sententiam inclinat, eam defendunt Palmieri [18], Wander Ar [19], Mendive, Urráburu, Delmas etc. et, ut ipse saepe fassus est, ante non multos annos P. Liberatore, uti etiam P. Schiffini Sanctus. Verum quamvis Doctores hi distinctionem realem essentiam inter exsistentiamque unanimi consensu excludant, ac solam velint distinctionem rationis; hanc tamen eamdem non eodem pacto vel in creato ente defendunt. Alii enim cum Alensi, Suaresio et antiquioribus scholasticis distinctionem illam dicunt esse rationis ratiocinatae, seu cum fundamento in re; alii cum Arriaga, et Lugone contendunt esse solum rationis ratiocinantis. Porro ab illis distinctionis rationis ratiocinatae fundamentum, communius et maxime, constituitur ipsa contingentia entis creati, vi cuius cum res haec esse possit et non esse, nec semper sit aut fuerit, sufficientem praebet menti causam distinguendi inter quidditatem seu notas ipsam in genere aut in specie constituentes et eius actualitatem in rerum natura; ita ut, in concreto, una et eadem res producta, quatenus his notis constat, sit essentia; quatenus vero extra nihilum et extra causas est ex ipsa sua productione, sit exsistentia. Sed de his subinde erit plenius agendum: nunc ad quaestionem solvendam gradiendum est, ac primo definiendum quid de re ipsa veritas habeat; tum speciatim ac praecipue quid de ea D. Thomas senserit.

Quid inter eos differat.

[1] Goudin, *Philosophia, p. 4. c. 1. art. 3.*
[2] Pallavicini, *Assert. Theol. De Deo Uno et Trino, lib. 8. c. 3.*
[3] Silvester Maurus, *QQ. Philosoph. l. 2. q. 6.*
[4] Alensis, *IV. Metaph. text. 4.* et *VII. Metaph. text. 22.*
[5] Cfr. Godefridi recentissimam editionem Lovaniensem a DD. De Wulf et Pelzer, a. 1904. adornatam, *Quodlibeto 3. qq. 1 et 2.*
[6] Hervaeus, *Quodlibeto 7. q. 8.*
[7] Durandus, *I. Dist. 8. q. 2.*
[8] Suarez, *Methaph. Disp. 31. tota.*
[9] Vasquez, *In 3. p. Disp. 72,* et *In 1. p. Disp. 179.*
[10] Valentia, *In 1. p. Disp. 1. q. 3. punct. 4.*
[11] Petavius, *De Incarnatione, lib. 3. c. 13. et lib. 5. c. 6.*
[12] Toletus, *In 1. p. q. 3 a. 4.*
[13] De Lugo, *Metaphysica* (inedita) *Disp. 2. tota.*
[14] Arriaga, *Metaph. Disp. 2. Sect. 3.*
[15] Lossada, *Metaph. Disp. 2. c. 4. seqq.*
[16] Mastrius, *Metaph. Disp. 8. q. 2. ab initio.*
[17] Kleutgen, *Filosofia antica, Tratt. 6. c. 2.*
[18] Palmieri, *Ontologia. Thesis 3.*
[19] Wander Ar., *Ontologia.*

SECTIO II.

SOLVITUR QUAESTIO PRODROMA

THESIS

« Si de ente finito, eodemque in ordine sive singularis intelligibilitatis aut ontologico, sive concretae realitatis aut physico, inquiratur: Quo pacto sive intelligibilis sive physica essentia, seu id quo res quaelibet in determinato genere in determinatave specie constituitur, distinguatur ab intelligibili aut physica exsistentia, nimirum ab eo, quo intelligitur esse, vel est de facto adaequate extra nihilum, extra causas, in actu; verius omnino est, aut unice verum non distingui *proprie dicta distinctione reali*, sed tantum *distinctione rationis*. — Huiusmodi vero rationis distinctio, quamvis non sit tantum *rationis ratiocinantis*, sed omnino sit *rationis ratiocinatae*; non est tamen *formaliter adaequata*, sed *formaliter inadaequata*. — Eius demum fundamentum *formaliter* quidem habetur ex ipsa obiectiva ratione essentiae et exsistentiae; *radicaliter* autem ex essentiali creati entis contigentia ».

1. DECLARATUR THESIS ASSERTA. — In asserta thesi partes sunt tres. Prima universim asserit inter creati entis essentiam exsistentiamque, ut actu positas, non realem, sed rationis solummodo distinctionem dari. Altera definit hanc rationis distinctionem non esse rationis ratiocinantis, sed rationis ratiocinatae. Quae rationis ratiocinatae distinctio cum, uti declaravimus, universim exigat aliquam rationis praecisionem, haec autem duplex sit, aut adaequata aut inadaequata, idcirco eadem secunda pars pressius determinat distinctionem illam rationis ratiocinatae non esse adaequatam, sed inadaequatam. Tertia demum pars eiusdem distinctionis assertae fundamentum sive proximum aut formale, sive remotum aut radicale explicite assignat.

In thesi partes tres. Prima negat distinctionem realem; asserit rationis. Altera rationis distinctionem declarat.

Tertia statuit eiusdem distinctionis fundamentum proximum et ultimum.

2. Assertae thesis, ex superius dictis, termini omnes noti sunt. In mentem tamen rursum revocamus adaequatum ordinem intelligibilitatis et ordinem physicae realitatis pro eodem censeri; neque enim aliter differunt, quam solo exercitio entitatis notatae. Quapropter uti hic homo physice exsistens realiter exhibet id, quod utcumque est et dicitur *essentia*, et id, quod utcumque est et dicitur *exsistentia;* ita hic homo intellectus idem exhibet intelligibiliter. Neque enim, ut nunc loquimur, per ordinem intelligibilitatis significamus solas notas, quibus essentia constituitur; sed significamus totum id, quod adaequate rem constituit, amota unice praesentia in ordine physico.

Termini noti.

Monitum de ordine intelligibilitatis et realitatis.

Probatur 1. pars thesis.

In ente creato, eodemque sive in ordine intelligibili adaequate inspecto, sive inspecto in ordine reali, essentia actualis non distinguitur realiter ab eius exsistentia, sed tantum ratione.

§ I.

Probatur assertio indirecte ab eversione fundamenti oppositae sententiae.

Distinctio realis non probatur.

3. Distinctio realis inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque non probatur. Ergo, cum aliquo modo distinguantur, non distinguuntur realiter, sed tantum ratione. *Prob. conseq.* Cum sermo sit de admittenda scientifice distinctione *per sese* non immediate evidenti; ac ceterum tum *per sese* recondita valde, utpote quae ipsam entis, ut sic, rationem afficeret; tum a communibus conceptionibus valde remota, uti ipsi eius fatentur adsertores atque, quamvis falso, audent cum P. Liberatore ingerere quod:

P. Liberatore.

« *Pars negativa* (realis distinctionis) NON ALIUD ARGUMENTUM REVERA HABET, *nisi magnam difficultatem, quam notio huius compositionis praesefert* » [1]: cum ergo de admittenda tali distinctione scientifice agatur, ea abs dubio sine probatione nequit admitti. Atque heic notetur probationem hanc a realis distinctionis adsertoribus esse afferendam, *per se loquendo*, non autem ab iis, qui eam negant. In concertationibus enim omnibus probare asserentis est, non negantis: tum, si non probetur, distinctio illa concidet per sese, atque negatio, seu saltem dubitatio eius loco substituetur. Horum autem duorum neutrum patroni realis distinctionis ferre ullo modo possunt, cum eam ponant ceu philosophiae totius fundamentum maximum [2], ex cuius proinde negatione aut dubitatione ipsum aedificium mirum in modum labefactaretur: quod eorum adversariis timendum non est. Itaque contra ius scribit P. Liberatore: « Donec igitur probetur respectu ipsius *esse* non dari actum et potentiam realem et physicam, nihil conficitur argumentando » [3]. Nimirum ipse debet probare dari respectu ipsius *esse* distinctionem realem seu, quod idem est, potentiam physicam, aut actum essentiae medium inter potentiam obiectivam seu me-

Per se loquendo, probatio ab adversariis afferenda.

Liberatore contra ius.

[1] Liberatore, *Ontol. c. 1. art. 3. n. 22.* (Edit. Prati, 1883).

[2] *Idem, loc. laud. n. 20.* Cfr. Fr. N. Del Prado O. P. in Ephemeridibus Placentinis, quibus titulus: D. THOMAS, PERIODICUM PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM, *Placentiae MCMV. A. XXVI. Ser. II. Vol. VI.* R. Pater, de quaestione nostra acturus, eandem inscribit: DE VERITATE FUNDAMENTALI PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE: eam vero pertractat ex mente D. Thomae circa hanc materiam. In notionibus praeviis *generatim* cum D. Thoma aliisque Doctoribus consentit. Eius vero argumenta in confirmationem sententiae affirmantis realem distinctionem, quandoquidem maxime D. Thomae auctoritate nituntur, ubi directe de S. Doctore erit sermo, una cum sensu Ferrariensis, Caietani et aliorum, discutientur.

[3] *Idem, loc. laud. n. 21. IV.*

ram possibilitatem et exsistentiam; non oppositum eius adversarii. Si enim non probet, adversarii rem gratis assertam gratis negabunt, atque optime erunt in pace. Non enim talis distinctionis negatione egent ceu principio ac suae philosophiae fundamento; sed illud aliunde repetunt, ex principiis et factis nimirum certis, non ex dubiis commentationibus. Ex dictis vero concluditur, si non probetur, scientifice loquendo, realem distinctionem revera non dari. Enimvero res probanda et non probata, scientifice loquendo, est nulla res, cum scientificum esse non habeat, nec scientiae proprie dictae possit inservire. Si vero scientifice realis illa non datur distinctio, in ente creato actualis essentia eiusque exsistentia, scientifice loquendo, non distinguuntur realiter; et, cum aliquo modo distinguantur, et non alia detur distinctio nisi aut realis aut rationis, uti nobis convenit cum adversariis, distinguentur ratione. Ubi enim duorum alterutrum necessario admittendum est, eorum altero excluso, alterum ex normis syllogismi disiunctivi admittendum est.

Quod probandum est, et non probatur, scientifice non datur.

4. Prob. ant. — *Distinctio realis inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque non probatur.* Probaretur vel: — α) ex ipsa essentiae creatae ratione; vel: — β) ex huius essentiae potentialitate; vel: — γ) ex eius contingentia; vel: — δ) ex eius abalietate; vel: — ε) ex eius limitatione; vel: — ζ) ex eius multiplicitate; vel: — η) ex multiplici principio aut effectu; vel: — θ) ex conceptu, quem nos de creata essentia informamus; et ex modo, quo de creata essentia loquimur. His enim argumenta omnia continentur ab adversariis afferri solita, uti legenti eorum loca superius indicata clarum erit, et patebit plenius ex iis, quae in exhibenda demonstratione afferentur: imo ad ea capita facillime revocabuntur quaecumque adhuc argumenta possent afferri. Atqui ex nullo praedictorum capitum, sive seorsim sive simul sumptorum, probatur realis distinctio inter creati entis actualem essentiam eiusque exsistentiam. Ergo.

Probatur antecedens.

Innuuntur probationes adversariorum.

Excluduntur.

Probatur minor per partes.

I.

Non prob.: — α) ex ipsa ratione essentiae creatae.

5. Enimvero probaretur ex ipsa ratione essentiae creatae, in quantum huiusmodi essentia in sui ratione non includit exsistentiam, vel in quantum exsistentia non invenitur in definitione essentiae creatae, uti volunt adversarii fere omnes superius memorati, imprimisque P. De Maria [1] et P. Remer [2]. At huiusmodi argumentum ad adstruendam distinctionem realem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque efficax non est. Et patet *indirecte*. Nam neque gradus methaphysici animalitatis et rationalitatis in uno et eodem individuo, v. g. Petro, sunt de ratione

Argumentum P. De Maria et P. Remer est inefficax.

Probatur indirecte.

[1] De Maria, *Phil. Prim. seu Ontol. pars. 2. q. 1. a. 4. Propositio, III. Arg. 1um.*
[2] Remer, *Metaph. Gen. q. 1. § 3. Prob. 1.*[0]

alter alterius, nec alter in alterius invenitur aut ponitur essentiali definitione; neque proprietates metaphysicae, v. g. risibilitas in homine, sunt de ratione essentiae, nec ponuntur in essentiae propria definitione, uti fatentur adversarii, cum quibus disputamus; et tamen, iisdem ipsis fatentibus adversariis, neque animalitas et rationalitas in Petro realiter distinguuntur, neque item realiter distinguitur a suis proprietatibus metaphysicis essentia. Ergo ex eo praecise quod unum non sit de ratione alterius, vel in eius definitione non inveniatur aut non ponatur, non sequitur necessario ea realiter inter se distingui. Ergo neque ex hoc solo cogi possumus ad realem distinctionem inter actualem essentiam exsistentiamque creati entis adstruendam. Et quidem haec ultima consequentia est evidens. Nam nisi aliunde probetur inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque non posse componi distinctionem formalem cum reali identitate; hac non obstante, unum non erit de formali ratione alterius, nec debebit necessario inveniri aut in quidditativa alterius definitione poni: stabit omnimodis posse ibi verificari, quod inter gradus metaphysicos vel inter essentiam eiusque metaphysicas obtinet proprietates, ac porro consequentiam non evidenter inferri, nec rationem esse demonstrativam: quod, hoc loco, nobis oppido sufficit.

Inter esse et essentiam cum reali identitate stare potest formalis distinctio.

Responsio adversariorum.

6. Respondent adversarii *negari paritatem*. Discrimen ingens est, inquiunt, inter gradus metaphysicos interque proprietates metaphysicas et essentiam, atque essentiam actualem inter et esse. Illa enim sunt *designativa* et *determinativa* alicuius essentialium principiorum [1]; atque adeo implicite et indistincte in ipsis inveniuntur: quare unum ad aliud pertinet sive in statu obiectivo aut possibilitatis, sive in statu subiectivo aut realitatis. At vero τὸ *esse* non est praedicatum designativum et determinativum alicuius essentialium principiorum creati entis; in nullo creati entis essentiali principio continetur, ne implicite quidem et indistincte: unde ad creati entis statum obiectivum seu possibilitatis ipsum esse non pertinet. Ergo.

Impugnatur universim.

7. Verum haec responsio non solvit argumentum factum et, si quid probat, id unice est τὸ *esse* in creatis entibus non esse praedicatum essentiale, seu entia creata non exsistere ex vi suae ipsorum essentiae atque a se, sed habere esse ab alio: utrum vero ab alio habeant esse *realiter* identicum essentiae, quatenus habere esse ab alio nihil sit aliud, quam produci ipsam essentiam in rerum natura; an vero *realiter* distinctum, quatenus habere esse ab alio sit produci essentiam et in ipsa et cum ipsa entitatulam aliam ab ipsa; hoc demum ex illa responsione non definitur. Certe entia creata non solum τὸ *esse*, sed ipsam essentiam habent ab alio. Non habent autem ab alio essentiam, quasi vero simul cum essentia debeat in ipsis poni alia entitatula in ratione essentiae ab ipsa

[1] P. De Maria, *loc. laud.* contra doctrinam dialecticam, et contra expressa verba D. Thomae, quem laudat, scribit: *Cum notio rationalis sit* **secunda intentio**..... *aeque ac animal!*

realiter distincta. Ergo neque necessario debet poni *esse*, tanquam aliquid realiter distinctum. Eo vel magis, quod in entibus non solum creatis, sed etiam in ipso Deo aliquid potest esse realiter alteri identicum, quin sit de praecise formali aut essentiali ratione alterius: sic in sententia probabili statuente potentias animae solum *formaliter* ab ipsa distingui, eaedem potentiae essent ipsi animae essentiae realiter identicae, quamvis non essent formaliter de ratione, aut essentia ipsius animae; et individuatio animae humanae, ut controversa praescindamus, ex veritate et ex doctrina D. Thomae [1] non est de ratione animae humanae, ut sic, nec tamen in eodem individuo ab ea realiter distinguitur; personae demum divinae sunt realiter eaedem cum essentia et, iuxta veriorem aut unice veram sententiam, non sunt de formali ratione adaequata divinae essentiae [2].

In creatis et in ipso Deo aliquid potest esse realiter identicum essentiae, et non de ratione essentiae, ut sic.

8. Speciatim vero, quidquid sit de gradibus metaphysicis, responsio illa et disparitas non tenent in proprietatibus metaphysicis ad essentiam relatis. Illae non sunt *designativae et determinativae* essentiae, qua *talis*, aut alicuius essentialium principiorum, qua *talium;* nec implicite et indistincte continentur in ipsis, sed solummodo necessario fluunt ex ipsis, tanquam ex quadam causa metaphysica; nec proinde pertinent ad statum obiectivum essentiae aut essentialium principiorum, ut sic; et tamen, dum in rerum natura sunt, non sunt realiter distinctae ab essentia et principiis essentialibus. Ergo non esse designativum et determinativum essentiae et essentialium principiorum; aut non contineri implicite et indistincte in essentia aut in principiis essentialibus; aut non pertinere ad statum obiectivum essentiae, non infert necessario realem distinctionem inter illa, quae sic sunt; sed infert solum illa, quae sic sunt, non esse de praecisa ratione essentiae aut essentialium principiorum, sive illa realiter sint identica, sive sint realiter distincta. Quapropter dato quod τὸ *esse* relate ad essen-

Impugnatur responsio in proprietatibus metaphysicis.

[1] En quid in rem nostram habeat S. Doctor: « Alio modo accidit aliquid alicui, quia nec est in eius definitione, nec est determinativum alicuius essentialium principiorum... His ergo quae sunt composita ex materia et forma accidit aliquid praeter rationem speciei exsistens utroque modo. Cum enim de ratione speciei humanae sit quod componatur ex anima et corpore, determinatio corporis, et animae est praeter rationem speciei, et accidit homini, in quantum est homo, quod sit ex *hac anima* et ex *hoc corpore:* sed hoc convenit per se *huic homini*, de cuius ratione esset, si definiretur, quod esset ex hac anima et ex hoc corpore, sicut de ratione hominis communis est quod sit ex anima et corpore » *Quodlib 2. a. 4. ab 1um.* — Et alibi: « Licet individuatio eius (*animae humanae*) ex corpore *occasionaliter* dependeat, quantum ad sui inchoationem, quia non acquiritur sibi esse individuatum nisi in corpore, cuius est actus; non tamen oportet ut, destructo corpore, individuatio pereat; quia cum habeat esse absolutum, ex quo acquisitum est sibi esse individuatum ex hoc, quod facta est forma huius corporis, illud esse semper remanet individuatum: et ideo dicit Avicenna quod individuatio animarum et multiplicatio dependet ex corpore quantum ad sui principium, sed non quantum ad sui finem » *De Ente et Essentia, c. 6.*

[2] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, In 1am pem D. Thomae, Disp. 3. Sect. 2. q. 28. § 3.*

tiam tribus illis revera careat, et consequenter non sit de conceptu aut de ratione essentiae, ut sic, non inde sequitur τὸ *esse* realiter distingui ab essentia, uti in pari se habendi ratione proprietatum metaphysicarum relate ad essentiam, ut sic, non sequitur eas ab essentia realiter distingui: ac proinde ex hac saltem parte omnino stat paritas.

Impugnatur in gradibus metaphysicis.

9. Adde quod illa disparitas ne in gradibus quidem metaphysicis revera tenet. Haberetur enim disparitas vel ex hoc solum, quod gradus metaphysici sunt *designativi* et *determinativi* ipsius essentiae; et continentur implicite et indistincte in gradibus, quos designant et determinant; et pertinent aliquo modo etiam ad statum obiectivum: vel ex eo, quod sunt designativi et determinativi essentialium principiorum; et continentur implicite et indistincte in essentialibus principiis; et pertinent ad statum obiectivum essentialium principiorum. Ex neutro capite tenet. Non ex 1.°; quia etiam τὸ *esse* est *designativum* essentiae actualis; et ipsam *determinat* contrahitque ad essentiam actualem prae essentia possibili: unde etiam confuse et indistincte continetur in unico conceptu obiectivo essentiae actualis, antequam in duos conceptus obiective praecisivos cum fundamento in re distinguatur. Iuxta cordatiores enim adversarios nonnisi ab actualitate τοῦ *esse* essentia actualis denominatur; atque porro τὸ *esse* et ipsam *designat determinatque;* et non quidem *actu*, sed *in potentia* pertinet ad obiectivum essentiae statum; essentia enim possibilis est essentia, quae *potest esse* seu exsistere, uti ex dictis in superioribus cum Philosopho et D. Thoma omnes fatentur. — Neque ex 2.°; quia si τὸ *esse* est designativum et determinativum essentiae actualis etc., est necessario designativum et determinativum essentialium principiorum actualium, cum essentia actualis a suis principiis essentialibus actualibus, et quidem intrinsecis (de his enim loquimur) non distinguatur. Quare τὸ *esse* et in principiis essentialibus actualibus implicite et indistincte continetur; et possibiliter pertinet ad statum essentiae obiectivum, uti ipsa essentia in hoc statu possibilis est.

Instantia.

10. *Sed dices:* Τὸ *esse* designat et determinat essentiam, tanquam aliquid ipsi *additum*, non tanquam aliquid *identicum*. — Respondeo:

Dilucitur.

Dist. inst. Tanquam aliquid ipsi *realiter* additum, et non ipsi *realiter* identicum; *Neg. suppositum;* hoc enim praecise in quaestione est. Tanquam aliquid ipsi aut *realiter* aut *ratione* additum, et consequenter aut *realiter identicum*, aut *realiter distinctum*, prout probabitur, *Conc. inst.* Uti in superioribus ex D. Thoma docuimus, aliquid potest alii dici *additum*, ipsumque contrahere aut determinare sive *re* sive *sola ratione* [1]. Ex hoc ergo solo, quod per τὸ *esse* aliquid additur essentiae, non licet iure inferre τὸ *esse* ab essentia *realiter* distingui, nisi demonstretur quod illa additio *realis* est, non autem *rationis*. Ex dictis vero constat adversariorum facto argumento non demonstrari additionem illam realem esse.

---

[1] Relegesis dicta *Sect. praec. n. 62.*

Ergo neque demonstratur τὸ *esse* realiter distingui ab essentia actuali. Ergo dum id adversarii depraedicant, re et facto assumunt tanquam probatum illud ipsum, quod probandum et non probatum est.

11. *Prob. directe* argumentum factum non esse efficax aut demonstrativum. Quod exsistentia non sit de ratione essentiae, ut sic, nec in huius definitione inveniatur, sequitur utique essentiam creati entis non exsistere ex vi sui ipsius, seu ex exigentia essentiali, atque adeo debuisse ab alio exsistentiam recipere; non sequitur vero necessario ipsam exsistere ex vi entitatis a se realiter distinctae. At si hoc alterum non sequitur, argumentum illud non est efficax aut demonstrativum. Ergo. — Minor clara est. *Prob. mai.* Sequeretur quatenus, si secus esset seu data identitate reali inter creati entis essentiam et *esse*, iam ipsum *esse* seu exsistentia evaderet praedicatum quidditativum aut essentiale; quod proinde faceret creati entis essentiam a se exsistentem et non ab alio. At ex sola identitate reali τοῦ *esse* cum creati entis essentia actuali ipsum *esse* non evadit praedicatum quidditativum aut essentiale, uti in demonstratione indirecta declaratum est. Et certe actualitas essentiae actualis, ut distincta ab actualitate exsistentiae, quam aliqui saltem adversarii comminiscuntur, ab ipsa essentia actuali realiter non distinguitur, et tamen ex hoc solo non evadit praedicatum essentiale; secus ipsa essentia possibilis esset actualis, cum ipsa essentia possibilis sit vera essentia et sibi vindicet omnia praedicata ipsam essentialiter constituentia. Ratio vero *a priori* est, quod praedicatum essentiale debet esse: *Id, quo res est id, quod est*, vel: *Quo praecise posito vel ablato, res est vel non est id quod est*, in quocumque demum ordine ponatur sive reali aut physico, sive intelligibilitatis aut metaphysico, sive conceptuum aut logico. Ablata autem praecise reali exsistentia, actuali essentiae realiter identica, essentia non est quidem *in ordine physico;* sed optime est: *Id, quo res est in ordine metaphysico et logico.* Ergo ex identitate reali τοῦ *esse* et essentiae actualis creati entis ipsum *esse* non evadit praedicatum quidditativum aut essentiale. Nimirum ut essentia sit in ordine physico, praeter principia essentialia, requirit ut producatur. Si autem producitur, reale *esse* nequit esse praedicatum quidditativum, quamvis sola productione iam sit vel intelligatur in se, si sit substantia, vel in suo subiecto, si sit accidens. Si autem hoc, iam est vel intelligitur extra nihilum et extra causas seu, nulla nova entitate superaddita, sua actualitate exsistens.

Probatur directe argumentum factum non esse demonstrativum.

Ex reali identitate essentiae et *esse*, hoc non evadit praedicatum quidditativum.

Ratio *a priori*.

12. *Dices:* In tantum actualitas essentiae haberi potest sine entitate a se realiter distincta, in quantum quamvis essentia creati entis non necessario sibi vindicet actualitatem; tamen actualitas essentialis creati entis sibi necessario vindicat essentiam: quare distinctio inter utramque est tantum inadaequata. At non solum essentia creati entis non sibi vindicat actualitatem exsistentiae; sed etiam actualitas exsistentiae non sibi vindicat essentiam; potest enim adaequate concipi: *Id, quo res est extra nihilum et extra*

Obiectio.

causas, seu exsistentia, quin concipiatur: *Id, quo res est id, quod est*, seu essentia. Ergo quamvis actualitas essentiae creati entis haberi possit sine entitate realiter ab essentia distincta; actualitas tamen exsistentiae nequit haberi sine entitate ab essentia realiter distincta. — Respondeo: *Conc. Mai.* Ad minorem: *Conc. 1.am partem* et: *Dist. 2am*. Non sibi vindicat essentiam *possibilem*, *Conc. actualem*, *Subd. realiter*, *Neg. formaliter*, *Transeat* vel *Conc.* Maior propositio est simpliciter vera. Essentia enim creati entis potest esse *mere* possibilis absque ulla prorsus actualitate, etiam ficta illa, quam in omnibus intrinsece possibilibus forsan commentus est Scotus[1]: at actualitas essentiae nequit haberi sine essentia, quam in sui ratione includit. Verum item est *a fortiori* creati entis essentiam non sibi vindicare ex vi sui, ac porro necessario actualitatem exsistentiae, cum sit essentialiter contingens. Actualitas vero exsistentiae essentiam certe ut mere possibilem non denominat; cum exsistentia possibilitati contradictorie opponatur, tanquam ens et non-ens. At vero actualitas exsistentiae realiter sibi vindicat essentiam actualem; neque enim dari potest: *Id, quo res realiter est extra causas et extra nihilum*, quin detur *res, quae est extra causas et extra nihilum.* Conceptu igitur reali concipi nequit actualitas exsistentiae, quin una concipiatur essentia actualis. Formaliter vero loquendo, certum est posse nos praecisione sive adaequata sive inadaequata (quod nunc non quaero, quia suo loco id erit discutiendum) distinctim concipere *rem*, quae exsistit, et *exsistentiam*, qua exsistit. Ex hac autem conceptione nostra non sequitur quod ista duo in ipso conceptu reali realiter differunt, uti non sequitur quod realiter differunt gradus metaphysici in uno et eodem individuo, et proprietates metaphysicae reales a sua reali essentia. Utrum demum conceptu reali concipi nequeat actualitas exsistentiae, quin concipiatur res ipsa aut essentia actualis, quia hanc illa sibi realiter identificat, uti dicimus nos; aut quia actualis exsistentia realiter distincta non potest esse in rerum natura, nisi in actuali aut reali essentia, in quaestione est; et, si non probatur, nequit assumi sine petitione principii. Tantundem enim est dicere actualitatem exsistentiae secum ferre realiter identificatam essentiam actualem, aut realiter distinctam actualem essentiam necessario informare; quantum dicere actualitatem exsistentiae non realiter distingui, aut realiter distingui ab essentia actuali. Illud ergo, nisi probetur, tanquam principium aut ratio demonstrationis, in praesenti quaestione nequit assumi. Probatio autem, ex dictis, ad adversarios spectat. Itaque primum ac princeps adversariorum argumentum quaestionem usque adeo insolutam relinquit, ac erat ab initio.

Responsio.

Declaratur.

13. *Dices demum:* Exsistentia a Patribus habetur ut donum et gratia nobis a Deo conlata. Donum autem et gratia realiter distinguuntur ab eo, cui donantur. Ergo exsistentia realiter distin-

Obiectio altera.

[1] Cfr. Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 2. n. 1. seqq.*

guitur ab actuali essentia. Haec Card. Pallavicini.[1] — Respondeo: 1.° SS. Patres vocant etiam aliquando Dei *donum* immortalitatem animae. Ergo immortalitas animae realiter distinguitur ab ipsa anima: quod nemo dixerit. — 2.° *Dist. mai.* SS. Patres realem exsistentiam vocant aliquando Dei gratiam aut donum, quatenus τὸ *esse* est aliquid indebitum, quod Deus creaturis suis ex ipsarum merito dare non tenetur, *Conc. mai.* Quatenus gratia et donum praeseferunt aliquid distinctum realiter ab eo, cui illa gratia aut donum confertur, *Neg. mai.* Mirum est prorsus virum doctissimum imprimisque acutum ex Patribus, praesertim Africanis, argumentum illud derivasse. Quid intenderint Africani Patres, inter quos erat ipse Augustinus, ex apertissimis eorum verbis intelligitur. Ad S. Innocentium I. Rom. Pontificem, inter alia, scribunt: « Etsi quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus, *ut nonnihil essemus;* nec ita essemus aliquid, ut cadaver quod non vivit, aut arbor quae non sentit, aut pecus quod non intelligit; sed homines, qui et essemus, et viveremus, et sentiremus, et intelligeremus, et de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere valeamus; unde merito et ista gratia dici potest, *quia non praecedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est;* alia est tamen, qua praedestinati vocamur, iustificamur, glorificamur, ut dicere possimus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum*[2] »[3]. Quid haec cum reali distinctione actualem inter essentiam et esse? Numquid, quia vita, sensus, intellectus, *quadam non improbanda ratione*, Dei gratia aut donum dicuntur, a nobis ipsis, qui iis donamur, ex veritate aut illorum Patrum de sententia, illa realiter distincta esse inferemus? Si autem non illa, quare ipsum *esse?* Nonne potius oppositum ex illis verbis inferri posse videretur, quandoquidem esse, et vita, et sensus, et intellectus eodem censu ab Africanis illis Patribus habentur? Ceterum de quaestione hac nostra Patres illi ne cogitaverunt quidem. — Verum, etiam data utcumque maiore argumenti, *Minor* non tenet. Quamvis enim homines dona non facerent (quod in generatione viventis falsum apparet quodammodo), nisi distincta ab iis, quibus ea faciunt; ast non item Deus qui, donando quod non debet, facit non solum ut sic aut aliter simus, sed etiam ut simpliciter simus. Tum si dona et gratiae non fiunt nisi iis, a quibus realiter distinguuntur, hi certe non sunt entia non exsistentia, sed omnino exsistentia; nihilum enim non est subiectum, cui donum fiat. Quare, viri docti de sententia, creaturae, quibus fit exsistentiae donum aut gratia, antequam exsistentia donentur, deberent iam exsistere: quod certissime ipse non dicet.

Ex Pallavicinio.

Responsio indirecta.

Responsio directa.

Quo sensu Patres Africani exsistentiam dicant Dei donum et gratiam.

Deus (et quadantenus etiam homines) potest donare dona realiter indistincta ab iis, quibus donat.

---

[1] Pallavicini, *Assert. Theolog.* De Deo Uno et Trino, *lib. 8. c. 3.*

[2] *Rom. 8, 31-32.*

[3] *Ad Innocentium, Rom. Pont. quinque Episc. Afric. epistola, inter Augustinianas 177* (al. 95) *n.* 7. — Migne.

II.

Non prob. — β) ex essentiae potentialitate.

Adversariorum argumentum bipartitum.

14. In tantum ex actualis essentiae potentialitate inferri posset realis ipsius distinctio ab exsistentia, in quantum vel : — α) actualis essentia esset vera potentia subiectiva physica, vel : — β) nisi daretur realis distinctio, actualis essentia creata, ac porro creatura exsistens esset actus purus, aut ipsum esse subsistens, uti volunt adversarii. Primum autem non est, aut non probatur, et alterum non sequitur. Ad primum autem quod spectat, iam monuimus in superioribus illud ipsum in quaestione esse: Sit necne actualis essentia creata potentia physica subiectiva, an solum metaphysica, aut logica. Si enim exsistentia creata ab actuali essentia creata realiter non distinguitur, atque adeo cum hac identificatur realiter, ratio potentiae et ratio actus essentiae actuali creatae eiusque exsistentiae tributae non sunt duae res aut duae reales entitates, sed una et eadem res aut entitas physica duplici conceptu distincto proposita. Quod autem hoc pacto potentia actusque dicitur, metaphysice aut logice potentia actusque est, non autem physice aut realiter. Et plane quod ea ratione potentia actusque dicitur, eatenus dicitur, quatenus mens rem realemve entitatem unam eandemque concipit sive secundum id, quod in ipsa est determinabile et perfectibile, v. g. secundum praedicata quidditativa; sive secundum id, quod in ipsa determinans quodammodo est et perficiens, cuiusmodi est illorum praedicatorum actualitas. Hoc autem praesefert potentialitatem actualitatemque secundum conceptus aut rationes formales praecisivas, non autem secundum rem. Sequitur hinc, si actualis essentia creata ab eius exsistentia realiter non distinguitur, illam nullo modo esse posse potentiam physicam subiectivam : atque porro si ex eo, quod essentia actualis creata esset potentia physica subiectiva, debet inferri realis eius distinctio ab exsistentia, unum non posse sine probatione assumi aut supponi, quin alterum, id est, praecipua ipsa quaestio sine probatione assumatur vel supponatur.

Reiicitur.

Quare primum reiiciatur.

Instantia.

ex P. Liberatore.

15. Sed inquiunt: Illud non sine probatione assumi : « Nam, *ait P. Liberatore*, exsistentia dicit actum ; inter actum autem et nihil media est potentia; potentia, inquam, non obiectiva, sed subiectiva, nimirum res substans actui, a quo informatur. Donec igitur probetur respectu ipsius esse non dari actum et potentiam realem et physicam, nihil conficitur argumentando » [1]. Iam monuimus probationem ab ipso, non ab adversariis esse ex disputandi iure afferendam. Inspiciamus quomodo afferat. Pressius illustris Philosophi ratio sequenti pacto potest proponi. Quod medium est inter nihilum et actum, est potentia physica subiectiva; cum enim potentia obiectiva aut logica nihil reale sit, si quid

Animadversio.

Illustris Philosophi argumentatio in forma.

[1] Liberatore, *Ontol. c. 1. a. 3. n. 21. IV.*

medium est inter nihilum et actum, id nequit esse potentia obiectiva aut logica, sed necessario erit potentia physica subiectiva, quandoquidem quidquid reale est, aut realis potentia subiectiva aut realis actus sit necesse est. At essentia actualis est media inter nihilum et actum. Ergo essentia actualis est potentia physica subiectiva.

16. *Respondeo: Dist. mai.* Quod est medium *secundum rem* inter nihilum et actum, est potentia physica subiectiva, *Conc. mai.* Quod est medium *secundum rationem sine vel cum fundamento in re*, est potentia physica subiectiva, *Neg. mai.* Ad probationem, *Dist. pariter.* Si quid est medium *secundum rem*, *Conc. prob. secundum rationem. Neg. prob.* In hac enim hypothesi medium illud erit potentia subiectiva, at vero non physica, sed mere logica aut metaphysica, nimirum concipietur ut potentia subiectiva *sine* aut *cum aliquo fundamento in re.* Et, contradistincta minori sub disiunctione, id est, essentia actualis est media *sive re sive ratione*, prout probabitur, et conceditur minor; *re*, quasi hoc aut notum per se sit, aut probatum, et negatur minor: unde *Neg. consequentia.* Ipsa ratio *medii* in quaestione est. Si ergo illud *medium* assumitur uti *reale* sine probatione alia, assumitur revera quod probandum est. Hoc autem videtur fecisse P. Liberatore. Verum est posse ipsum dicere rationem potentiae subiectivae physicae essentiae actuali tribuendam, probari argumentis aliis omnibus, quibus ipsa realis probatur distinctio, et consequenter non gratis rem probandam assumi. Esto, possit id fieri. Animadvertimus tamen non magis hoc, quam ipsam realem distinctionem inter actualem essentiam creatam eiusque exsistentiam argumentis illis probari. Itaque si ostenderimus hoc alterum argumentis illis non probari, una erit ostensum non probari primum, seu essentiam actualem esse potentiam physicam aut medium reale inter nihil et actum.

Responsio in forma.

Declaratur.

Praeoccupatur obiectio.

17. Succedit Em. Card. Pecci. Scribit: « Summa adversariorum difficultas in re praesenti eo redit, ut actum inter nihilumque realitatem ullam mediam nesciant agnoscere. Et non cogitant entitatem cuiusque rei, quae exsistentiam habet et exsistens denominatur, nihilum inter exsistentiamque mediam esse necessario debere. Non cogitant eiusmodi eorum principium scientias omnes pessumdare, harum obiectum annihilando. Enimvero scientiae omnes ab exsistentia praescindunt, cum tamen ab ipsis non de nihilo, sed de re aliqua pertractetur. Datur igitur aliquid medium nihilum inter exsistentiamque intercedens. Brevi, haudquaquam cogitant quod: *Actus et potentia dividunt ens.* Non igitur unum ens in actu datur, sed etiam ens in potentia. Iam si potentia ens est, opus omnino est dari aliquid medium actum inter nihilumque: atque hoc potentia illa est, quae quamvis actus non sit, nihil tamen non est, sed quodammodo ens verum actum inter nihilumque; ens non solum in intellectu divino aut humano, sed plane in substantia creata, quae potentia et actu intrinsece componitur » [1].

Succedit Em Card. Pecci.

Eius verba.

---

[1] Em. Card. Pecci, *Parafrasi e dichiarazione dell' Opuscolo di S. Tommaso:*

Obiectiones tres.

Nimirum Eminentissimi viri de sententia medium illud datur: — α) quia entitas rei, quae habet exsistentiam, est realiter media inter actum et nihilum: — β) quia, si non daretur illa entitas realiter media, scientiae omnes ruerent, siquidem non darentur essentiae, nec porro obiectum scientiarum: — γ) quia, cum *actus et potentia dividant ens*, dari necessario debet ens in potentia, seu pressius *ens potentia*, uti datur ens in actu, seu *ens actus*. Nam potentia illa nihil non est; neque est solum aliquid in intellectu sive divino sive humano, sed est aliquid prorsus in substantia creata.

Respondetur.

18. Sed enim, pace Em. Principis, quae obiicit, facilia sunt, atque ea sane quae sententiae, quam impugnamus, non prosint, sed obsint.

Ad primam.

Ad: — α) respondetur distinguendo: Entitas rei, quae habet exsistentiam, est media *secundum rationem* inter actum et nihilum, *Conc.* Est media *secundum rem*, *Subd.* Si essentia actualis *realiter* distinguitur ab exsistentia, atque τὸ *habet* praesefert ordinem realem possidentis ad rem possessam, rursus *Conc.* Si essentia actualis non distinguitur nisi *ratione* ab exsistentia, atque adeo τὸ *habet* praesefert ordinem rationis et, excludendo ordinem necessarium *essentiae*, significat ordinem contingentem *productionis*,

Declaratur responsio.

Nego. Abs dubio quod essentia a nobis concipitur tanquam complexus praedicatorum essentialium, exsistentia vero tanquam huius complexus actualitas in rerum natura, entitas rei seu actualis essentia *media* omnino est *secundum rationem* inter actum et nihil. Ille enim complexus praedicatorum essentialium, ut substans conceptui praecisivo, neque *nihil* omnino est, neque *actualitatem* habere concipitur. At si sermo sit non de conceptu nostro, seu de re ut concepta, sed de re ipsa in se inspecta, entitas aut essentia *media* erit *realiter* inter nihilum et actum, si realiter distinguitur ab exsistentia; non erit, si realiter non distinguitur ab exsistentia; uti evidens est. Quod enim est uni ex extremis *realiter* identicum, nequit inter illa duo extrema esse *realiter* medium. Eodem pacto quando dicitur: *Entitas, quae habet exsistentiam* etc., verbum *habet* potest innuere realem ordinem possidentis ad rem possessam, uti usuvenit quando dicimus v. g. Petrum habere hastam, clypeum, nummos, et tunc absque controversia inter illa duo datur

De Ente et Essentia, *c. 5. n. 32. R.* — Ex Ephemeridibus: *L'Accademia Romana di S. Tommaso, vol. 2. fasc. 2. 1882.* « La gran difficoltà degli avversarii in questo proposito si riduce a non saper riconoscere alcuna realtà fra l'atto e il nulla, per essi ciò che non è in atto dev'esser nulla. E non pensano che l'entità di una cosa, che ha l'esistenza e si denomina esistente, deve di necessità tramezzare fra il nulla e l'esistenza. Non pensano che questo loro principio rovina le scienze, annullandone gli oggetti: perocchè le scienze prescindono dall'esistenza, eppure esse trattano di qualche cosa, non trattano certo del nulla. Non pensano in somma che: *Actus et potentia dividunt ens:* non vi è sol l'ente in atto, ma anche l'ente in potenza. E se la potenza è ente, convien pure che fra l'atto ed il nulla si dia in realtà qualche cosa di mezzo, e questo è la potenza la quale, comechè non sia atto, non è neppure nulla, ma in qualche modo ente vero fra l'atto e il nulla; ente non nel solo intelletto divino od umano, ma proprio nella sostanza creata, la quale intrinsecamente si compone di potenza e di atto ».

realis distinctio. At si verbum *habet* meminerit tantum ordinem rationis possidentis ad rem possessam, ut cum dicimus v. g. Deum habere scientiam, potentiam etc. infinitam; aut etiam si exprimat ordinem contingentem productionis, uti cum dicimus v. g. hominem, quidquid est, a Deo habere; tunc excluditur quidem essentialis aut formalis identitas secundum conceptus aut adaequatos aut inadaequatos, sed non excluditur necessario identitas realis. Ad rem igitur nostram quod spectat, si essentia actualis esset realiter distincta ab exsistentia, atque verbum *habet* innueret ordinem realem possidentis ad rem possessam, certissime essentia actualis esset *realiter media* inter actum et nihilum. Contra vero, si essentia actualis realiter non distinguitur ab exsistentia, neque media realiter est inter actum et nihilum, neque verbum *habet* significat realem ordinem possidentis ad rem possessam, sed exhibet tantum ordinem rationis sive essentiae aut suppositi possidentis ad se secundum mentis praecisionem possessam, uti evenit in divinis[1]; sive ordinem rei productae ad producentem, et excludit solam essentialem aut formalem identitatem, sive adaequatam sive inadaequatam, inter habentem et rem habitam. Quare dum sine alia probatione assumitur rem, quae habet exsistentiam, mediam esse inter actum et nihilum, ut inde inferatur realis distincto actualis essentiae ab exsistentia, assumitur aut supponitur illud ipsum, quod probandum est. Tantundem enim est probari essentiam actualem realiter distingui vel non distingui ab exsistentia, quantum sive esse vel non esse realiter mediam inter actum et nihilum, sive habere aut non habere exsistentiam, uti aliquid a se realiter distinctum.

Respondetur ad secundam.

Miranda obiectio in tali viro.

19. Ad: — β) Miramur prorsus Eminentissimum Sectatorem D. Thomae, et nullo modo Scoti, illam rationem in medium attulisse. Latere enim nequivit virum apprime eruditum Scotistas ea ratione usos, ut probarent dari formaliter universalia a parte rei, contra ac D. Thomas docuerat. Ad rationem autem respondemus distinguendo. Si non daretur actualis essentia aut entitas media inter actum et nihilum neque *secundum rem*, neque *secundum abstractionem mentis cum fundamento in re*, scientiae omnes ruerent, *Transeat* vel *Conc.* De Deo enim singularissimo et cuius essentia est formaliter suum esse, dari potest scientia propriissime dicta. Physica item aut scientiae naturales, quamvis abstrahant ab individuis, non abstrahunt tamen a materia sensibili, exsistente proinde et individuata. Altiores utique humanae scientiae speculativae abstrahunt etiam vel a materia sensibili, vel a sensibili simul et intelligibili. Istae autem scientiae, si neque *re*, neque *ratione* τὸ *esse* ab actuali essentia distingueretur, abs dubio de rebus contingentibus realibus non possent haberi. Quare illud distinctionis membrum vel transmittendum vel concedendum etiam est. Si non daretur essentia actualis media *secundum rem*, sed contra daretur

---

[1] *I. Tim. 6, 16.* — Cfr. D. Thomam, *Summ. Theol. 1. p. q. 39. a. 2. corp. et ad 4um.*

secundum mentis abstractionem cum fundamento in re, scientiae omnes ruerent, *Neg.* Ut dari possit scientia nostra, quae ex D. Thoma et Doctoribus aliis tota abstractione viget, ita ut secundum gradum abstractionis inferior aut superior dicatur scientia [1], requiritur et satis est ut universalis quidditas, quam scientia nostra considerat, fundamentaliter in re sit, utut in ipsis individuis individuata. In hoc reali fundamento habetur reale scientiae nostrae obiectum, atque ex reali obiecto scientia realis denominatur. At vero non requiritur ut essentia realis, quam scientia considerat, sit realiter distincta ab reali alia ratione qualibet, quae in individuis est; hoc enim inferret universale a parte rei non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter: quod, consentientibus adversariis cum quibus disputamus, omnino repugnat. Itaque licet sequenti pacto adversarium urgere. Vel essentia actualis, quae dicitur scientiae obiectum, quamvis dicatur realiter distincta ab esse, non dicitur tamen realiter distincta a reliquis principiis individuantibus, si praeter esse alia dantur principia individuantia, quod nunc non qnaero; vel contra dicitur etiam realiter distincta a reliquis principiis individuantibus. Si 1um eligatur, tunc vel de essentia illa, quae esset realiter identica aliis principiis individuantibus, non posset, ex adversario, dari scientia, et incassum laboratur in reali distinctione essentiae ab esse; cum, sive detur sive non detur, essentia realis creata aliis principiis individuantibus realiter identica, utpote singularis et contingens, non posset esse obiectum scientiae nostrae; vel certe si, non obstante reali singularitate et contingentia illius essentiae, mens potest ipsam per abstractionem universaliter et ut necessariam considerare, et vera scientia potiri; eadem omnino ratione, data identitate reali inter essentiam et esse, mens poterit ab esse singulari et contingenti praescindere, et de essentia secundum talem abstractionem universali et necessaria scientiam proprie dictam nancisci. In neutro enim casu, ex vi solius realis identitatis, uti iam probatum est, sive principia individuantia, sive ipsum esse evadunt praedicata quidditativa communis essentiae. Poterit igitur communis essentia a nobis praecisive cognoscentibus sine omnibus individuantibus, ipso esse non excluso, considerari, et haberi scientia nostra proprie dicta. Falsum est igitur ruituras scientias nostras, si esse ab actuali essentia realiter non distingueretur. Si vero eligatur 2um, quandoquidem essentia actualis esset realiter distincta non solum ab esse, sed etiam ab omnibus principiis individuantibus, esset etiam formaliter universalis a parte rei: quod nullo modo dici potest.

Adversarius instantius urgetur.

20. Atque hoc eo durius in re praesenti esse videtur, quod formaliter universalis a parte rei esse deberet ipsa ratio essentiae actualis, ut sic. Nam si formaliter datur a parte rei vera essen-

---

[1] Cfr. D. Thomam, *Super Boetium, De Trinitate*, § AGE IGITUR INGREDIAMUR... *circa med.* — Metaph. *lib. 6. Lect. 1.* — Suarez, *Metaph. Disp. I. Sect. 2. n. 13. etc.*

tia actualis, ut sic, cum res omnes productae habeant essentiam actualem, ut sic; res omnes productae essent realiter et formaliter unum in essentia actuali, ut sic. Rursum cum singula praedicata essentialia non essent realiter et formaliter adaequate distincta, sed realiter et formaliter adaequate identica essentiae actuali, ut sic; essentiae prorsus omnes productae essent unica formalis realitas, phaenomenis forsan variis distinctae, at re identicae. Hinc:— α) periret ordo distinctionis realis et formalis in rebus factis, quamvis forsan remaneret ordo phaenomenicus, et consequenter periret ex principiis adversarii realis ordo distinctionis in scientiis ipsis, quae reale obiectum sibi proprium non possent amplius vindicare, quamvis forsan possent phaenomenicum. — β) In illa formali realitate necessario deberet contineri tota perfectio entis contingentis, cum omne ens contingens, si reale fieret, deberet participare de actuali essentia, ut sic. Illa autem perfectio, si revera potest, uti D. Thomae et communior sententia est [1], syncategorematice infinitis non solum individuis, sed etiam speciebus multiplicari, cum actualem requireret infinitatem, in nullo ente limitato tota poterit contineri. Quapropter illa essentia actualis, ut sic, si dicitur creata, et consequenter limitata, continebit *additum removens*, et erit in terminis contradictoria; erit enim simul essentialiter limitata et illimitata: si vero dicitur illimitata, pantheismum non solum logicum, sed etiam realem revera infert. Usque adeo facile est etiam viro docto et ex puro veritatis amore disquirenti, si modo contentio animum occuparit, a veritate deflectere!

Facillimum est, si contentio animum occupavit, in errorem delabi.

21. Ad: — γ) quod nimirum, cum *actus et potentia dividant ens*, dari debet *ens potentia*, uti datur *ens-actus*, responsio difficilis non est. Iam monuimus divisionem illam entis in actum et potentiam allatam fuisse ab Aristotele et receptam a Doctoribus Scholae de ente reali quidem, sed in sua maxima abstractione sumpto; membra vero dividentia, *actum* et *potentiam*, fuisse superioribus temporibus usque intellecta de potentia logica et actu reali. Iuxta huiusmodi autem intellectum, quin sequatur dari potentiam aliquam subiectivam physicam mediam inter actum et nihilum, non prout nihilum dicit ens contradictorium, sed prout innuit id, quod non est et potest esse, sequitur oppositum, seu illam potentiam non dari. Enimvero, iuxta illum intellectum, quidquid utcumque est, actus est; quidquid vero non est et esse potest, est potentia et nihilum. — Quod si ens, seu totum dividendum non sit ens communissimum secundum totam suam abstractionem sumptum, ac porro totum logicum; sed sit ens physicum et quidem praedicamentale; admitti quidem potest illa divisio, si membra dividentia praeseferant rationes entis varias sive physicas sive metaphysicas, sive substantiales sive accidentales, in singulis et in omnibus entibus praedicamentalibus inveniendas; non autem si significent

Respondetur ad tertiam.

[1] Piccirelli, *In 1.am p.em D. Thomae*, De Deo Uno et Trino, *Disp. 2, Sect. 4. q. 25. n. 419.*

reales entitates, quarum una sic realis potentia sit, ut nullo modo sit actus, altera sic sit actus, ut nullo modo, ne realiter quidem, sit potentia. Ratio prioris est, quod singula et omnia entia creata, ac porro predicamentalia, sic actualitatem dicunt, ut potentialitatem aliquam includant, quatenus includunt aut genus et differentiam, aut potentiam substantialem physicam et physicum actum, aut subiectum et accidens, aut compositiones alias sive physicas sive metaphysicas ex partibus aut physicis aut metaphysicis. Conceptus enim obiectivus actus, exhibens aliquid perfectum aut perficiens, excludit conceptum potentiae, quae exhibet aliquid perfectibile. In singulis autem et omnibus creatis entibus semper datur vel dari potest aliquid physice aut metaphysice perfectibile aut perficiens. In singulis igitur et omnibus entibus creatis datur vel dari potest aliqua ratio potentiae et aliqua ratio actus. — Secundi vero ratio est quod, quamvis detur ens reale, et illud plane haudquaquam praedicamentale, quod ita est actus, ut nullo modo sit potentia, passiva utique de qua loquimur; nullum tamen datur vel dari potest ens, quod ita sit potentia realis, ut non sit nisi potentia et nullo modo actus. Nam si secundum totum, quod est, potentia est, secundum totum, quod est, non habet id, ad quod est in potentia. Quod autem non habet id, ad quod est in potentia, quatenus hoc non habet, nihil est. Ergo si secundum totum, quod est, potentia est, secundum totum, quod est, nihil est. Repugnat igitur ut actus et potentia sic dividant ens reale, ut alia realis entitas sit solummodo realis potentia et nullo modo actus; et forsan repugnat etiam, ut alia creata realis entitas sic sit actus, ut non *reduplicative*, qua actus, sed *specificative*, quae est actus, nullo modo sit potentia. Sed hoc alterum nunc non ulterius inquiram: commodiori forsan loco subinde discutietur.

Quid aggerant adversarii? Primo.

22. Vim huius rationis dupliciter conantur adversarii infringere: 1.° Aiendo realem essentiam denominari *puram potentiam* a nihilo pro signo, pro quo nondum sub exsistentiae actu est, et nihil est; denominari contra *actualem* ab ipso actu exsistentiae pro signo, pro quo sub actu exsistentiae est, et actualis est; quatenus realis potentia ea esset realis entitas, quae nisi ab alia entitate a se realiter distincta haberet actualitatem, nihil esset; realis vero actus ea esset realis entitas, quae cum sit realiter a potentia distincta, ipsi confert ut sit, seu confert actualitatem: 2.° Aiendo, realem essentiam habere quidem ex se actualitatem essentiae, qua in ratione potentiae realis constituitur; sed non habere actualitatem exsistentiae, nisi ab alia entitate a se realiter distincta, quae exsistentiae actus sit, quamque debet recipere, ut reale ens simpliciter habeatur. Itaque realis aut actualis essentia et exsistentia binae sunt entitates aut partes reales, altera potentia actus altera, non *ex quibus*, sed *cum quibus* reale ens constituitur, et sic rectissime ens reale dicitur dividi in realem potentiam et realem actum.

Secundo.

Impugnatur simul utraque responsio.

23. Utraque autem responsio primo illo laborat incommodo, quod adversarii non ex Aristotelico axiomate, uti velle videntur, suam thesim derivant; sed contra Aristotelico axiomati sensum tribuunt

suae theseos. Quem sensum si sine alia probatione admittunt, uti loco superius laudato facit Eminentissimus adversarius, quem nunc impugnamus, apertissime petunt principium. Idem enim est dicere: Realem essentiam non denominari actualem, nisi ab exsistentia a se realiter distincta; vel actualem essentiam non esse simpliciter actualem, nisi cum exsistentia a se realiter distincta, et sic dividere ens in potentiam et actum, tanquam in partes realiter distinctas; ac dicere: Essentiam exsistentiamque inter se realiter distinctas dividere ens reale in potentiam et actum, quasi totum physicum in partes physicas, seu realiter distinctas. — Praeterea, missis aliis quae suo loco dicentur, essentia, ut potentia et quatenus dividit ens contra actum, nihil reale est in ordine physico; quatenus actualis est et denominatur ab actu exsistentiae, ipsam exsistentiam includit. Prior proinde declaratio efficit, ut illa divisio non sit inter membra realia realitate ordinis physici, cum unum membrum nihil omnino sit in ordine physico, nec consequenter dici potest divisio simpliciter realis seu realis positiva, sed dicenda esset realis negativa aut mixta, qualis est inter reale ens et non-ens; et sic nulla est illa entitas media, quam comminiscitur Em. adversarius. Declaratio vero altera dat, ut ratio actus in utroque includatur divisionis membro; atque adeo dat, ut illa divisio non sit inter membra repugnantia, sed ad summum inter membra includentia et inclusa, quatenus potentia includeret actum, actus vero inspiceretur ut non inclusus in potentia quod esset opus rationis, et illam divisionem simpliciter redderet non realem, sed rationis; nec quidquam doceret: Utrum actus includeretur in essentia actuali aut potentia cum reali utriusque identitate, an vero cum reali utriusque distinctione. — Iuxta 2.^{am} vero responsionem, imprimis falsum esset potentiam et actum dividere ens reale seu physicum. Daretur enim actus essentiae, seu actus-essentia qui, qua talis, nequit dici potentia, nec contineretur sub illo actu reali, qui contradistinctus a reali potentia reale ens divideret. Itaque, iuxta adversarios ens reale deberet dici divisum vel dividendum *in actum-potentiam* aut *potentiam-actum*, et *in actum*. Quae quanto intervallo a Philosophi axiomate distent, quis non videat? Quanto arbitratu in medium afferantur, quis non sentiat?

Dissipantur reliqua ab. Em. Auctore prolata.

24. Quod demum subdit Em. Auctor, potentiam debere esse in re, non autem in intellectu divino aut humano, nullo modo ad rem facit. Si enim loquamur de actu et potentia in sensu Aristotelico, potentia non est proprie in mente divina aut humana, sed est in re, quae logice actuatur in mente divina aut humana; seu res ipsa, prout tantum habet actu esse logicum in mente sive divina sive humana, est res in potentia; dum, contra, est in actu, ubi ponitur aut est in rerum natura. Si vero loquamur de actu et potentia, prout possunt dividere ens reale, quatenus exhibent varias eius rationes sive physicas sive metaphysicas; et eiusmodi potentiae, sicut et actus ratio in rebus est aut formaliter aut fundamentaliter, sicut nuper declaratum est. Si demum de illa potentia et actu loquamur, quae singillatim essent creati entis essentia actualis

et exsistentia, haec physice, metaphysice aut logice erunt in rebus, prout probabitur essentiam et exsistentiam creati entis realiter, aut ratione ratiocinata, aut ratione ratiocinante inter sese distingui. Probet igitur Em. Auctor potentiam et actum seu essentiam actualem et esse dividere ens reale in partes physicas, aut, quod idem est, essentiam actualem et esse realiter inter se distingui, et tunc habebit potentiam realem realiter mediam inter nihilum et actum. Dum enim hoc ultimum sine probatione assumit, uti ostensum est, ad illud probandum, pace sua, petit principium.

Instat P. Remer.

25. Sequitur P. Remer: « Si esse creaturarum non esset aliud ab earum essentia, nullum reale accidens, aliud ab essentia, creaturae suscipere possent. Atqui creaturae suscipiunt plurima accidentia realia, quae sunt alia ab essentia. Ergo..... *Prob. mai.* Nullum ens potest suscipere quidquam, nisi constet potentia et actu, et potentia quidem, quae talis sit respectu actus, quem suscipere posse dicitur. Atqui si essentia creaturae sit idem ac esse, creatura constat solo actu et non potentia; et actu quidem, qui respectu nullius ordinis est potentia..... Quare qui concipit Angelum, hominem, brutum, arborem, actuabilia ulterius per accidentia, non concipit eorum *esse* actuabile, quod idem semper manet, sed subiectum, in quo recipitur esse. Ergo subiectum habens esse debet constare non solo esse, sed et potentia huius esse, quae est essentia. — Confirmatur luculenter hoc argumentum ex eo, quod ideo Deus non potest ulteriorem suscipere perfectionem, quia eius essentia est esse » [1].

Respondetur.

26. *Respondeo: Dist. mai.* Si esse creaturarum non esset aliud ab earum essentia *Formaliter*, nullum etc., *Conc. mai. Realiter*, *Subd. mai. Quatenus esse est*, seu sub praeciso respectu τοῦ *esse*, *Transeat* vel *Conc. mai. Quatenus essentia est*, seu sub praeciso respectu essentiae, *Neg. mai.* Et, concessa minori, sub datis distinctionibus *Neg. consequentiam.* — Ad *prob. Dist. mai.* Nullum ens potest suscipere quidquam, nisi constet potentia et actu etc. *Realiter distinctis. Neg. mai. Aut realiter distinctis, aut realiter identicis et formaliter distinctis, Conc. mai.* Distinguo etiam minorem. Si essentia creaturae sit idem *Formaliter* ac esse, creatura etc., *Conc. min.* Si idem *Realiter*, *Subd. min.* Creatura constaret solo actu, et non potentia, *ab actu formaliter distincta*, *Neg. min. Ab actu realiter distincta*, seu creatura esset non actus purus perfectusque, sed impurus et imperfectus, potentialitatem, non *reduplicative*, qua actus, sed *specificative*, qua res aut creatura est, includens, *Conc. min.* — Quare qui concipit Angelum etc., non concipit esse actuabile....., sed subiectum, in quo recipitur esse, *Dist. Conceptu formali*, *Conc. Conceptu reali*, *Subd. Conceptu reali adaequato*, *Neg. Inadaequato*, *Conc.* Ergo subiectum habens esse, debet constare non solo esse, sed et potentia huius esse, quae est

[1] Remer, *loc. laud.*

essentia, *Dist. consequens.* Debet *Formaliter* constare non solo esse etc. *Conc. consequentiam. Realiter, Neg. consequentiam.*

Declaratur responsio.

27. Certe si esse creaturarum esset *formaliter* idem cum essentia, atque adeo creatura esset id, quod est, ex vi praecise sui esse; creatura esset ens essentialiter exsistens, ac porro subsistens, seu esset ens a se, habens totam illam perfectionem, quae tali enti convenit. Huiusmodi autem enti, utpote habenti perfectionem infinitam, *identice aut materialiter;* utpote puro τῷ esse, seu actui nulla passiva potentialitate admixto, *formaliter* repugnaret ut aliquid aliud ab essentia vel ab ipso esse susciperet; ac multo magis repugnaret, ut susciperet accidentia ab essentia realiter distincta. At si esse creaturae est solummodo realiter *idem*, sed *formaliter* distinctum ab essentia; id quod revera sequitur, quidquid aliqui secus videantur dicere, hoc demum est, quod sub praeciso respectu τοῦ *esse* creaturae nullum reale accidens, imo reale nihil possent suscipere. Praecisus enim respectus τοῦ *esse* meminit: *extra nihilum et extra causas*, seu essentiae modum quendam metaphysicum, qui ad modum formae cum essentia unam constituit rationem compositam. Certum autem est in modo metaphysico reale nihil recipi posse, aut modum metaphysicum reale nihil posse suscipere. Itaque, in hoc sensu, assertionem adversarii *transmisimus*, ne hoc loco adversarios alios sine ratione concitemus; sed nostra de sententia prorsus concessimus. — At si non sub praeciso respectu τοῦ *esse*, sed sub respectu realis essentiae creatura consideretur, nihil omnino impediet, quominus ipsa realia accidentia possit suscipere. Non impediet *ipsum esse*, seu quod creatura est *extra nihilum et extra causas;* quia hoc potius requiritur, tanquam quaedam conditio, ut ipsa realis alicuis perfectionis praeter id, quod est et quo est, sit capax. Non impediet *eius essentia*, quae cum non ex vi sui sed ex vi extrinseci agentis sit, non erit illimitata, sed limitata, adeoque ulterioris perfectionis, saltem accidentalis, capax; potentiam proprie dictam respectu illius actus, quem debet suscipere, aut includet aut poterit connaturaliter includere, v. g. relate ad proprietates physicas realiter ab ipsa distinctas, quas sibi substantia quaelibet creata connaturaliter vindicat. Non impediet *realis identitas essentiae et esse*, seu quod essentia et esse creaturae sint una et eadem res: uti quamvis animal et rationale in homine sint una et eadem res; tamen quia sunt formaliter distincta et, ex doctrina D. Thomae [1], rationale se habet ad animal sicut actus ad potentiam; anima humana, quatenus sensitiva est, potest aut in se, iuxta Scotistas, aut in composito, iuxta veriorem doctrinam Angelici Magistri, recipere potentias sensitivas, iuxta probabilem opinionem, realiter distinctas; aut certe suscipere sive realiter in se, sive realiter in suis potentiis, actus sensitivos qui, cum sint aut reales qualitates absolutae, aut reales qualitates modales, iuxta varias sententias, sunt

[1] D. Thomas, *summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 5. corp.*

realia accidentia maiori minorive reali distinctione, ab essentia animae aut potentiarum sensitivarum distincta. Itaque ex eo quod substantia creata potest suscipere realia accidentia, ab eius essentia realiter distincta, non sequitur in ipsa *realiter* distingui essentiam et esse, sed solum sequitur necessario distingui *formaliter*. — Atque ex his etiam declarata et probata manet responsio adversarii probationi subnexa. Addimus solum labilem esse probationem, qua ex praecisivo nostro conceptu sive formali, sive reali inadaequato ad rem ipsam fit transitus. Qui enim conciperet reale marsupium sine nummis in ipso realiter contentis, sine sophismate non inferret ex illo conceptu reale illud marsupium, quod nummis plenum est, esse prorsus vacuum. Addimus etiam non solum non esse *luculentam*, sed nullam penitus esse confirmationem ex Deo derivatam; in Deo enim essentia et esse non solum *realiter*, sed etiam *formaliter* idem sunt, quod alterum nullo modo in creatura obtinet.

Reiicitur secundum argumenti bipartiti ab initio positi.

28. Ut autem ad secundum, quod ab initio propositum est, transeamus, quo nimirum dicebatur: *Si in creatura essentia actualis et esse non realiter distinguuntur, essentia creata esset actus purus:*

Sequela non tenet.

Respondemus sequelam illam non tenere neque *formaliter*, neque *illative*.

Formaliter.

Non tenet *formaliter*. Quamvis enim neque conceptus essentiae, ut sic, neque item conceptus τοῦ *esse*, ut sic, formaliter dicat limitationem; neutri tamen conceptui, formaliter inspecto, limitatio repugnat, unde unde limitationis ratio sit repetenda. Abs dubio in omnibus creaturis utrumque de facto limitatur: quod fieri non posset, si communicatio limitata ex sese et ratione sui, seu *formaliter* sive essentiae conceptui, ut sic, repugnaret, sive conceptui τοῦ *esse*, ut sic. Itaque ex hoc praecise, quod essentia producta, vel essentia aliqua v. g. hominis, leonis, lapidis, sit realiter identica τῷ *esse*, non sequitur ex loco intrinseco quod hoc ens, homo, leo, lapis, sit ens simpliciter illimitatum. At si hoc ens non est simpliciter illimitatum, neque est aut esse potest actus simpliciter purus. Ens enim omne simpliciter limitatum, quod ulteriorem perfectionem potest recipere, non excludit omnem potentiam passivam, imo aliquam aut plures necessario sibi vindicat, et consequenter non est nec esse potest actus simpliciter purus. Igitur cum realis identitas essentiae et esse formaliter seu ex vi praecise sui non excludat limitationem, formaliter aut ex vi praecise sui non excludit ab essentia aut a creatura potentialitatem, et sic illa sequela *formaliter* non tenet.

Non tenet illative.

29. Sed nec tenet *illative*. Teneret quatenus, si essentia creata esset realiter identica τῷ *esse*, ipsum eius esse non esset *receptum* in aliquo, sed in aliquo *irreceptum*: si autem esset irreceptum in aliquo, esset etiam necessario irreceptum ab aliquo. At esse irreceptum ab aliquo est ens a se et actus purissimus. Ergo si essentia creata, homo, leo, lapis esset realiter identica τῷ *esse*, esset etiam ens irreceptum ab aliquo et actus purissimus; adeoque esset simul et non esset ens creatum, quod contradictorium est. Ergo. —

Proponitur adversariorum illatio.

Reiicitur primo.

Sed enim ex hoc argumento non infertur apodictice creaturam eva-

dere actum purissimum, si eius actualis essentia realiter ab esse non distinguatur. Potest enim: 1.ª concessis reliquis, negari universim *sequela* 2ª partis maioris et duplex subinde *consequentia*. Universim enim non sequitur, si aliquid est non receptum seu irreceptum in aliquo, illud esse etiam irreceptum ab aliquo. Essentia enim aut substantia Angelica non est recepta in aliquo, et tamen est recepta ab aliquo. Quare S. Doctor scribit: « Sed natura vel quidditas earum (*creatarum substantiarum intellectualium*) est absoluta, *non recepta in aliqua materia*: et ideo dicitur in libro *De causis*, quod intelligentiae sunt *finitae superius, et infinitae inferius* » [1]. — Quod si dicatur sequela tenere non in quolibet, sed in solo esse, respondetur: 2.° Distinguendo 1ªm partem maioris. Ipsum esse non esset receptum in aliquo *improprie et metaphysice*, *Neg. Proprie et physice*, *Conc.*, *sed Neg. suppositum*. Et *Contrad. 2ªm partem*. Si *esse* esset irreceptum in aliquo *tum proprie et physice*, *tum improprie et metaphysice*, esset etiam irreceptum ab aliquo. *Conc.* Ea enim in hypothesi tale *esse* esset necessario subsistens, ac porro a se. Si solummodo *proprie et physice*, *Neg.* et *Neg. suppositum*, quod esse possit recipi proprie et physice in essentia. « Pati, *ait S. Doctor*, RECIPERE, subiectum esse, et omnia huiusmodi, quae videntur rebus ratione materiae convenire, AEQUIVOCE conveniunt substantiis intellectualibus et corporalibus » [2]. Non discutimus valorem huius testimoninii in doctrina Angelici praeceptoris; de eo enim suo loco erit nobis agendum [3]. Desumimus solum *recipere* et *omnia*

Reiicitur secundo.

D. Thomas.

---

[1] D. Thomas, *De Ente et Essentia, c. 6.*

[2] D. Thomas, *De Ente et Essentia, c. 5.*

[3] Quamvis nobis propositum sit in ventilanda hac quaestione ab auctoritate Doctoris Angelici omnino praescindere; non abs re tamen erit ad quorundam terminorum declarationem aliqua exscribere ex iis, quae in Commentario 1ae p. q. 4. a. 1. publici iuris facta sunt. Scripsimus ergo loc. cit.: « Tertio autem loco obiicit sibi s. Doctor: *Essentia Dei est ipsum esse. Sed ipsum esse videtur esse imperfectissimum, cum sit communissimum et recipiens omnium additionem. Ergo Deus est imperfectus.* — Responsio ex iis, quae D. Thomas docuit tota quaestione superiore, ac praesertim articulo quarto, esset omnino obvia. Nimirum *distinguitur maior*. Essentia Dei est ipsum esse *subsistens*, *Conc. mai. Abstractum*, *Neg. mai.* Et contradistincta minori, *Neg. consequentiam*. Quam responsionem S. Doctor insinuat etiam articulo sequenti ad tertium. Verum, in praesenti, huius distinctionis non meminit; quamvis, abs dubio, ipsam supponat, et quodam modo compleat. Ait enim: *Ad 3um dicendum quod ipsum esse est perfectissimum omnium. Comparatur enim ad omnia, ut actus; nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est. Unde non comparatur ad alia sicut* RECIPIENS *ad* RECEPTUM, *sed magis sicut* RECEPTUM *ad* RECIPIENS. *Cum enim dico esse hominis vel equi, vel cuiusquam alterius, ipsum esse consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud, cui competit esse.* Docet nimirum de ipso esse non subsistenti, sed vel abstracte considerato, vel realiter in participantibus ipsum, quod τὸ esse, non quatenus praedicatum quidditativum est cuiuscumque rei, ut cum dicimus v. g. *Lapis est aliquod esse, vel aliquod ens*, sed quatenus significat exsistentiam cuiuscumque rei, est perfectissimum omnium rerum et ipsarum formarum; quia ad omnia, etiam ad formas, comparatur ut actus, cum nihil habeat actualitatem, nisi in quantum EST, ac proinde est id, quod ultimam perfectionem rei tribuit. Unde in responsione ad *tertium* articuli sequentis docet cum vulgato Dionysio ipsum esse *indefinite et abstracte* inspectum perfectius esse vita, sapientia ac similibus, quia haec omnia includit; quamvis

huiusmodi non eodem modo dici de corporalibus et incorporalibus, ac porro de ipso *esse*, quod certe, cum simplicissimum et actualissimum sit, corporale, ex adversariorum sententia, dici non potest.

τὸ *esse* nequit recipi in essentia proprie et physice.

30. Age iam *esse* dici nequit receptum in essentia *proprie et physice* et sic ab ea limitari. Esse enim, si *abstracte* sumitur, est ens rationis, nec proinde *proprie et physice* in aliquo recipi potest. Si

Esse abstractum.

Esse reale universaliter sumptum.

sumitur *realiter*, aut intelligitur *universaliter*, et tunc *realiter* esset *ipsum esse*, quod necessario esset *subsistens*, nec consequenter in essentia limitata posset *recipi*, nec ab essentia limitata posset limitari, uti in superiobus probatum est: ceterum si utrumque daretur, unum et idem esse subsistens esset limitate in rebus omnibus,

Esse reale particulariter sumptum.

et haberetur realis pantheismus. Aut intelligitur *particulariter*, et tunc necessario limitabitur ab actione producente hoc esse, et non illud, et ab essentia aut potentia non limitabitur *intrinsece* et *for-*

Urgentur adversarii.

maliter, sed *extrinsece* et *connotative*, uti in superioribus probatum est.[1] Si igitur esse particulare necessario producitur ac productione ipsa limitatur, tunc dici posset vel deberet non productum vel irreceptum ab aliquo, si creatum esse realiter identificaretur essentiae, quando vel limitatio aut particularitas esse exigeret receptionem propriam et physicam in essentia; vel identitas realis utriusque excluderet receptionem etiam impropriam et metaphysicam; vel impropria et metaphysica receptio, non posset efficere, ut esse sit limitatum et consequenter productum; nihil enim aliud dici posse videtur. Nihil autem horum dici potest. Non 1um; quia probatum iam est receptionem *esse* in essentia non posse esse propriam et physicam; et, si hoc daretur, non posse intrinsece et formaliter ipsum limitare; et ad ipsum limitandum exigitive non requiri realem et propriam receptionem. Si enim haec essentia hanc exigit actualitatem, sive haec sit proprie sive sit improprie

---

determinate ac concrete inspectum, prout nempe ens dicitur, imperfectius sit, quam vivens, et sapiens. Ex quibus sequitur quod S. Doctor difficultati propositae in forma respondet: *Nego minorem.* Intelligimus hinc, si τὸ *esse* tum quatenus *actus* est omnium, tum quatenus *indefinite omnia includit*, perfectissimum omnium est, a fortiori esse Dei, quod subsistens est, hoc ipsum sibi vindicare. — Interim nota D. Thomam, hoc loco, solam rationis distinctionem agnoscere inter esse et actualem essentiam creatam. Dicit quidem: *Ipsum esse est actualitas omnium rerum et etiam ipsarum formarum*, sed quare? *Comparatur enim, inquit, ad omnia ut actus.... non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens. Cum enim dico esse* CONSIDERATUR UT FORMALE ET RECEPTUM. Considerationе ergo mentis ista locum habent, non *re*. Quare in responsione ad 3um articuli sequentis ait: *Licet ipsum esse sit perfectius, quam vita, et ipsa vita quam ipsa sapientia, si considerantur secundum quod* DISTINGUUNTUR RATIONE, *tamen vivens est perfectius quam ens tantum, quia vivens etiam est ens, et sapiens est ens et vivens.* Nec obest quod D. Thomas dicat τὸ esse *recipi* vel *esse receptum*. Huismodi enim receptio non est realis, sed logica. *Consideratur*, ait, *ut receptum*. Ceterum receptio si non sermo sit de rebus materialibus, ex generali doctrina S. Doctoris, *aequivoce* dicitur: *Pati*, ait, RECIPERE, *subiectum esse, et* OMNIA HUIUSMODI, *quae videntur rebus ratione materiae convenire,* AEQUIVOCE *conveniunt substantiis intellectualibus et corporalibus.* Esse autem, ex Angelici doctrina, non recipitur *solum* in substantiis corporalibus creatis, ac minus multo ratione materiae, sed etiam in substantiis intellectualibus.

[1] Vide supra Sect. 1. n. 52 seqq.

in ipsa recepta, hanc, si producatur, actualitatem habebit. Non 2.um; quia, uti etiam declaratum est et expresse id docet D. Thomas, natura communis et, universim, notio universalior individuo aut notioni particulari identica, dici potest in individuo aut in notione particulari metaphysice recepta, quando illa se habet ad modum formae, haec subiecti. Sic natura humana metaphysice recipitur in Petro et Paulo, et essentia in subsistente: imo quidquid habet rationem formae aut ad rationem formae significatur, dicitur recipi in eo, quod significatur ad modum materiae, uti differentia in genere, gradus metaphysicus inferior in superiori, praedicatum propositionis in subiecto. Non 3.um; quia receptio metaphysica id demum meminit, ut quod recipi dicitur sit commensuratum ei, quod dicitur recipere. Hoc autem per realem utriusque identitatem non solum non excluditur, sed contra plenius habetur, uti evidens est. Ergo.

Instantia ex Em. Zigliara.

31. *Dices:* « Essentia cuiuslibet rei, sive consideretur in statu possibilitatis sive in statu realitatis, praecise ut essentia est, non constituitur per aliquam causam *efficientem* sui productivam, sed per seipsam, hoc est per principia sibi propria et intrinseca ipsam constituentia. ..... Ergo si exsistentia in rebus creatis realiter non distingueretur ab essentia, sicut essentia non est per causam efficientem extrinsecam, ita realiter exsisteret sine causa efficiente extrinseca ipsam ad exsistentiam educente: quod est esse improductum ».[1] — *Respondeo:* Essentia cuiuslibet rei (creatae nimirum; de his enim loquimur) non constituitur etc. *Dist. mai.* Et neque *connotat in obliquo* causam efficientem extrinsecam, *Neg. mai.* Et tamen *connotat in obliquo*, *Conc. mai.* Et *Contr. consequens.* Si essentia esset sine causa efficiente extrinseca tum *constitutive*, tum *connotative*, *Conc. consequentiam.* Si quamvis essentia sit etc. *constitutive*, non est tamen *connotative*, *Neg. consequentiam.* Essentia spectari potest vel secundum ea, quibns constituitur; vel secundum ea quae connotat, et quae consequenter dicuntur *in obliquo.* Si priori modo inspiciatur, essentia cuiuslibet creaturae, praesertim sub formali et praeciso essentiae conceptu, ea tantum praesefert praedicata, quibus intrinsece constituitur et propria effertur definitione: sic essentia hominis aut leonis illa tantum innuit praedicata, quibus species humana aut leonina constituitur. Porro inter huiusmodi praedicata, quae non solum notioni abstractae, sed ipsis etiam speciei individuis intrinseca sunt, praecise *quia extrinseca est*, extrinseca causa non continetur. At vero si non praecise secundum intrinseca constitutiva spectetur essentia, sed spectetur etiam secundum connotata; ea, quod rei contingentis essentia est, ut mere possibilis est, non est *producta actu*, sed *potest produci;* ut actualis, est *actu producta.* Quod autem huiusmodi est, essentialem dicit aut includit habitudinem ad causam efficientem extrinsecam; est enim essentialiter effectus qui, qua talis, sine causa

Responsio.

---

[1] Em. Card. Zigliara, *Ontol. lib. 2. c. 1. a. 6. V.*

efficiente extrinseca, neque esse potest, neque intelligi. Huinsmodi autem habitudo, quae a cuiuslibet creaturae essentia necessario connotatur, satis superque est, ut exsistentia, cum actuali creaturae essentia realiter identica, non sit a se, sed sit producta aut recepta ab alio, ubi producta aut recepta ab alio in creaturis est ipsa actualis essentia. Verum est Em. Auctorem, uti mox videbimus, ita loqui in hac materia, ut videatur fere innuere essentias etiam physicas creaturarum, praescindendo ab exsistentia, esse aliquid improductum. Quod tamen inducere animum non possumus de eius esse mente; intolerandum enim in philosophia et theologia contineret errorem: dari nimirum reale aliquid extra Deum, quod non esset formaliter a Deo productum. Sed de hoc postea.

Intolerandus in philosophia et Theologia esset error, supponere dari reale quid extra Deum non ab ipso productum.

III.

Non prob.: — γ) *ex creati entis contingentia.*

Innuitur argumentum adversariorum.

32. Probaretur quatenus, si creati entis actualis essentia eiusque exsistentia essent realiter identicae, creatum ens evaderet seu esset ens necessarium. Id autem non sequitur. Cum enim creati entis actualis essentia, quantumvis praecise concipiatur, sit essentialiter contingens, seu esse possit et non esse; contingens item sit, etiam praecisive inspecta, creati entis exsistentia; quamvis ista duo, in actuali essentia, ut una ratio composita concipiantur, et sint realiter una res, essentialem contingentiam non possunt amittere. At si essentialem contingentiam non possunt amittere, ex actualis essentiae et exsistentiae reali identitate creatum ens nequit evadere aut esse ens necessarium, uti evidens est. Ergo. Atque plane realis identitas duarum rationum essentialiter contingentium, si quid potest praestare, id nequit esse certe ablatio aut diminutio essentialis contingentiae; sed potius, ut ita loquar, essentialis contingentiae augumentum et maior quodammodo intensio.

Propulsatur.

Essentialis contingentia duarum rationum formalium in uno et eodem reali ente nequit minuere, sed potius quodammodo auget contingentiam.

Obiectio, ex Em. Card. Zigliara.

33. *Obiicit Em. Card. Zigliara:* « Probavimus supra essentias rerum esse immutabiles et necessarias; et hoc sive considerentur in ordine ideali seu possibilitatis, sive in ordine reali. Essentia autem complectitur ea, quae suam definitionem consequuntur. Si ergo essentia exsistens est idem realiter ac exsistentia, haec erit necessaria, sicut necessaria est essentia; et sicut essentia non potest privari *seipsa*, ita non posset privari exsistentia. Et sic omnis creatura necessario exsisteret..... Neque dicas essentias reales esse mutabiles ex eo, quod propriam realitatem amittere possunt. Nam aut *realitas* ista est idem omnino realiter ac *essentia;* et in hoc casu realitas est inseparabilis ab essentia ipsa: aut est quid realiter distinctum ab essentia (quodcumque illud sit); et illud dicimus exsistentiam, *qua* essentia est realis [1] ».

Responsio.

34. Verum, debita cum reverentia in Em. Principem, haec, quae

[1] Em. Card. Zigliara, *Op. et loc. super laud.*

ab ipso dicuntur, vel magna laborant confusione idearum, vel errorem illum continent intolerandum, de quo modo dicebamus. Dum enim rerum essentiae dicuntur immutabiles et necessariae, non eo sensu ita dicuntur, quasi vero immutabilitas et exsistendi necessitas sint praedicata ipsas constituentia, uti videtur Eminentissimus intelligere; dum potius, contra, contingentia ac porro mutabilitas aut impropria, aut propria, aut utraque [1] sit de creatarum rerum omnium ratione; sed eo plane sensu, quod his et non aliis constant praedicatis, ita ut in quocumque ordine, sive metaphysico, sive physico, sive logico, nisi haec dentur omnia praedicata quidditativa, et non alia, determinata rei alicuius dari nequeat essentia. Sunt enim rerum essentiae, uti saepe ex Philosopho D. Thomas loquitur, sicut numeri, quibus sive demas sive addas unitatem, non hunc numerum determinatum habes, sed alium et alium. Itaque rerum creatarum essentiae, si non prout in Deo sunt, sed prout sunt in seipsis, considerantur, non sunt *simpliciter* et *absolute* immutabiles et necessariae, sed sunt immutabiles et necessariae *secundum quid* et *conditionate*. Quapropter res, quae est essentia creaturae, neque necessaria est neque immutabilis, sed contra contingens et una vel alia ratione mutabilis; quamvis quatenus formaliter essentia est, aut quatenus dicit complexionem praedicatorum ipsam constituentium, necessaria et immutabilis conditionate et secundum quid dicatur et sit. Exsistentia ergo realiter cum essentia identificata, cum sit unum et idem cum re, quae est essentia, et non sit unum ex praedicatis, quibus essentia constituitur, nequit dici immutabilis et necessaria; sed dici debet contingens et mutabilis, uti contingens et mutabilis est res ipsa, cum qua identificatur. Itaque argumento Eminentissimi in forma respondeo: *Rerum essentiae sunt immutabiles et necessariae*, *Dist.* *Ant.* Prout sunt in Deo, *Conc. Ant.* Prout sunt extra Deum in quocumque ordine, *Subd. Ant.* Quatenus his et non aliis constant praedicatis, ac porro secundum quid et hypothetice, rursum *Conc. Ant.* Quatenus necessitas aut immutabilitas sint praedicata ipsas constituentia, atque adeo simpliciter et absolute, *Neg. Ant.* — Ad consequens. *Si essentia exsistens est idem realiter ac exsistentia, haec erit necessaria, sicut necessaria est essentia*, *Dist.* Id est, haec exsistentia necessario constabit illis praedicatis quidditativis, quibus necessario constat haec essentia, *Conc. consequentiam.* Id est, haec exsistentia necessario et immutabiliter exsistet, *Neg. consequentiam.* Si enim essentia ipsa non includit, tanquam sui constitutivum, necessitatem et immutabilitatem in exsistendo, non poterit dare exsistentiae sibi identicae necessitatem et immutabilitatem, quam non habet.

D. Thomas.

Quo sensu essentiae rerum sint necessariae et immutabiles.

Responsio in forma.

35. Ex dictis intelligitur optime posse essentias reales amittere realitatem propriam, etiamsi istaec realitas essentiae ipsi sit realiter identica. Nam uti ista essentia, his et non aliis necessario constans praedicatis quidditativis, fuit semel revera producta, et

Corollarium adversus Em. Auctorem.

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino. In 1am p^em D. Thomae, q. 9. Commentarius.*

in aliqua durationc incepit esse; sic amittere potest hanc eandem realitatem, his aut illis praedicatis quidditativis constantem necessario, et esse desinere; vel in illa realitate illas omnes subire mutationes, quae ipsam non perimant. Eminentissimus hoc negat in exsistentia realiter essentiae identica`, quia videtur concipere essentias rerum creatarum, tanquam ens necessarium, de cuius ratione sit omnimoda immutabilitas et in exsistendo absoluta necessitas. Hoc autem vel est summa idearum confusio, vel etiam error intolerabilis, praesertim si ad entia temporanea, quae sunt in essentia ipsa transmutabilia, restringatur sermo. At si necessitas et immutabilitas essentiarum creatarum recte intelligantur, quatenus essentiae his et non aliis, si hae essentiae sunt, necessario et immutabiliter constant notis, essentia realiter exsistentiae identica has et non alias necessario et immutabiliter communicabit exsistentiae notas; quamvis, cum hae notae sint essentialiter contingentes et una vel alia ratione mutabiles, essentia ipsa exsistens sit contingens et una vel alia ratione mutabilis. — Qua eadem vix intelligibili confusione idearum, ut obiter id dicam, tenetur P. Liberatore, dum scribit: « Denique essentia tota possidetur a creatura iam ab initio suae productionis, non item exsistentia. Illud quidem, quia essentia est indivisibilis; aliud vero, quia exsistentia quodammodo extenditur propter successivam durationem. Id vero concipi non posset, nisi altera distingueretur ab altera »[1]. Creatura enim, vixdum producitur, habet in rerum natura totam essentiam et totam exsistentiam *totalitate notarum*, utramque quidditative constituentium; neutram totam *totalitate durationis*, cum utraque conservetur a Deo et duret. Indivisibilitas vero essentiae non exigit in singulis instantibus suae durationis totam durationem. Hoc enim entis simpliciter aeterni proprium est: et id tribuere creatae essentiae esset latenter pantheismum inducere. Extensio vero, quae tribuitur exsistentiae, nisi bona voluntate verborum sensus emolliatur, *esse* redderet minus simplex, quam compositam quidditatem; ipsum enim redderet constans quodammodo partibus integrantibus. Mitto reliqua.

IV.

Non prob.: — δ) *ex creatae essentiae abalietate.*

Generalis probatio.

36. Quod creaturae, quatenus, si sunt, necessario ab alio sunt, non exigunt aut inferunt realem distinctionem inter actualem earum essentiam exsistentiamque, fere probatum est, ubi probavimus ex reali identitate essentiae et exsistentiae neque formaliter, neque illative *actus puros* vel *ipsum actum purum* creaturas evadere. Potest tamen directius sequenti pacto confirmari. Si creaturae essentia actualis realiter exsistentiae identica potest esse producta, eius abalietas non exigit realem distinctionem essentiae actualis eiusque exsistentiae. Verum antecedens. Ergo et consequens.

[1] Liberatore, *Op. et loc. laud. VI.*

Nexus maioris patet. Nam si in illa hypothesi potest esse producta, potest esse ab alio; idem enim est produci et esse ab alio. *Prob. min.* Ex communi adversariorum sententia, excepto forsan uno Card. Zigliara qui falso et quodammodo pantheistice de actuali creaturarum essentia loquitur, tam actualis essentia creaturae, quam exsistentia realiter distincta in prima v. g. creatione vere producuntur, saltem ut *quibus*, seu comproducuntur. Ergo productio et abalietas actuali essentiae creaturae eiusque exsistentiae nullo modo intrinsece repugnant, etiamsi actualis essentia eiusque exsistentia sint realiter identicae. Enimvero repugnarent, quia in hac altera hypothesi producerentur aut essent ab alio non ut *quibus*, sed ut *quae*, aut *quod* esset. At non ita est; produceretur enim aut esset ab alio, ut *quod*, subiectum aut suppositum actuali essentia et exsistentia, non quidem physice tanquam realibus partibus, sed metaphysice tanquam duabus rationibus compositum; uti quando producitur homo, producitur natura humana animalitate reali et reali rationalitate, non tanquam partibus physicis, sed tanquam partibus metaphysicis seu duabus rationibus composita. Quod si dicatur essentiae actuali non repugnare productio et abalietas, solummodo quatenus in ipsa realiter distincta producitur exsistentia; hoc enimvero probandum est. Cum enim independenter a reali distinctione vel indistinctione actuali essentiae creaturae non repugnet productio; posita vero reali indistinctione aut identitate, essentia creaturae, uti huc usque satis declaratum est et plenius adhuc ex dicendis intelligetur, remaneat vere essentia creaturae, et nullo modo evadat alia essentia; aliunde vero, ex reali identitate, essentiae actuali et exsistentiae non auferatur, ut sint quibus comproductis creatura aut haec res exsistens secundum se totam revera producatur; non est quare ex *abalietate* creaturae eius actualis essentia ab exsistentia realiter distingui dicenda sit. Creatura enim usque adeo est ab *alio*, si tanquam una tota res, duabus rationibus metaphysice composita ab alio producatur, quam si producatur ut una tota res duabus physicis partibus realiter distinctis physice composita. Compositio enim ex essentia et exsistentia, sive physica sive metaphysica sit, creaturam necessario signat; quae proinde, si realis est, reali actione ab alio debuit produci.

Evolvitur et declaratur argumentum factum.

Praeoccupatur difficultas.

37. *Dices cum Sylvestro Mauro:* « Creaturae debent undique differre a modo essendi divino in ratione *causati et incausati*. Sed modus essendi divinus consistit in hoc, ut sit ens *a se*, *in se*, *per se*, et *propter se*, hoc est, undique incausatum in quocumque genere. Est *a se*, quia non accipit esse ab ulla causa efficiente; est *in se*, quia esse Dei non recipitur in ullo subiecto vel potentia; est *per se*, quia non est per esse distinctum; est *propter se*, quia non est propter finem diversum, sed ipse est finis omnium. Ergo creaturae debent habere esse undique causatum in quocumque genere causae; atque adeo debent habere esse *ab alio*, hoc est a causa efficiente; *in alio*, hoc est receptum in subiecto, seu in eo quod habet esse; *per aliud*, quia non sunt suum esse, sed habent

Obiectio ex Sylvestro Mauro.

esse distinctum per quod sunt; et *propter aliud*, quia sunt propter Deum, tanquam propter ultimum finem..... Hinc sequitur ut *esse in alio* et esse *ab alio* se mutuo consequantur; sicut e converso se mutuo consequuntur *non esse ab alio* et *non esse in alio.* Valent igitur istae consequentiae negatîvae: *Non habet esse ab alio.* Ergo *non habet esse in alio.* Valent etiam istae consequentiae affirmativae: *Habet esse ab alio. Ergo habet esse in alio:* et haec se mutuo consequuntur »[1].

Prima responsio indirecta.

38. *Respondeo:* 1.° Argumentum *nimis* probat: ergo *nihil* probat. Esse enim Dei non est causatum ex causis materiali et formali ipsum intrinsece constituentibus. Ergo si revera creaturae *debent undique differre a modo essendi divino in ratione causati et incausati*, ipsum esse creaturarum debet esse causatum causa materiali et formali, seu debet intrinsece constare materia et forma. Causalitas enim materiae et formae est unum vel duplex genus causalitatis, quod ipsi esse divino nullo modo competit; quodque proinde, ut in modo essendi creaturae a Deo differrent, deberet competere ipsi esse creaturarum. Ex quo sequeretur ipsum esse creaturarum non esse simplicissimum, sed compositum ex materia et forma: sequeretur insuper hoc argumentum pugnare cum illis omnibus adversariorum argumentis, quibus ex simplicitate τοῦ *esse* creaturarum vellent adstruere eiusdem realem distinctionem ab essentia actuali creati entis etc.

Secunda responsio directa.

39. *Respondeo:* 2.° Creaturae debent undique differre a modo essendi divino in ratione causati et incausati, *Dist. mai.* Secundum id, quod est obiectum causalitatis, et quatenus est obiectum causalitatis, *Conc. mai. Secus*, *Neg. mai.* Creaturae debent differre a Deo in modo essendi in ratione causati et incausati secundum id, quod potest, et quatenus *esse* creatum potest esse obiectum causalitatis, non vero secundum id, quod nequit esse et quatenus nequit esse obiectum causalitatis; nequit enim requiri ad differentiam creatum inter increatumque esse quod contradictorium est. Age iam, inspecto proprio causalitatis obiecto, ad hoc certissime pertinet quod creatum esse aut creatura quaelibet, realiter exsistens, tota sit a Deo, tanquam a prima aut etiam ab unica causa efficiente, tota sit propter Deum, finem simpliciter ultimum et supremum rerum omnium creatarum; dum Deus est omnino *a se* et *propter se.* Deus utique, quia essentialiter est ὁ ὤν, essentialiter etiam est *in se* et *per se*, seu esse *in se* et *per se* ipsi essentia est, uti esse *a se* et *propter se.* At creaturae, quia essentialiter non sunt ipsum *esse*, sed sunt *aliquod esse* participatum, sicut non sunt a se et propter se, sed sunt essentialiter *ab alio* et *propter alium;* ita nec sunt essentialiter *in se* et *per se.* Quapropter in ipsis actuale esse compositionem quandam metaphysicam facit cum essentia, vi cuius tale *esse* non *in se*, sed in essentia esse concipitur et dicitur; essentia vero non *per se*, sed *per*

Declaratur.

[1] Sylvester Maurus, *Quaestiones Philosophicae, tom. 2. q. 6.* Quinto probatur. Sexto probatur.

aliud, ratione cum fundamento in re distinctum, concipitur et dicitur esse; et creatura aut suppositum creatum dicitur *habere esse*, cum non sit *ipsum esse*. Haec necessario *ex rerum creatarum abalietate* sequuntur. An vero esse creaturarum non sit *realiter in se*, sed *in essentia actuali realiter distincta*, et essentia substantialis non sit *realiter per se*, sed *per esse realiter distinctum*, hoc ex solo conceptu abalietatis non sequitur. Certe natura aut substantia Angelica, imo creata omnis substantia aut, missis quae controversiae alicui dare locum possent, suppositum Angelicum aut humanum quamvis, quia ab alio sunt, non sint *formaliter* seu ex vi essentiae suae *in se* et *per se;* sunt tamen ex vi actionis creatricis *realiter in se* et *per se*. Quare ergo *esse substantiale* ab alio non potest esse *realiter in se* et *per se*, si suppositum, quod ab alio est, potest *realiter esse in se* et *per se*. Certe discrimen huc usque allatum non est, nec facile afferetur. Omnimodis cum non sit immediate evidens, neque fuerit huc usque probatum creatum esse distingui realiter ab actuali essentia; si forsan realiter non distinguitur, physica causalitas materialis essentiae relate ad *esse*, et physica causalitas formalis τοῦ *esse* relate ad essentiam intrinsece repugnant; essent enim simul illa duo et non essent realiter distincta. In hac igitur hypothesi deesset ipsum physicae causalitatis obiectum, nec abalietas creaturae eiusmodi causalitatem posset inferre; vel saltem, donec probetur illa realis distinctio, dubium erit utrum abalietas creaturae requirat illam differentiam inter esse divinum et esse creatum, quae ex essentiali sese habendi modo tota ratione infinite differunt, quamvis realiter in aliquo analogice conveniant: quod in omnibus perfectionibus divinis creaturae communicatis omnes agnoscimus.

Confirmatur.

40. Atque ex his intelligimus quid de illis consequentiis sive positivis sive negativis, quas P. Maurus infert, dicendum sit. Valent nimirum simpliciter consequentiae negativae: *Non habet esse ab alio: ergo non habet esse in alio;* et: *Non est neque realiter, neque formaliter in alio: ergo neque est ab alio.* In hoc sensu τὸ *esse* uti essentialiter est *a se*, *ita essentialiter est in se.* At consequentiae positivae non valent seu non convertuntur simpliciter, sed *quodammodo* solum per accidens: *Habet esse ab alio: ergo formaliter habet esse in alio;* et: *Est sive realiter, sive solum formaliter in alio: ergo habet esse ab alio.* Verum non sequitur, aut saltem dubium est utrum sequatur necne: *Habet esse ab alio : ergo habet esse in alio realiter a se distincto.* Haec ultima consequutio, ut minimum dicam, ex abalietate creati entis saltem *non evidenter* infertur.

Quid dicendum de illationibus P. Mauri.

V.

Non prob.: — ε) ex creatae essentiae limitatione.

41. Eatenus ex essentiae creatae aut creaturae limitatione probaretur realis distinctio inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque, quatenus, reali distinctione non data et admissa solum distinctione formali, creata essentia aut creatura non esset

Argumentum generale.

amplius ens limitatum, sed esset ens simpliciter illimitatum, ac porro infinitum. At non ita est. In illa enim hypothesi quamvis τὸ *esse* realiter essentiae actuali identificaretur, non esset tamen de ratione essentiae, uti abunde in superioribus probatum est; atque adeo creatura non exsisteret ex vi suae essentiae, sed ex vi extrinsecae causae ipsam producentis. At intrinsece repugnat, ut id quod non exsistit ex vi suae essentiae, sed ex vi extrinsecae causae ipsum producentis, sit simpliciter illimitatum, ac porro infinitum; quia saltem careret perfectione aseitatis, nec proinde posset esse simpliciter illimitatum et infinitum. Ergo, data reali identitate et admissa formali distinctione cum fundamento in re (uti semper eam intelligimus, ut ex dicendis patebit), non sequitur creatam essentiam, aut creatum ens futurum simpliciter illimitatum et infinitum. — *Confirmatur.* Data reali identitate actualis essentiae et exsistentiae creati entis et admissa formali distinctione, τὸ *esse* huius essentiae in re esset haec essentia actualis aut actualitas huius essentiae, et non actualitas illius, seu esset haec determinata actualitas, et non *ipsa actualitas.* At repugnat ut ens habens hanc determinatam essentiam, id est, his notis quidditativis constantem et nullo modo illis, et hanc determinatam actualitatem, et nullo modo *ipsam actualitatem*, sit simpliciter illimitatum et infinitum. *Decl. mai.* Nisi τὸ *esse* aut *actualitas* abstracte concipiatur, quae nonnisi in mente logicum esse habet, in re τὸ *esse* sive *actualitas* aut est totius purae perfectionis possibilis, aut huius sive illius perfectionis utcumque possibilis. At quamvis actualitas totius purae perfectionis possibilis debeat esse in re *ipsa actualitas*, cum necessario debeat esse a se seu ex vi suimet ipsius; tamen non necessario actualitas huius aut illius perfectionis possibilis debet esse *ipsa actualitas*, sed haec aut illa actualitas, non a se talis sed ab alio causata aut producta; nisi, permissa distinctione reali, velis dicere res omnes actu esse realiter *ipsa reali actualitate*, et *ipsam realem actualitatem* in rebus omnibus realiter *recipi*, et ex hac reali receptione *limitari:* quae absurda sunt et pantheistica. Ergo.

Confirmatur.

Obiectio ex P. Mauro.

42. *Dices cum P. Mauro:* « Esse, quod non est receptum in alio, sed est in se subsistens, est infinitum. Sed si substantiae creatae essent suum esse, ipsarum esse non esset receptum in alio; neque enim recipitur in eo, quod est, cum hoc non distinguatur ab esse. Ergo substantiae creatae essent infinitae et illimitatae. Minor est manifesta. *Probatur maior.* Nam esse quod non est acceptum ab alio, sed est a se, est infinitum et omnino illimitatum..... Sed ex eadem ratione esse, quod non est receptum in alio, debet esse infinitum; eo enim ipso non limitatur a suo subiecto. Ergo etc. *Confirmatur*, quia intelligere per se subsistens, ita ut non sit actus ullius subiecti, est infinitum et illimitatum. Ergo esse per se subsistens et non receptum in ullo subiecto est esse infinitum et illimitatum » [1].

[1] Sylvester Maurus, *Op. et loc. laud.* Sexto probatur.

43. *Respondeo: Dist. mai.* Esse, quod non est receptum in alio *neque physice, neque metaphysice*, sed est in se *formaliter* aut *essentialiter* subsistens, est infinitum, *Conc. mai.* Quod non est receptum in alio *physice*, sed est receptum *metaphysice*, et est *realiter*, non autem *formaliter* aut *essentialiter* in se subsistens, est infinitum, *Neg. mai. Contrad. min.* Si essent suum esse *formaliter* aut *essentialiter*, qui est proprius sensus verborum : *suum esse*, *Conc. min.* Si solum *realiter*, et tunc inspecto modo loquendi D. Thomae, uti subinde videbitur, *abusive* dicuntur: *suum esse*, *Subd. min.* Ipsarum esse non esset in alio *physice* aut *realiter* receptum, *Conc. min. Metaphysice* aut *formaliter*, *Neg. min.* Sic enim recipitur in essentia. Et, sub datis distinctionibus, *Neg. consequentiam.* Ad *prob. mai. Conc. mai.* Sed ex eadem ratione, quod non est receptum in alio, *Dist. min.* Neque *physice aut realiter*, neque *metaphysice* aut *formaliter*, debet esse infinitum, *Conc. min.* Quod etsi non est receptum in alio *physice aut realiter*, est tamen receptum in alio *metaphysice* aut *formaliter*, *Neg. min.* In hac enim hypothesi limitaretur non quidem *realiter*, quod repugnat; sed *exigitive* ab essentia, in qua formaliter recipitur; *effective* a causa producente hanc actualitatem, seu hoc ens actuale, quia haec essentia limitata hanc exigit limitatam actualitatem, seu exigit limitate produci aut, quod idem est, actuari. — Ad *confirmationem.* Intelligere *realiter per se*, non vi sui sed vi alterius sine subiecto subsistens, est infinitum, *Neg.* Intelligere *essentialiter* aut vi sui *per se* et sine subiecto subsistens, est infinitum, *Subd. Formaliter* aut ex loco intrinseco, quia non est receptum in subiecto, *Neg. Aliunde, Conc.*

Responsio ad argumentum princeps.

Sensus abusivus verborum : *Suum esse.*

Responsio ad confirmationem.

44. *Decl. resp.* Maior argumenti ab adversario propositi, absolute loquendo, in sensu ipsius poterat negari. Ut enim saepe in superioribus ostendimus, ex sola receptione vel irreceptione in alio, modo de physica receptione ex eius mente loquamur, haberi nequit formaliter et intrinsece entis limitatio aut illimitatio. Quare ens physice receptum vel irreceptum in alio erit finitum aut infinitum, prout est ex vi suae naturae; et consequenter, si limitatum sit in se, etiamsi physice in alio non recipiatur, limitatum erit necessario, unde unde illa limitatio sit repetenda. Neque valet paritas, ad quam recurrit adversarius, quod uti esse irreceptum ab alio est necessario infinitum; ita infinitum etiam necessario est esse in alio physice irreceptum. Esse enim irreceptum ab alio nullam habet, neque habere potest sive extrinsecam sive intrinsecam limitationis causam [1]: esse, contra, receptum ab alio, etiamsi non in alio, habet necessario tum intrinsecam, tum extrinsecam causam limitationis; intrinsecam quidem, quia ex sese saltem respuit aseitatem; extrinsecam, quia habet producentem. — Ad maiorem tamen claritatem adversarii maior, et reliqua, quae ab ipsa pendent vel sunt cum ipsa connexa, fuerunt distincta. Esse enim

Declaratur responsio ad argumentum princeps.

Non valet paritas inter irreceptum ab alio, et in alio.

[1] Piccirelli, *Metaph. Disp.* De Deo, *Disp. 1. q. 3. puncto 3. n. 250 seqq.*— De Deo Uno et Trino, *in 1am pem D. Thomae Disp. 1. q. 7. n. 189. seqq.*

quod, quamvis non realiter et physice, recipitur tamen in alio metaphysice aut formaliter, non est essentialiter aut ex vi sui subsistens, sed est subsistens aut in se ex vi alterius sibi identificati. Quapropter non subsistit secundum totam entis aut τοῦ *esse* rationem, sed secundum illam entis rationem, quam sibi realiter identificat, et secundum cuius exigentiam a sua causa producitur. Esse autem huiusmodi non est simpliciter infinitum, sed, contra, finitum simpliciter.

Declaratur responsio ad confirmationem quoad 1am partem.

45. Ob eandem rationem, adversarii confirmationi responsio eadem aptata fuit. Intelligere enim per se subsistens, non tamen essentialiter aut ex vi praecise ipsius intelligere, sed ex vi alterius, non est necessario illimitatum et infinitum, sed esset quale esset illud, vi cuius per se subsisteret. At si essentialiter aut ex vi praecise sui per se subsisteret, infinitum simpliciter absque controversia tale esset intelligere; non autem formaliter et ex loco intrinseco, quia non esset actus alicuius subiecti aut potentiae, sed omnino aliunde. Quae ut intelligantur, supponamus imprimis quod aliqui probabiliter docent, actum intelligendi seu intrinsecum terminum intellectionis esse qualitatem non modalem, sed absolutam: imo ponamus, quod alii tenent [1], ipsam actionem intellectivam, quae, iuxta hos Doctores, intrinsecum terminum a se ne modaliter quidem distinctum habet, procedere a suo principio ad modum qualitatis et esse qualitatem absolutam: supponamus, quod longe probabilius est, intellectum humanum esse qualitatem absolutam, a substantia animae realiter adaequate distinctam. Data harum opinionum saltem probabilitate, probabile etiam est, de potentia Dei absoluta, posse a Deo conservari in se et per se, non quidem ad modum actus formaliter vitalis, aut formaliter proximi principii vitae, sed ad modum absolutae qualitatis aut absoluti entis, tum actum intelligendi, tum creatum intelligere, tum creatum intellectum; ad eum modum quo Deus conservat in se et per se accidentia Eucharistica, uti laudati auctores plerique, sin minus omnes, concedunt [2]. Atqui certum est, illis in hypothesibus, ipsum creatum intelligere, actum intelligendi, intellectum creatum, in se et per se sic a Deo conservata, non evasura ex eo, quod in se et per se subsisterent, simpliciter infinita; uti non evadunt simpliciter infinita accidentia Eucharistica in se et per se in Sacramento subsistentia. Ratio vero est quod, dum sic in se et per se sunt, non aliam perfectionem nanciscuntur, nisi illam quam in ea influit actio Dei ea in se et per se conservantis, quae terminative limitata est. Quod autem dicimus de Dei actione, pari iure de natura aut essentia limitata τῷ *esse* realiter identica dicendum est. Nam heic τὸ *esse* non exsistit aut reale est ratione

Hypothesis probabilis.

Hypothesis probabilior.

---

[1] Piccirelli, De Deo Uno et Trino, *In 1am pem D. Thomae, Disp. 1. q. 12 § 2. n. 281.*

[2] Conimbricenses, *De Anima, c. 3. q. 4. a. 3. — In Aristot. De gener. et corrupt. lib. 1. c. 4. q. 10. a. 2.* — Suarez. *De Anima, lib. 1. c. 4. n. 16., et lib. 2. c. 1. nn. 6. 7. 8. etc.*

suimet ipsius, sed ratione essentiae aut supposití, quod esse habet; et consequenter in ipsa essentia aut supposito limites invenit.

Declaratur quoad 2am partem.

46. Ut aliam nunc distinctionis partem consideremus, si intelligere exstaret in se et per se ex vi ipsius intelligere aut essentialiter, primo quidem haberemus actionem vitalem substantialem quae, quoniam ut sit vita debet esse ab intrinseco et non ab extrinseco, nonnisi in ente a se ac proinde simpliciter infinito potest inveniri: certe actio vitalis substantiva ne vix quidem in alio ente, quod simpliciter infinitum non sit, a nobis concipitur. Ad haec, actio substantialis intellectualis, quae essentialiter esset ipsum intelligere, necessario deberet vitaliter exprimere totum ens aut esse, adeoque deberet in se et a se habere principium totius entis seu totius purae perfectionis; secus enim non posset esse essentialiter ipsum intelligere, cum non totam et omnem praeseferret rationem intellectionis. Quod autem in se complectitur principium totius entis, seu totam perfectionem puram possibilem est simpliciter infinitum; *positive* enim nonnisi hoc infinitum dicit, ut alibi docuimus [1]. — Verum eiusmodi τῷ *intelligere* repugnaret abs dubio ut in alio, tanquam in subiecto aut comprincipio, reciperetur; sic enim dependentiam et alias imperfectiones a subiecto aut a comprincipio derivaret; non tamen ipsum esset *formaliter et ex loco intrinseco* simpliciter infinitum, quia in subiecto aut in alio a se realiter distincto non esset. Ostendimus enim τὸ non esse in subiecto aut in alio a se realiter distincto, sed esse in se et per se posse stare, absolute loquendo, cum perfectione limitata ipsius intelligere. Praeterea esse vel non esse realiter in alio praesefert in ente substantiali ordinem et habitudinem consequentem ipsum esse per se. Nequit ergo esse intrinseca aut formalis ratio, quare aliquid sic aut aliter per se sit; quamvis, si in alio esse debeat, possit esse ratio exigitiva determinatae perfectionis, aut mensura extrinseca entitatis eius, quod in alio est aut esse debet. Ceterum ex sola receptione unius in alio a se distincto, uti recepti entitas non destruitur, sic neque in sua substantiali aut essentiali perfectione aut limitatur aut potest limitari. Atque hinc intelligitur quid de esse per se subsistenti dicendum sit. Nimirum si ex vi ipsius esse aut essentialiter subsistat, tale esse abs dubio infinitum est; non tamen infinitum est, quia in alio non est, sed, quia infinitum est, in alio ut in subiecto aut in potentia esse non potest.

Actio vitalis substantialis nonnisi in ente a se dari potest.

Quid de esse per se subsistenti dicendum.

47. *Dices cum Em. Card. Zigliara:* « In natura exsistente duo intelliguntur tantummodo, scilicet *essentia substantialis* (de substantiis enim, ut iam animadverti, exclusive loquimur) et *exsistentia;* et prima est, seu saltem concipitur ut *potentia*, secunda ut *actus.* Actus autem dicit entitatem seu perfectionem; potentia vero, ut potentia est, dicit imperfectionem seu negationem entitatis, quam per actum habet. Sed entitas seu perfectio, praecise ut talis et ut sola est, est infinita; quia ratio finiti habetur ex entitate limi-

Instantia ex Em. Card Zigliara.

[1] Piccirelli, *Disp. Metaph.* De Deo, *Disp. 1. q. 3. Sect. 2. puncto 2. n. 233. seqq.*

tata, quae limitatio est entitatis negatio. Igitur si exsistentia, quae est actus, non comparatur ad essentiam, sicut ad potentiam, quae realiter sit principium limitans eius entitatem, sed est idem realiter cum ipsa, haec *existentia essentia* erit realiter infinita »[1].

Responsio.

48. *Respondeo:* In natura substantiali exsistente, quae a se sit, secundum formalem rationem obiectivam adaequatam, seu conceptu formali adaequato, non duo, sed unum tantummodo intelligimus, *ipsum esse ex vi sui aut essentialiter subsistens:* conceptibus autem inadaequatis iisdemque imperfectis ac mere praescindentibus possumus illa duo, quae Eminentissimus memorat, etiam in purissima illa entitate discernere. In natura vero substantiali creata exsistente, si metaphysica abstractione ad primas entium rationes assurgamus, in praecisa ratione substantiae exsistentis nonnisi illa duo tantummodo revera intelliguntur, *essentia* nimirum *substantialis* et *exsistentia.* Si vero natura substantialis creata exsistens non consideretur secundum abstractionem illam metaphysicam, sed consideretur prout realiter est in ordine physico, non illa duo tantummodo, sed plura alia in ipsa necessario debent intelligi. Debet plane intelligi illa natura cum determinatione ad genus et ad speciem, cum variis proprietatibus, quarum aliquae ab essentia forsan distinguuntur, cum variis compositionum generibus quas includit, aut cum potentia ad ipsas etc. Loquendo ergo metaphysice, essentia creata concipitur ut *potentia*, quia in illo conceptu abstracto exsistentia non continetur, quamvis ipsi exsistentia *posset* competere; exsistentia vero ut *actus*, quatenus concipitur tanquam id, quod illam capacitatem potest explere. An vero concipi debeat ut *actus*, id quod essentia non erat et poterat esse, quatenus ipsa essentia per actionem agentis ponitur; aut per actionem agentis poni debeat illa entitas potentialis, et simul in ipsa poni aliud realiter ab ipsa distinctum, quod entitati illi potentiali realem actualitatem conferat; hoc demum praecise in quaestione est. In ordine igitur reali, si primum illud detur, essentia erit potentia, et exsistentia actus solummodo metaphysice, quatenus erunt duae rationes obiectivae, quarum una alteram quodammodo compleret, et utraque rationem quandam exhiberet compositam: si detur alterum, essentia actualis erit potentia physica, et exsistentia physicus actus, et utraque daret rem compositam.

Quid intelligamus in natura exsistente a se.

Quid in natura exsistente ab alio.

Duplex conceptus naturae exsistentis.

49. Utrum horum duorum verum est? Em. Auctor stat pro hoc altero. Probat autem, quia si exsistentia non esset realiter distincta ab essentia actuali, cum exsistentia sit actus, ipsa essentia actualis esset actus. Actus autem, ut actus, est simpliciter infinitus. Ergo essentia omnis actualis esset simpliciter infinita. — Sed respondetur distinguendo: Si..... essentia actualis esset actus, id est, *aliquis actus*, *Conc. mai.* *Ipse essentialiter actus*, *Neg. mai.* Distinguo etiam minorem. Actus, ut actus, *specificative*, seu res, quae est actus, est simpliciter infinita, *Neg. min.* *Reduplicative*,

Uter illorum modorum verus?

Excluditur sensus Eminentissimi.

[1] Em. Card. Zigliara, *Op. et loc. laud.*

seu ipsa ratio actus est simpliciter infinita, *Subd. Negative*, quatenus ipsi non repugnat infinitas simpliciter talis, rursum *Conc. min. Positive*, adhuc *Subd. min.* Si sermo sit de actu *simpliciter et essentialiter* tali, rursum *Conc. min.* Si de actu non *simpliciter* nec *essentialiter*, sed *ab alio* tali, rursum *Neg. min.* Et, sub datis distinctionibus, *Neg. consequentiam.* Si essentia actualis creaturae esset realiter exsistentiae identica, creatura certe esset realiter aliquis actus; sed evidenter non esset ipse essentialiter actus nisi, semotis ambagibus, ponatur esse quodlibet, vel quamlibet exsistentiam esse ipsum actum a se, vel divinam actualitatem; qua in hypothesi totum argumentum pantheistico errore inficeretur. Qui error et asburdam redderet realem receptionem *talis esse* in essentia limitata; et absurdiorem intrinsecam limitationem *talis esse* per illam realem receptionem; et ipse error pantheisticus non caveretur, etiam dato quod posset realiter illud esse recipi et limitari intrinsece in potentia reali limitata. — Verum utique est actum, qua actum reduplicative, dicere solam perfectionem, potentiam vero passivam, reduplicative qua talem, imperfectionem. Sed res, quae est actus, v. g. anima humana aut forma alia informans, potest includere aliquam negationem et imperfectionem; uti res, quae est potentia passiva necessario includit aliquam perfectionem et actum, ut in superioribus probatum est. Quod si actus, entitas, perfectio reduplicative, qua talia, inspiciantur; actui certe, entitati, perfectioni, sic inspectis *negative* infinitas simpliciter competere dicenda est; ipsis enim non repugnat infinitas simpliciter, cum nulla actualitas ex vi praecise actualitatis actualitati alii opponatur. At *positive* nonnisi actus, qui a se aut essentialiter est, infinitatem simpliciter sibi vindicat, quia necessario excludit omnem sive intrinsecam sive extrinsecam limitationis causam; actus enim productus, ac porro non essentialiter talis, necessario habet utramque, uti ex dictis apertissime habetur. Quapropter Em. Auctoris illatio est prorsus nulla; quia ex confuso actus conceptu infert id, quod non omni sed cuidam solum actui competit, et sic conclusio aut ex particulari deducitur, aut latior est, quam praemissae. Argumentum igitur totum, etiam missis falsis quae supponit, continet, infert, nullum est.

Declaratur responsio.

50. Non quasi sit nova quaedam difficultas nondum soluta, ac minus multo insolubilis; sed ut omnes videant quomodo in hac materia acutissimi etiam ingenii homines, ac bonis generatim imbuti principiis, et rectissima praesertim intentione agentes, praeconceptis ac falsis notionibus devii abripiantur; iuverit P. Billot argumentum exscribere. Scribit enim: « Ens, cuius essentia identica est cum esse, habet necessario in se omnem perfectionis plenitudinem ». Utique, si essentia sit *formaliter* identica cum esse, id est, si aliquid exsistat ex vi suae essentiae; vel etiam si essentia quaelibet, pantheistico modo, sit *realiter* identica ei, quod est *ipsum esse;* ens, cui huiusmodi esset essentia, haberet in se omnem perfectionis plenitudinem: utique, inquam, in huiusmodi conditionatis antecedens et consequens necessario adstringuntur

Argumentum P. Billot.

Crisi subiicitur.

nexu; sed in creaturis conditio est impossibilis. Ens vero, cuius essentia est *realiter* identica cum *aliquo esse*, id est, *cum suo esse*, non habet necessario, nisi illam perfectionem in actu, quam essentia exigit, et quam esse eidem realiter identicum actuat. — Sequitur: « Etenim illud, quod in linea essendi nullum limitem compatitur, est simpliciter perfectione infinitum ». Verissimum est: sed quid inde? — Addit: « Nam, cum esse sit perfectio universalissima, utpote ultima omnium perfectionum actualitas, quidquid est illimitatum secundum ipsam essendi rationem, eo ipso ostenditur infinitum simpliciter, et non solum secundum quid, id est, in aliquo particulari ordine perfectionis ». Verum est etiam hoc, cum sit fere repetitio prioris sententiae, quamvis in aliquo ambiguitate laboret. Quaerimus: *Esse*, quod dicitur *perfectio universalissima, et ultima omnium perfectionum actualitas*, estne *esse* abstracte sumptum, et universalissimum abstractione rationis; quod proinde singulas perfectiones actuat, quatenus, cum illa universalitas sit mere analogica, *metaphysice* quidem distinctius concipitur in inferioribus illud idem esse determinatum determinatione individua, quod confuso modo conceptu illo universali concipiebatur; *physice* autem hoc aut illud *esse* individuum (limitatum aut illimitatum) prout essentialiter est in rerum natura: an vero est *esse reale*, universalissimum universalitate aut comprehensione omnis purae perfectionis? Si hoc alterum debeat intelligi, et sic esse dicitur *actualitas omnium perfectionum* etiam creatarum, sensus erit omnino pantheisticus. Si vero prius, praecise quia illud *esse* est ens rationis et abstractione quodammodo confictum, utut universalissimum, non est simpliciter infinitum; et in suis inferioribus secundum essentiam limitatis, si reale fiat, erit limitatum. Itaque in solo ente essentialiter illimitato, aut in quo esse sit ipsa essentia, verum habet illa propositio. Subdit: « Nunc autem considera quod *esse subsistens*, praecise quia subsistens et solutum ab omni comprincipio, in quo sit receptum, non compatitur ullum limitem in ratione essendi; est enim pura essendi perfectio; sed ipsa perfectio nunquam compatitur negationem alicuius, quod in ambitu suae propriae rationis inveniatur, quia tunc negaret semetipsam, quod impossibile et contradictorium est »[1]. Consideremus ergo. Sed quot aequivocationes, et quae veri falsique mixtura! Inducitur: *Esse subsistens*. Sed enim in antecedentibus hoc non est. Utique est: *Essentia identica cum esse*, nimirum non essentialiter, sed *realiter* in sensu auctoris. Sed essentia realiter τῷ esse identica dat *aliquod esse subsistens*, non dat ipsum: *Esse subsistens*. Illud aliquod esse essentiae identicum realiter utique esset solutum comprincipio physico realiter distincto, sed non esset solutum comprincipio metaphysico determinatam et non omnem actualitatem exigente. Quare et limites in ratione essendi haberet, siquidem non esset ipsa pura essendi perfectio, sed aliqua solum perfectio

Sensus pantheisticus.

Aequivocationes.

[1] Billot, *De Verbo Incarnato, In 3am pem S. Thomae, q. 2. § 1. 2.*

essendi. Si vero *omne esse*, nisi physice recipiatur in alio, esset necessario *ipsum esse subsistens ac porro illimitatum*, nullum esse posset recipi physice in alio, ac minus multo intrinsece limitari et, si utrumque utcumque detur, uti saepe diximus, pantheismus adstruitur.

VI.

Non prob.: — ζ) *ex creatae essentiae multiplicitate.*

51. Cum reali identitate inter creati entis essentiam actualem eiusque exsistentiam stat creaturarum tum specifica, tum singularis multiplicitas. Ergo ex hoc capite non probatur realis distinctio inter illa duo. *Consequentia* est evidens. *Prob. ant. universim.* Si in ente increato haberi nequit multiplicitas, propria ratio est quod, cum esse sit de essentia entis increati, omnimoda singularitas est etiam de eius essentia: unde fit, ut neque numero, neque specie, neque genere sive univoco, sive analogico, increatum aut necessarium ens sit multiplicabile [1]. Atqui realis identitas inter actualem essentiam exsistentiamque creati entis non efficit ut *esse* sit de creati entis essentia, uti abunde in superioribus, imo prorsus ab initio huius indirectae demonstrationis probatum est. Ergo realis identitas inter creati entis actualem essentiam eiusque exsistentiam non efficit ut creatum ens sit omnimode unum, adeoque stare potest cum eius multiplicitate. — *Prob. id. ant. speciatim.* Ad habendam creati entis multiplicitatem satis est ut, quae genere conveniunt, differant specie; quae vero conveniunt specie, differant numero. Atqui haec haberi possunt cum reali identitate inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque. Ergo cum reali identitate inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque haberi potest seu stat creaturarum tum specifica, tum singularis multiplicitas, *Mai.* est evidens. *Prob. min.* Data reali identitate inter actualem essentiam exsistentiamque creati entis, eo ipso quod exinde *esse* aut singularitas non est de essentia creaturae, nihil impedit quominus essentia creaturae constet genere et differentia essentiali, seu praedicato generico et praedicato differentiali; quae praedicata quamvis *realiter* identica sint, quia tamen unum non est de ratione alterius, creaturae possunt inter sese convenire genere, et differre specie, uti v. g. brutum et homo. Haec enim praecisive essentiam respiciunt, et in ipsis obtinent essentiis mere possibilibus. — Item data illa reali identitate, cum creaturae non evadant ipsum *esse* per essentiam, sed sint singulae *realiter aliquod esse*, seu aliqua realis essentia, nihil impedit quominus habeant vel materiam, vel materiam signatam, vel accidentia, vel suam totam hanc entitatem realitatemque; haec enim vel ad singularum pertinent quidditatem, vel ex ipsa necessario aut contingenter, sive absolute sive hypothetice dimanant,

Cum reali identitate inter essentiam et esse stat creaturarum multiplicitas specifica et numerica.

Probatur universim.

Speciatim.

Primo.

Secundo.

[1] Piccirelli, *Disp. Metaph. De Deo, Disp. 1. q. 2. Sec. 2. n. 179. seqq.*

aut in ipsa utcumque inveniuntur. At, his positis, quae conveniunt specie, differunt numero, iuxta varias sententias. Ergo data etiam illa reali identitate, creaturae, in quibus singularis multiplicitas, ut ab opinionibus praescindamus, habere locum potest,

Tertio.

possunt convenire specie, et differre numero. — Adde quod, etiam data illa reali identitate, haberi potest tum ultima aut prima, tum proxima ratio multiplicitatis creaturarum sive specificae, sive numericae. Datur enim necessario simplicissima et supereminens divina perfectio, quae nonnisi per partes est creaturis communicabilis, quaeque ultima aut prima ratio est multiplicitatis specificae et numericae creaturarum. Datur item generis aut speciei ratio quae, cum in una specie aut in uno individuo non, *semper saltem*, exhauriatur, ut in pluribus speciebus aut in pluribus individuis realiter sit et de pluribus possit praedicari, aptitudinem retinet. Haec autem multiplicitas, quamvis nonnisi in creato ente exsistente possit obtinere; cum tamen formaliter a principiis vel essentialibus, vel quae ultimo ad ordinem essentialem referuntur, sit repetenda, nequit impediri a reali identitate actualis essentiae exsistentiaeque creati entis, quae ordinem essentialem, uti saepe diximus, nullo modo invertit aut mutat.

Obiectio ex Em. Card. Zigliara.

52. *Dices cum Em. Zigliara:* « Si plures essent huiusmodi exsistentiae subsistentes, ad invicem distinguerentur aut ratione ipsius exsistentiae, aut ratione alterius distinctivi: nihil est tertium. Non autem distinguerentur ratione exsistentiae, quia exsistentia, ut exsistentia, non patitur diversitatem: quod si ipsa distincta est in rebus diversis, ut puta in homine, bruto, lapide, non est distincta ratione sui, ut exsistentia est, sed ratione diversarum naturarum, in quibus est. — Sed neque distinguerentur ratione alterius distinctivi adiuncti, quia hoc adiunctum non aliud esse potest, quam essentia. Haec autem essentia, iuxta adversarios, idem realiter est ac exsistentia. Ergo si exsistentia in rebus creatis est realiter ipsamet earum essentia, exsistentia non multiplicaretur ratione sui, non ratione adiuncti: et ideo esset una realiter in omnibus, et unica realiter esset omnium essentia. — Unde et Deus unus est, quia ipse est exsistentia subsistens, atque ideo perfectissimus, quia exsistentia subsistens est pura actualitas, seu pura perfectio » [1].

Responsio.

53. *Respondeo:* Addo tertium: *Aut ratione utriusque simul, alio et alio pacto.* Plures exsistentiae subsistentes, seu plures substantiae totales exsistentes *specifice* ad invicem differunt, ex dictis, ratione *differentiae specificae;* quae, cum in creaturis essentiae pars sit, distinctivum constituit non ipsam exsistentiam *formaliter*, sed aliud distinctivum. Si vero loquamur de discrimine ad invicem, prout individua sunt speciei; ad invicem differunt proprie *differentia individuali:* quae cum, iuxta varias opiniones, in aliquo ab exsistentia aut distincto, aut ipsam includente reponatur, distin-

Declaratur.

[1] Em. Card. Zigliara, *loc. laud.*

ctivum constituit vel non formaliter vel non adaequate ipsam exsistentiam, sed aliud ab ea aut adaequate aut inadaequate formaliter distinctum. Imo cum, iuxta quam veriorem putamus sententiam cuique, uti suo loco videbimus, D. Thomas non repugnat, quaeque res *intrinsece* et *formaliter* numero ab alia differat sua ipsa reali entitate; verius etiam putamus res multiplicari numero ex hoc praecise, quod una res exsistens suam habet realem entitatem, et alia item suam: quod quo pleniori sensu sit intelligendum et explicandum, commodiori dicetur loco. Itaque ad multiplicitatem numericam individuorum speciei concurrunt tum essentia, tum exsistentia: et sic dilemmati Em. adversarii tertium est additum. — Neque obstat quod exsistentia in creatis omnibus una sit eademque. Nam, nisi id sensu velimus intelligere pantheistico, exsistentia in creatis entibus una est eademque non reali et physica unitate, sed unitate abstracta termini communis analogici, aut individui vagi[1]: ceterum exsistentia limitata in pluribus individuis diversa physice et realiter est, uti ipsa realis essentia. Atque hinc intelligitur quod illa identica unitas exsistentiae in pluribus individuius, cum sit tantum abstracta et analogica, nequit impedire, quominus essentia, quae et ipsa abstracta potitur unitate et, si de specifica aut generica loquimur, non analogica sed univoca, in pluribus individuis multiplicetur sive seipsa, sive ratione materiae, sive materiae signatae, sive accidentium, sive aliunde. Quod si intimior ratio quaeratur, quare natura aut naturae Auctor plura ad exsistentiam adducat; haec certo non in ipsa exsistentia formaliter reponitur, sed *ultimo* in supereminenti sua bonitate, quam nonnisi per partes potest et vult suis communicare creaturis, *proxime* in re aut natura exsistente, cum exsistentia realiter identica vel non, prout est aut probatur. Si enim Deus producit hominem, non id facit praecise ut aliquid sit *extra nihilum et extra causas*, quidquid demum hoc formaliter sit; sed quia vult homini suam bonitatem communicare, animal rationale *extra nihilum et extra causas* demum ponit. — Hinc neutrum membrum dilemmatis Em. adversarii est seorsim cogens. Non 1.um, quia quamvis *abstracte* exsistentia una sit eademque unitate communis rationis analogicae, vel potius individui vagi; non tamen una eademque est physice et realiter. Non 2.um; quia exsistentia physica et realis, quidquid demum sit, cum sit multiplex, nequit efficere, ut essentia ipsi identica, quae specifice et individualiter potest ab alia realiter differre, realiter non differat. Quapropter argumentum non est cogens et magna rationum ontologicarum aut confusione aut falsitate turpatur: nulla praeterea heic est cum Deo paritas, uti ex dictis abunde liquet.

Quare identica unitas τοῦ esse individuorum multiplicitatem non impediat.

Neutrum membrum dilemmatis Eminentissimi est cogens.

54. *Dices adhuc:* Ad habendam multiplicitatem in eadem specie oportet habere individuorum convenientiam et discrepantiam inter se. Hoc autem sine reali distinctione inter essentiam et esse ne-

Instantia.

[1] Cfr. D. Thomam, *Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 4.* Vide Commentarium nostrum in hunc art.

Em. Card. Pecci.

quit haberi. « In essentia v. g. humanitatis, *inquit Em. Card. Pecci*, homo quilibet cum alio convenit, sed differt in esse, quia aliud est esse Petri, aliud esse Pauli. Repugnat autem ut id, in quo uterque convenit, sit id ipsum, in quo differt uterque. Repugnat igitur, ut essentia sit idem ac esse, seu ut non sint bina realiter distincta »[1]. — *Respondeo : Dist. mai.* Ad habendam..... oportet habere individuorum convenientiam *in natura communi*, et discrepantiam *in natura individuata*, aut *in differentia individuali*, unde unde huiusmodi differentia derivanda sit, *Conc. mai.* Convenientiam *in natura individua*, et *discrepantiam in esse*, *Neg. mai.* et *Neg. suppositum*, quod una natura individua possit convenire aut identica esse alteri naturae individuae, qua individuae ; et quod *esse*, in sensu adversariorum, posset tunc efficere, ut unum individuum differret ab alio. *Contrad. min.* Hoc autem, id est, convenientia in natura communi, et discrepantia in natura individuata nequit haberi sine reali illa distinctione, *Neg. min.* Alia convenientia et discrepantia ficta aut pugnans, *Transeat.* Homo quilibet convenit cum alio homine in natura communi, sed differt in natura individuata. Cum autem individuatio naturae, ut dictum est, vel non habeatur *formaliter* per *esse*, vel saltem per *esse* non habeatur *adaequate*, quamvis reale esse non sit nisi naturae individuae ; sequitur falsum esse simpliciter Petrum et Paulum convenire in natura et differre in esse. Distinguitur tamen: Petrus et Paulus conveniunt, in natura *Communi*, *Conc. Individuata*, *Neg.* Et differunt in *esse*, *Materialiter*, quatenus natura, quae est exsistens, ab alia exsistente differt, *Conc. Formaliter*, *Subd. Adaequate*, *Neg. Inadaequate*, *Transeat.* Repugnat vero ut id, quod est forma aut propria ratio convenientiae, sit forma discrepantiae, et vicissim: non repugnat autem, ut aliquid idem secundum aliud conveniat cum alio, et secundum aliud discrepet. Unde *Neg. ultima consequentia.*

Responsio.

Declaratur.

55. Responsio tota satis intelligitur ex dictis in responsione ad praecedentem difficultatem. Si quis vero consideret quod heic dicit Em. Card. Pecci de *esse*, ipsum nimirum esse formalem rationem differentiae individuorum eiusdem speciei ; idque conferat cum eo, quod de *esse* dicit Em. Card. Zigliara, qui ipsum habet tanquam aliquid commune, quod ex se nullo modo plurium aut distinctorum ratio esse potest ; imo tanquam id, quod ad unitatem omnia redigeret, si cum essentia realiter identificaretur ; intelliget profecto, vel ex hoc solo, rationes huiusmodi non esse demonstrationes ; nec fundari in obiectivo aliquo motivo evidenti aut satis constituto ; sed fundari in notionibus, quas unus sic, alius vero sic sibi, voluntate inclinante, efformat, et subinde syllogismos conficit, qui consequenter in aliquo peccabunt.

Eminentissimi Cardinales Pecci et Zigliara invicem collati.

[1] Em. Car. Pecci. *Op. et loc. laud.* « Nell' essenza v. g. dell' umanità ciascun uomo conviene coll' altro, ma differisce nell' essere, perchè altro è l' essere di Pietro, altro è l' essere di Paolo. Ma ripugna che ciò, in cui ambidue convengono, sia quello stesso, in cui disconvengono. Dunque ripugna che l' essenza sia lo stesso che l' essere, nè siano realmente due cose distinte ».

56. *Subdit P. De Maria*: « Natura, quae non differt realiter a suo esse, non est plurificabilis aut multiplicabilis. Atqui quaelibet natura creata est multiplicabilis. Ergo in omni re creata quidditas realiter differt a suo esse. Cum *minor* sit extra omnem controversiam, debet explanari *maior*. Etenim cum multiplicatio seu pluralitas sequatur divisionem, omne quod multiplicatur, dividitur vel per differentias formales, vel per differentias materiales, quatenus forma eiusdem rationis recipitur in diversis subiectis. Iam vero si esse identificatur cum essentia, et est forma per se subsistens, neque multiplicari potest per diversa subiecta, cum sit irreceptum, neque per diversas rationes formales, cum in ente nihil sit formalius ipso *esse*. Ergo si esse non recipitur in subiecto et essentia, quacum componit, res creata non erit multiplicabilis »[1]. Succedit P. De Maria.

57. *Respondeo*: *Neg. mai.* et *Conc. min.* Ad probationem. *Conc. disiunctivam*, intellectam in 2.° membro de receptione sive physica et propria, sive impropria et metaphysica, et sic eligo 2um. Iam si esse realiter identificatur cum essentia, abs dubio *proprie* et *physice* in essentia non recipitur, sed tamen recipitur *improprie* et *metaphysice*, uti saepius in superioribus probatum et declaratum est. Huiusmodi autem metaphysica receptio efficit, ut esse sic receptum, non sit *ipsum esse per se aut essentialiter subsistens*, *adeoque a se*, *et simpliciter irreceptum*, *et immultiplicabile;* sed ut sit aliquod esse, in aliqua essentia subsistens, adeoque receptum tum ab alio, tum etiam metaphysice in alio, quod potest constituere diversa subiecta sive specifice, sive numerice distincta, et per huiusmodi differentias, quasi materiales, dividi et multiplicari. Adversarii debent omnino de medio pellere perpetuam aequivocationem, quam faciunt, *de ipso esse per essentiam subsistente*, et *de aliquo esse*, *realiter essentiae identico*, *sed non de ipsa ratione essentiae;* quod proinde *aliquod esse in aliqua essentia substantiali realiter subsistit*, *non ex vi suae essentiae*, *sed ex vi causae totam realem essentiam substantialem producentis.* Respondetur.

58. Atque ex his omnibus inferimus neque ex *esse abstracte sumpto*, neque *ex esse per se subsistente* aut divino recte inferri realem distinctionem actualem inter essentiam creati entis eiusque exsistentiam. *Esse* enim *abstracte sumptum* abs dubio nonnisi unicam simplicissimam et formalissimam notam aut realitatem, *actualitatem* nimirum praesefert; quam tamen non in se, nisi mentis abstractione, sed in essentia aliqua singulari habeat opus est. Porro ut mentis abstractione τὸ *esse* ita sit, non opus est ut in aliqua potentia physica, cum qua physicam compositionem faciat, recipiatur; sed satis est, ut recipiatur in potentia aliqua metaphysica, cum eaque rationem unam compositam efficiat: quemadmodum omnes rationes universales determinantes, quae actus rationem praeseferunt (ad quas ipsum *esse*, ex dictis, debet referri aut reduci), recipiuntur quodammodo in ratione generica, aut sive ontologice Illatio prior. Declaratur.

[1] De Maria, *Op. et loc. laud.* ARG. *2um.*

sive logice universaliori, sicut in quadam potentia, non ad efformandum ens realiter compositum, ut saepe diximus, sed ad unicam rationem compositam efformandam. Quapropter aequivocatione laborat ac petit revera principium P. Liberatore, dum scribit: « Cum esse exsistentiae sit simplicissimum et formalissimum, non potest aliter multiplicari, nisi quatenus recipitur ut actus in diversis subiectis, seu essentiis: secus deesset interna ratio multiplicationis »[1]. Haec enim, si intelligi debeant de *esse* ab actuali essentia realiter distincto, non probationem proferunt, sed principii petitionem; ipsa enim thesis aut propositio probanda asseritur, at nullo probatur pacto. Si enim τὸ *esse* esset aliquid realiter ab actuali essentia distinctum, ratio exigitiva extrinseca multiplicationis τοῦ *esse* ex diverso subiecto derivaretur; quamvis non, uti abunde probatum est, intrinseca multiplicitatis ratio, quae in propria entitate necessario sita est; neque extrinseca multiplicitatis ratio effectrix, quae facientis potentiae suo iure debetur. An vero detur necne inter τὸ *esse* et actualem essentiam realis distinctio, ex simplicitate et formalissima ratione τοῦ *esse* abstracte sumpti nullo modo potest probari. Simplicissima enim ratio entis aut τοῦ *esse*, etiamsi iure ut actus habeatur, hoc demum solum infert, quod, uti omnis alia ratio universalis, multiplicari non potest in se, sed solum in suis inferioribus: quod si illa ratio praesefert rationem actus, multiplicari revera non poterit nisi, una cum ipsa, potentia aut essentia multiplicetur. Eruntne, hoc solo, ista realiter distincta? Undenam patet? Nonne ex paritate cum multiplicatione notionum universalium in suis individuis rectius infertur, uti hae sine reali distinctione inter naturam communem et differentiam individualem in suis individuis multiplicantur; ita τὸ *esse* commune sine reali ulla distinctione in essentiis individuis multiplicari? Certe esse refertur aut habitudinem dicit ad essentiam, sicut unitas ad rem unam, veritas ad rem veram, et reliquae rationes transcendentes ad sua quodammodo concreta. Unitas autem et veritas nequeunt multiplicari, nisi res unae et verae multiplicentur. Posita vero hac multiplicatione non habetur aliqua physica compositio inter unitatem et rem, quae dicitur una, veritatem et rem, quae dicitur vera; neque habetur unum aut verum subsistens in substantiis, sed aliquod unum et aliquod verum subsistens in hac determinata natura. Ergo, posita multiplicatione τοῦ *esse* in aliqua essentia, non habetur, certe non est necesse ut habeatur physica compositio inter esse et actualem essentiam; neque habebitur *ipsum esse subsistens*, sed *aliquod esse subsistens in determinata essentia.*

Aequivocatione laborat ac petit principium P. Liberatore.

Rationes transcendentes, multiplicatis subiectis, multiplicantur.

59. Intelligitur praeterea nihil esse quod scribit Ferrariensis: « Ipsi esse nihil uniri potest per modum, quo actus unitur potentiae, cum esse sit ultima actualitas et omnium formarum actus. Unde in *III. Metaph.* dicitur quod ens non potest per differentias

Illatio altera.

Ferrariensis.

[1] Liberatore, *Op. et loc. laud. n. 20.*

dividi; et ideo si aliquid debet sibi uniri, oportet ut altero duorum modorum sit: aut scilicet quia illud est subiectum receptivum *esse*, aut quia tam esse, quam illud aliud sunt in uno communi receptivo. Si autem ponatur *esse per se subsistens*, nullum habebit susceptivum, alioquin non esset *per se subsistens*. Ideo si ponatur subsistens, nihil sibi adiungi potest. Cui si addatur quod *esse ipsum*, in quantum *esse*, non potest esse diversum, sicut nec *homo*, in quantum *homo*, diversificatur, relinquitur quod *esse subsistens* unum dumtaxat esse potest »[1]. — Dato enim quod esse, tanquam ultima actualitas et omnium formarum actus potest haberi; hoc tamen, uti praemonuimus, nequit sine petitione principii, absque nova probatione, intelligi de physica actualitate aut actu physico, sed de actu vel physico, vel metaphysico, prout probabitur: idem dic de subiecto requisito ad eius multiplicationem, si id intelligatur de subiecto physico et realiter distincto, non autem, prout probabitur, aut physico et realiter distincto, aut metaphysico et realiter identico, quamvis formaliter aut secundum confusiorem conceptum distincto: idem de unione, si haec physicam meminerit unionem, non autem physicam aut metaphysicam, prout probabitur. — Ad rem non est quod ex *III. Metaph.* affertur. Admittimus enim ens non posse dividi per differentias, nimirum formales, sed solummodo per differentias materiales aut per subiecta, in quibus tum esse, tum reliqua omnia recipiantur, quibusque uniantur. An vero illa subiecta debeant esse realiter distincta, physica et propria receptio, physica item et propria unio; an, contra, sit satis ut subiecta sint formaliter distincta, quamvis realiter identica, metaphysica et impropria receptio, metaphysica item et impropria unio; id demum in quaestione est. Declaravimus satis posse haec omnia intelligi in sensu formali, saltem cum fundamento in re, quidquid sit de sensu mere logico, de quo postea dicetur. Itaque intelligere illa omnia in sensu reali sine probatione est vera principii petitio. — Ad rem etiam non sunt et summa confusione et aequivocatione turpantur quae addit *de ente per se subsistente*, et de *esse* a seipso non diverso, uti ex dictis clarum est. Substantia enim limitata, quae sibi realiter identificaret exsistentiam, non esset *ipsum ens per se subsistens*, id est, ens secundum totam entis rationem ex vi sui subsistens; sed esset aliquod ens subsistens in determinata ratione per aliquid sibi re identicum, sed formaliter distinctum; quod proinde secundum formalem hanc abstractam rationem a seipso non esset diversum, diversificaretur tamen in individuis naturis sibi realiter identicis; uti homo, qua homo, a se non est diversus, quamvis hic homo sit diversus aut realiter distinctus ab illo homine. Quare exemplum allatum probat oppositum.

Disiicitur.

Ferrariensis aequivocationes.

60. Intelligitur demum ordinem, quem P. Liberatore, eodem loco, vellet inter entia, non esse *necessarium;* esse praeterea saltem *du-*

Illatio tertia.

---

[1] Ferrariensis, *In Summam.* CONTRA GENTES, *lib. 2. c. 52.*

Ordo inter entia a P. Liberatore invectus non est necessarius, quin est saltem dubius.

bium. Cum enim nihil omnino sit, quod ipsum *certo* suadeat, dubium revera est, realis necne ille ordo sit, an vero fictus aut arbitratu mero excogitatus. Scribit: « Atque hinc (*ex reali nimirum sua distinctione*) optimus ordo rerum manifestatur. Nam sic solus Deus omnimodam simplicitatem exhibebit in ratione entis, utpote qui est ipsa exsistentia subsistens. Corpora e contra maxime recedunt a simplicitate; siquidem non modo constant ex essentia et exsistentia, sed etiam in ipsa essentia compositionem includunt. Medio modo se habent creaturae spirituales, quae etsi simplices sunt quoad essentiam, tamen coalescunt ex essentia et exsistentia ». — Ordo enim entium posset sic constitui, ut in Deo nulla sit distinctio et compositio neque physica, neque metaphysica adaequata, quamvis nos de divinis efformare possimus conceptus praecisivos distinctos eosque inter se componere; quod totum non solum ad rationem, sed uno vel altero modo ad fidei doctrinam quodammodo pertinet [1]. In creaturis vero mere spiritualibus ut sit distinctio et compositio non solum logica aut conceptuum nostrorum, et metaphysica adaequata seu rationum formalium; sed etiam aliqua distinctio et compositio physica aut realis, v. g. substantiae et accidentis. In creaturis demum corporeis ut omnium distinctionum et compositionum, non solum accidentalium sed etiam substantialium, genera locum habeant. Porro ordo, quem nos constituimus, plenus, realis, certus est. Ordo, quem constituit adversarius, qua parte Deum spectat, saltem incompletus est; non enim innuit Deum *essentialiter exsistentem*, seu exsistentem ex vi essentiae suae, sed *exsistentem realiter;* utrum vero exsistat ex vi essentiae suae, an ex vi alterius, esset aliude aut supponendum, aut probandum, aut saltem declarandum. Qua parte respicit substantias mere spirituales, sin minus repugnans (quod nunc non quaero), donec probetur realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse, saltem est *dubius.* Si igitur assumitur ille ordo uti omnino ratus ad realem illam distinctionem adstruendam, revera petitur principium. Plenam veritatem exhibet ille ordo, quamvis minus clare, in creaturis corporalibus, quod libentissime agnoscimus.

Verior ordinis entium ratio.

VII.

Non prob.: — γ) ex multiplici principio aut effectu.

Demonstratio bipartita.

61. Probaretur ex multiplici principio aut effectu, quatenus vel essentia actualis et exsistentia diversa aut distincta haberent principia; vel res exsistentes plures possunt effectus producere; quod utrumque non posset intelligi, si essentia actualis et esse in creaturis essent realiter identica. Ex neutro probatur capite. *Non ex primo.* Nam: — α) essentia actualis et esse in creaturis pro principio habent divinam potentiam scientia praelucente et volun-

Excluditur 1um, primo.

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, In 1am pem D. Thomae, Disp. 1. § 2. n. 107. seqq. usque ad finem totius quaestionis.*

tate imperante operantem, uti loquitur D. Thomas, et catholici omnes conveniunt Doctores, quidquid sit utrum conceptu formali inadaequato potentia distinguenda sit necne in Deo ab intellectu, aut a voluntate efficaci, aut ab utroque [1]. Ergo non multiplex, sed unum idemque utriusque principium est, adeoque ex multiplicitate principii falso asserta, seu ex falso antecedente nequit haberi vera probatio: — β) Etiamsi daretur multiplicitas principii, illegitima et falsa *per se* esset conclusio; quia ex multiplici principio non necessario debent haberi in omni hypothesi termini realiter distincti, sed plura principia possunt unum et eundem realem terminum sub diversa formalitate producere: sic causa prima et secunda unam et eandem producunt rem sub diversa formalitate; et intellectus aut voluntas et gratia unum et eundem actum spiritualem supernaturalem, sub diversa item formalitate; et potentia cognoscitiva et species impressa unum et eundem actum cognoscitivum sive intellectualem, sive sensitivum, illa quidem quatenus principium est vitae, ut sic, seu motus per se ab intrinseco, haec quatenus est principium assimilandi terminum aut actum productum principio cognoscenti. Ex hoc ergo solo quod plura principia non solum formaliter, sed etiam realiter distincta influunt in effectum, non sequitur ex necessitate in hoc effectu danda esse plura realiter distincta. Ratio vero *a priori* est quod, uti ex allatis exemplis intelligitur, plura principia, non solum formaliter sed etiam realiter distincta, possunt habere unam et eandem realem causalitatem aut actionem. Ubi autem una et eadem est realiter causalitas aut actio, sive haec sit immanens, sive sit formaliter transiens, sive sit formaliter immanens et virtualiter transiens, unus item et idem est realiter effectus productus, qui vel ipsa realiter saltem terminative actio est, vel ab ipsa nonnisi modaliter distinguitur; actio enim realiter, saltem terminative inspecta, nihil est aliud, quam ipse effectus *in facto esse*, aut *in fieri* et *facto esse*: — γ) Ut ex multiplicitate principiorum probaretur realis distinctio inter actualem essentiam et esse, deberet probari principium formaliter aut realiter distinctum *essentiae actualis* hanc producere reali causalitate distincta a causalitate reali, qua suum principium produceret *esse creaturae*. Hoc autem, non supposita distinctione reali inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque, nobis est omnino impossibile. Etenim id abs dubio revelatum non est nec, uti suo loco dicetur, ex revelatis potest inferri: sola vero naturali ratione modus agendi Dei nobis nonnisi *a posteriori* seu ex effectu potest patere cum, uti ex dictis colligitur, ex nullo praedicato divino necessario possit inferri Deum alia actione debere producere creati entis essentiam actualem, alia quodammodo partiali eius exsistentiam. Ergo ex data etiam multiplicitate principiorum essentiae actualis et esse horum realis distinctio nequit probari.

Secundo.

Ratio *a priori*.

Tertio.

62. Sed audiamus P. Cornoldi philosophantem: « Deus est en-

P. Cornoldi.

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, In 1am pem D. Thomae, Disp. 3. q. 25. n. 420. seqq.*

tis causa: Dei autem operatio *ad extra* una est. Attamen iure meritoque consideramus Deum intellectu et voluntate entia producere. *Esse* effectus est divinae voluntatis; cum ipsa sit quae, quod solo verbo: *Est*, significatur, producat; ipsa actum primum determinet. Sed eorundem entium ordo, ipsorumque quidditas est ab intellectu divino, ab ideis archetypis, in quibus, uti superiori articulo probatum est, obiective sunt rerum essentiae. Si ceram sigillo comprimas, bina in effectu considerabis: unum est, quae in ipsa fit, impressio: alterum, ordo quo id fit, *quo nimirum imaginis partes variae imprimuntur.* Prius vi pressionis debetur; alterum imagini sigillo insculptae. Simili pacto in Dei creantis actu potentiam, ex qua primus promanat *essendi* actus, considerabis; tum ideam, quae hunc eundem actum in hac aut illa essentia simul determinat. Distinctionis, quae inter entis essentiam essendique actum est, non eam afferimus rationem, quod a voluntate et intellectu, ceu a duplici principio realiter distincto, procedunt; sed a distinctione rationis, quae inter eiusmodi principia intercedit, descendimus ad distinctionem realem, quae est inter eorum principiata et effecta »[1].

Ex P. Cornoldi.

63. Verum haec difficilia sunt. Quaerimus a P. Cornoldi: Solumne essendi actum efficit voluntas aut potentia, quam probabiliter cum voluntate efficaci videtur identificare, dum Deus creat; et non efficit ipsam quidditatem? Sola quidditas et non ipse essendi actus in divino intellectu aut in ideis archetypis est? Sola quidditas et non ipse essendi actus a divino intellectu aut ab ideis profluit archetypis? Ergo quidditas rerum non creatur, sed creatus essendi actus recipitur in ideis archetypis cum ipsisque unitur ad creatum ens efformandum? An forsan essendi actus in possibili termino extrinseco idearum archetyparum recipitur, cum ipsoque rursum unitur reali unione ad creatum ens producendum? Prius pantheismum; alterum omnino saperet idealismum aut nullismum. Ergo essendi actus caret idea archetypa, etiam ut *quo*, et a Deo non cognoscitur et, dum Deus creat aut producit essendi actum, caeco modo ipsum producit? Ergo essentiae rerum sunt

Plura inferuntur absurda.

Inter alia, Pantheismus aut nullismus.

---

[1]) Cornoldi, *Civiltà Cattolica, 1.° Sabb. di Maggio 1884. Del Composto ontologico* ecc. III. « Dio è la causa dell'ente: e la operazione di Dio *ad extra* è una. Tuttavolta con ragione consideriamo che Dio causa gli enti e con l'intelletto e con la volontà. L'essere è l'effetto della volontà divina: questa è che produce quello, che dal solo verbo *è* viene significato: essa determina l'atto primo. Ma l'ordine dei medesimi enti e la loro essenza proviene dall'intelletto divino, dalle idee archetipe, nelle quali, come nel precedente articolo abbiamo provato, stanno le essenze delle cose oggettivamente. Se tu calchi il sigillo nella cera, due cose devi considerare nell'effetto: l'una è il basso rilievo che si fa in essa: la seconda è l'ordine con cui questo si fa. La prima è dovuta alla forza di pressione; l'altra alla figura che sta scolpita nel sigillo. Così nell'atto creante devi considerare la potenza che dà l'atto primo dell'essere; di più l'idea che insieme determina quest'atto in una o in un'altra essenza. Della distinzione che v'è nell'ente tra la essenza e l'atto di essere non diamo per ragione, che procedono dalla volontà e dall'intelletto come da due principii realmente distinti: ma dalla distinzione di ragione, che v'è tra cotesti principii, discendiamo alla distinzione reale, che v'è tra i loro principiati ed effetti ».

in ideis archetypis communi solum ratione, et non ultima illa perfectione, quam ab essendi actu nanciscuntur? Tum quid diceret P. Cornoldi Thomistae, uti Gotti, Billuart, ceteris, qui potentiam in Deo cum intellectu practico identificant, quique proinde, nostro concipiendi modo, non solum essentiam, sed ipsum essendi actum ab intellectu, tanquam a principio effectivo, productum dicunt? Si hoc autem ut falsum respuat, certe id stabit: essentiam esse per divinum intellectum, ut possibilem, aut in ordine intelligibilitatis et metaphysico; non autem praecisive a voluntate, dum producitur in ordine physico aut realitatis. In hoc enim ordine essentia et exsistentia, seu exsistens producitur praelucente scientia, qua Deus id quod facit cognoscit, volente aut imperante voluntate, ut id fiat quod scientia cognoscit, exsequente potentia, quae id facit, quod Deus cognoscit et vult. Dicemusne in ente creato dari realem distinctionem compositionemque inter id, quod Deus intelligit, et id, quod Deus vult, et id, quod Deus facit? Nec quidquam valet sigilli exemplum. Impressio enim sigilli, ubi in cera fit, non duplici principio proprie fit, sed unico principio instrumentum quoddam adhibente. Quae si duplex principium dici utcumque permittamus, non tamen principia haec aliam entitatem producunt impressione imaginis, et aliam ordine ipsius; sed unam eandemque realem imaginem impressam, in qua formalis ratio quare imprimatur debetur pressioni, formalis ratio quare sit repraesentativa sculptae imagini. Nimirum hic sigillum, ob imperfectionem agentis, supplet et perfecti agentis vim, et formam, quae rei perficiendae exemplar sit. Argumentum igitur ex divino intellectu et divina voluntate a P. Cornoldi derivatum ad probandam realem distinctionem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque nullum est prorsus.

Urgetur P. Cornoldi.

Non valet sigilli exemplum.

64. In forma sic haberet: Principia, quae in Deo sola ratione distinguuntur, si in alios et alios influant terminos, hos inferunt realiter inter se distinctos. At intellectus et voluntas divina ratione distinguuntur, et ab intellectu essentia creaturae provenit, a voluntate solus essendi actus producitur. Ergo inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque realem inferunt distinctionem — *Respondeo*: *Dist. mai.* Si influant in terminos alios et alios *realiter*, *Conc. mai.* Alios et alios solum *formaliter*, *Neg. mai.* Ad minorem. Concedo primam partem, intellectum nimirum et voluntatem in Deo sola ratione distingui. Secundam vero partem: Ab intellectu provenit essentia creaturae, *Dist.* In statu possibilitatis, *Transeat.* In statu realitatis, *Subd.* Ab intellectu *solo*, suamque *seorsim* causalitatem exserente, *Neg.* Ab intellectu *simul* cum voluntate et potentia, si haec ratione in Deo ab intellectu et voluntate efficaci distinguenda sit; et *unam* quidem *eandemque* cum aliis duobus constituente et quodammodo integrante causalitatem, *Conc.* Tertiam item partem: A voluntate solus essendi actus producitur, *Dist.* A voluntate *sola* et suam *seorsim* causalitatem exserente, *Neg.* A voluntate *simul* cum aliis duobus, constituente et *unam eandemque* quodammodo causalitatem integrante, rursum *Subd.*

P. Cornoldi argumentatio in forma.

Responsio in forma.

Producitur *esse* illa eadem causalitate reali, qua producitur essentia actualis, *Conc.* Causalitate realiter distincta, *Subd.* Si hoc probetur, *Esto.* Si hoc non probetur, et donec non probetur, *Nego.* Iam vero satis constat nec P. Cornoldi argumento suo, nec adversarios alios huc usque confutatos probasse adhuc aut terminos illos, *essentiam actualem* et *esse* creati entis esse terminos *realiter*, et non *solum formaliter distinctos;* aut causalitates, quibus *essentia actualis* creati entis huiusque *esse* producuntur, esse non *formaliter solum*, sed *etiam realiter* distinctas. Itaque, sub datis distinctionibus, *Neg. consequentiam.* Si forsan P. Cornoldi prae oculis habuisset divinas personas, Verbum nimirum et Spiritum Sanctum, qui sunt realiter inter se distincti, quia unus procedit per intellectum, alius per voluntatem, quae sola ratione in Deo distinguuntur; debuisset meminisse Verbum sic procedere per intellectum, influxu non causali, sed substantivo, ut nullo modo procedat per voluntem; Spiritum vero Sanctum sic per voluntatem ut nullo modo per intellectum, quamvis intellectum praesupponat quodammodo. Tum ex Patre Filioque, tanquam ab uno principio et unica spiratione, Spiritum Sanctum procedere, et utrique relative opponi: quae, missis aliis, locum non habent in productione creaturarum.

Praeoccupatur difficultas in divinarum Personarum productione.

65. *Neque ex secundo.* Nimirum ex multiplicitate et diversitate effectuum rerum creatarum non infertur legitime realis distinctio inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque. Eiusmodi effectuum multiplicitas et diversitas considerari potest vel in multiplici et diverso ente creato, vel in uno et eodem. Porro in neutro casu exinde legitime infertur illa realis distinctio. Non in primo. Probavimus enim, etiam data reali identitate inter actualem essentiam et esse creati entis, dari posse multiplicia et differentia, imo diversa entia creata. Hoc autem stante, dari etiam possunt cum reali identitate inter actualem essentiam et esse multiplices et diversi effectus. Nam, data illa multiplicitate et diversitate creati entis, dantur etiam multiplices et diversae facultates, potentiae, vires entium creatorum, illae saltem, quae necessario ex essentia fluunt; dantur etiam connaturaliter, aut certe dari possunt connaturaliter multiplices et diversae actiones aut causalitates. At, his datis, evidenter dari possunt, imo connaturaliter dantur multiplices et diversi effectus. Ergo. Iam vero si, etiam data reali identitate inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque, dari possunt in multiplicibus et diversis creatis entibus multiplices et diversi effectus; ex his non infertur legitime illa realis distinctio; tum quia non necessaria ad multiplices et diversos effectus explicandos; tum quia sophisma incurritur *non causae pro causa.* — Neque in secundo. Enimvero: — α) una et eadem formaliter adaequate simplicissima entitas, qualis est divina, formalissime identica suo esse, potest producere effectus diversos syncategorematice infinitos: — β) Essentia etiam creata praesertim spiritualis, utut realiter sibi identica et nullis physicis constans partibus, potest saltem ut principium remotum varios et diversos producere effectus, intellectiones, volitiones etc., potest radicare et varias

Excluditur alium membrum argumenti bipartiti.

Multiplicitas effectuum in diversis creaturis non probat realem distinctionem inter essentiam et esse.

Neque id probat, si sit in una et eadem creatura.

Primo.

Secundo.

physice aut metaphysice emanare potentias. Ergo, etiam data reali identitate inter creati entis actualem essentiam et esse, multiplices et diversi effectus non excluduntur. *Prob. consequentia.* Etiam data tali identitate, uti saepius in superioribus probatum est, ab essentia non excluduntur multiplices et varii perfectionis gradus, ita saltem ut superiores in inferioribus eminentiori modo contineantur; quia, ipsis contendentibus adversariis, ex illa identitate essentia ipsa non excluderetur, sed evaderet longe perfectior: quod alterum tamen, uti constat ex dictis, incassum contendunt. Si autem non excluditur ipsa essentia, evidenter neque excludi possunt multiplices et varii eiusdem perfectionis gradus. Iam si hoc, neque excludi possunt multiplices et varii effectus; quia multiplices et varii illi perfectionis gradus ratio sunt quare et multiplicem virtutem habeat, et in varios possit effectus.

Illatio notanda.

66. Ex facta demonstratione colligitur, etiamsi supponeremus quod in illa ratione esset supponendum, ex vi nimirum τοῦ *esse identici* omnia pantheistico modo esse *unum*, non ex hoc solo excludendos esse multiplices et diversos creati, aut pressius in illa hypothesi increati entis effectus; cum in illa etiam hypothesi ab essentia, quaecumque tunc esset, multiplices et varii aut formaliter aut eminenter perfectionis gradus non excluderentur. Absurda autem illa hypothesi exclusa, ex vera doctrina in varios effectus creaturarum influunt simul essentia et esse, seu influit essentia actualis; ita tamen ut essentia ratio sit, quare hanc aut illam, quam habet, perfectionem possit communicare; esse vero aut eius actualitas, quare actu id possit. Haec autem duo non meminere principia bina, sed unum idemque actuale principium; neque item excludunt, sed dicunt ordinem, vel possunt ad diversos terminos ordinem dicere.

Obiectio ex P. Cornoldi.

67. *Obiicit P. Cornoldi:* « Si relate ad suam operationem, *inquit*, ens inspicimus, ad eandem illationem adducemur. Invenimus enim ens omne differentium effectuum causam esse. Undenam diversitas istaec? In ente causa: 1.° habetur essentia, et haec essentia diversa est iuxta entium diversitatem: 2.° habetur essendi actus, verbo Est respondens: et, si essentiam praescindamus, actus hic in omnibus est aequalis. Itaque effectuum diversitas principio diverso, essentiae nimirum, tribuenda est, non principio aequali, quod est essendi actus. Principia igitur inter haec bina *identitas* nequit haberi: et consequenter essentia, quamvis τῷ *esse* ontologice unita, unita nimirum enti uno constituendo, non est ipsi τῷ *esse* identica. Quae ratiocinatio posset etiam sic efferri. Si τὸ esse essentiae identicum est; quandoquidem τὸ *esse*, praecisa essentia, in omnibus aequale est; non datur ratio sufficiens, quare diversi sint variorum entium effectus » [1].

[1]) Cornoldi, *Civiltà Cattolica, loc. laud.* « Se riguardiamo l'ente rispetto al suo operare, saremo condotti alla stessa illazione. Imperocchè abbiamo che ogni ente è causa di differenti effetti. D'onde procede cotesta diversità? Nell'ente causa: 1° v'è l'essenza, e questa essenza è diversa secondo la diver-

Responsio.

68. *Respondeo:* Quae hoc loco dicit P. Cornoldi, iam praecedenti demonstratione disiecta sunt. Probatum enim est et declaratum quomodo, non obstante identitate non solum reali, sed etiam formali adaequata, actualem imo actualissimam etiam inter essentiam et esse, multiplices variique effectus tum in uno eodemque ente, tum in entibus multiplicibus diversisque possunt haberi: simulque talis multiplicitatis diversitatisque sufficiens allata est ratio, quae non in reali distinctione actualis essentiae ab esse, sed in multiplici et vario sive formaliter sive eminenter perfectionis gradu tam in ente uno eodemque, quam in distinctis diversisque entibus sita est.

Falsa plura in argumento P. Cornoldi.

Falsum autem est bina dari in *ente-causa* principia, cum essentia ipsa, nisi actu sit, nullius effectus esse principium possit atque, ut actualis est, unum etiam effectuum omnium principium remotum sit, quo sub respetu pressius *natura* dicitur; uti etiam falsum est ipsum *esse* in creatis omnibus aequalitate potiri. Nam nisi pantheistico modo unum dicatur omnium *esse;* vel unum dicatur unitate rationis abstractae, quatenus significat metaphysice: *Id, quo res est extra nihilum et extra causas*, sub qua abstracta praecisaque ratione usque adeo competit substantiae, etiam divinae, accidentibus, entibus quibuscumque, analogica nimirum unitate individui vagi; physice et realiter, iuxta veram philosophiam loquendo, ipsum esse, si identicum realiter essentiae est, usque adeo varium est, ac varia est realis essentia creata; si vero deberet admitti realiter ab essentia distictum, quidquid sit utrum dari possent τὸ *esse* specie diversa, certe individuum esse libri non esset individuum esse lapidis aut hominis. Itaque si *esse*, ut contradistinctum realiter ab essentia post convenientem probationem, quae nondum allata est nec facile afferetur, deberet admitti; ipsum non esset unum et aequale in omnibus, sed multiplex et varium. Non ergo ex aequalitate τοῦ *esse* in omnibus effectus varii essentiis creatis debent adscribi, neque ex hoc essentia creata ab esse debet realiter distingui.

Argumentum P. Cornoldi in forma.

Argumentum P. Cornoldi in forma huc redit: Dantur in entibus creatis multiplices diversique effectus. Atqui hoc factum recte explicatur, si essentia realiter distinguitur ab esse: non explicaretur autem, si diceretur non realiter distingui, quia deesset ratio sufficiens talis multiplicitatis diversitatisque. Ergo. — *Respondeo: Conc. mai.* et *Neg. simpliciter min.* Illud factum per realem distinctionem essentiae ab esse non explicatur, quia illa distinctio non est causa talis

Responsio in forma.

sità degli enti: 2° v' è l' atto di essere, che risponde al verbo *è;* ed ove si prescinda dall' essenza, quest'atto è in tutti eguale. Dunque la diversità negli effetti vuolsi attribuire al principio diverso, ch' è l' essenza, non al principio eguale, ch' è l' atto di essere. Tra questi due principii non ci può essere pertanto *identità*. L' essenza dunque, sebbene unita ontologicamente con l' essere, cioè unita a costituire l'ente uno, non è identica con l' essere stesso. Il quale discorso possiamo ancora così presentarlo. Se l' essere è identico con la essenza; poichè quello (prescindendo da questa) è in tutti eguale; non v' è sufficiente ragione che diversi sieno gli effetti dei varii enti ».

multiplicitatis diversitatisque: contra vero sine tali distinctione explicatur, quia in variis perfectionis gradibus entium creatorum habetur ratio sufficiens et propria causa multiplicium diversorumque effectuum, sive essentia actualis dicatur realiter identica τῷ *esse*, sive realiter distincta. Itaque realis distinctio non recte ex illo facto infertur; et aequalitas τοῦ *esse* in omnibus non solum falso, sed impertinenter prorsus in praesenti controversia invocatur.

Aequalitas τοῦ esse in omnibus falso et impertinenter invocatur.

VIII.

Non prob.: — 6) ex conceptu, quem nos de creato ente informamus, et ex modo, quo loquimur.

69. In tantum ex conceptu modoque loquendi nostro probaretur inter creati entis actualem essentiam et esse realis distinctio; in quantum noster entis conceptus non esset simplex, sed compositus, eiusque expressio compositionem significaret. At noster entis conceptus vel compositus non est, sed simplex; vel si utcumque compositus dici debeat, eiusque expressio compositionem significans; eiusmodi compositio non dat ius ad realem distinctionem inter creati entis actualem essentiam et esse adserendam. Ergo ex conceptu modoque loquendi nostro non probatur illa realis distinctio. — *Maior* est adversariorum. *Prob. 1.ª min. pars.* Noster entis conceptus vel formalis est, vel obiectivus aut repraesentativus. Uterque realiter simplex est, non compositus. Et quidem noster entis formalis conceptus, cum sit intellectualis ac porro spiritualis actus, necessario simplex est, non compositus. Simplicissimus item est conceptus entis obiectivus, cum sit analogice universalissimus, nec in simpliciores conceptus possit resolvi, nec propria definitione metaphysica aut physica definiri, uti communiter omnes docent Metaphysici. Et certe de Deo maxime ens praedicatur: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν [1]. Non posset autem de Deo praedicari ὁ ὤν, si conceptus entis, ut sic, realem compositionem in obiecto praeseferret. Ergo noster conceptus entis, ut sic, simplex est, non compositus. *Prob. 2.ª min. pars.* Si utcumque demus nostrum conceptum entis, ut sic, non simplicem, sed compositum esse, eiusque compositionem verbo nostro exprimi, tunc ius esset inferendi realem distinctionem inter creati entis actualem essentiam et esse, quando illa compositio in conceptu obiectivo contenta et vocabulo nostro significata non esset metaphysica aut solum grammaticalis, sed physica aut realis. Si enim illud prius solum obtineret, verbum quidem aut vocabulum nostrum, ex modo significandi, et ratio intelligibilis, ut a nobis concepta et verbo expressa, essent composita, res autem significata esset vel posset esse simplicissima; quemadmodum ex doctrina Patrum, qui contra Aëtium et Eunomium scripserunt, D. Thomae, et aliorum Doctorum in conceptio-

Demonstratio.

Conceptus entis formalis et obiectivus.

Formalis conceptus simplex, non compositus.

Simplex item obiectivus.

[1] *Exod. 3. 14.*

nibus nostris omnibus loquutionibusque de Deo constanter usuvenit; simplicia enim nos, praesertim divina, nonnisi ad modum compositorum concipimus efferimusque. At in nostro conceptu entis, ut sic, eiusque vocali expressione compositio, si qua est, sola est metaphysica aut grammaticalis, non autem physica aut realis. Ergo. — *Prob. min.* Compositio, si qua est in nostro conceptu entis, ut sic, eiusque vocali expressione, ea demum est, ut *Ens,* uti reliqua participia aut nomina verbalia, v. g. vivens, intelligens, non significet totam rationem essendi verbo infinitivo *esse* significatam, sed significet subiectum aut suppositum *essendi* rationem participans. Ens enim idem est ac: *Aliquid, quod est;* uti vivens aut intelligens est idem, ac: *Aliquid, quod vivit,* aut *intelligit,* seu participat de vivere, aut intelligere. At eiusmodi compositio tota se tenet *per se* ex parte modi concipiendi et significandi, non autem *per se* aut necessario ex parte rei conceptae aut significatae. Etenim nos uti dicimus ens, vivens, intelligens de creatura; ita dicimus ens, vivens, intelligens de Deo. Ast haec in Deo non praeseferunt compositionem ex parte rei conceptae aut significatae, sed solum ex parte modi concipiendi et significandi, quem nos adhibemus. — Praeterea eadem est compositio participiorum, quae est nominum substantivorum concretorum; sicut enim ens aut vivens significant suppositum habens esse aut vivere, seu essentiam aut vitam; ita Deus aut spiritus significant suppositum habens deitatem aut naturam spiritualem. At in concretis substantivis compositio non est *per se* aut necessario rei, sed est vel esse potest tantum conceptus nostri aut significationis. Ergo idem locum habet aut habere potest in participiis; et consequenter ens, etiamsi compositionem aliquam in nostro conceptu aut loquutione praeseferat, non exinde solum ius est compositionem illam ad rem significatam transferendi.

In nostro entis conceptu compositio, si qua est, est solum metaphysica aut grammaticalis, non physica aut realis.

Instantia P. Cornoldi.

70. Urget P. Cornoldi: « Quis non videat in eo, quod *a parte rei* conceptui entis respondet et verbo aut vocabulo significatur, veram haberi compositionem, illam nimirum, quae est potentiae et actus?..... Non est autem eiusmodi compositio solum *rationis*, quae tota in conceptibus sit; sed *a parte rei* locum habet. A parte enim rei habetur *essentia*, habetur *essendi actus*, simulque utrumque *unitum est;* neque dicere possumus essentiam esse actum essendi; neque aut solam illam, aut hunc solum esse totum ens. Excludimus igitur realem identitatem partem inter unam et alteram, interque singulas et totum ens, quae inveniri semper debet, ubi solius rationis habetur compositio » [1].

[1] Cornoldi, *Civiltà Cattolica, loc. laud. II.* Chi non vede che in ciò, che nella *realtà* risponde al concetto di ente e da questa parola è significato, vi è una vera composizione, qual' è quella di potenza e di atto?..... Non è questa sola composizione mentale, che stia soltanto ne' concetti; ma è nella realtà; perchè nella realtà c' è l' essenza, c' è l' atto di essere, e ci sono tutti due uniti assieme; e non possiamo dire che l' essenza è l' atto di essere, nè che quella sola, oppure questo solo sia tutto l' ente. Escludiamo quindi la iden-

71. *Respondeo* demonstratione nostra, qua ad veritatis normam redacta sunt, quae interrogationi suae ansam praebent, videri potius in nostro entis conceptu eiusque orali scriptave significatione veram haberi compositionem mentalem aut *rationis*, compositionem vero *realem* aut non haberi, aut certe exinde non probari. Ad ea vero, quae subdit: 1.° quidem in creato ente a parte sane rei datur realis essentia, datur realis essendi actus. An vero sint *realiter unita*, et praesuppositive realiter distincta; aut *sola ratione unita* et realiter identica, non claret, sed omnino probandum est, saltem qua parte *realis unio* asseritur. Dum enim sine alia demonstratione dicitur: *A parte rei datur esse unitum essentiae*, et intelligitur: *realiter* seu *reali unione unitum;* dicitur: *A parte rei in creaturis essentiam et esse bina esse re distincta, et per compositionem* physicam (vocetur compositio istaec *Ontologica*, vel alio nomine parum refert) *in unitatem redacta.* Hoc autem praecise est demonstrandum. Idem omnino est, bina esse realiter distincta et unita, ac eorum compositionem esse realem. Responsio ad 1am partem.

72. Quod vero: 2.° affert, essentiam actualem non posse praedicari de esse, neque alterutrum de ente, posset gratis respui, uti gratis asseritur. Doctores enim illi, qui nonnisi ratione ratiocinante esse et essentiam actualem creatam distinguunt, secundum actualem mentis praecisionem illa praedicari non posse concedunt; ceterum docent posse illa invicem praedicari tum in sensu formali obiectivo, tum in sensu reali. Quod si inter actualem essentiam et esse rationis ratiocinatae distinctionem agnoscamus; illa utique non poterunt praedicari invicem in sensu formali obiectivo: ast, donec probetur oppositum, nihil impediet, quominus praedicentur invicem in sensu reali, dicaturque: *Essentia* RE *est esse*, *est ens*, seu: RES, *quam concipio conceptu formali essentiae*, *est* RES, *quam concipio conceptu formali* τοῦ *esse*, *aut conceptu formali entis.* Istaec enim praedicatio est verissima, si actualis essentia et esse *re* sunt idem, et differunt solum ratione ratiocinata. Si vero R. Pater vult essentiam actualem ne in sensu quidem reali de esse posse praedicari, et vicissim; evidenter omnino, si non probet, assumet idem, quod erat probandum. Si autem vellet probare (quod non facit) idem ferme esset probare unum non posse *re* praedicari de altero, ac unum esse *re* distinctum ab altero. Itaque ex modo concipiendi aut loquendi nostro pro reali distinctione actualis essentiae ab esse nulla haberi potest probatio, nulla saltem huc usque allata est, quod pro praesenti instituto oppido sufficit. Responsio ad 2am partem.

73. Instat Em. Card. Pecci: « Naturâ ipsâ, quin animadvertamus, modo reali distinctioni, quam tuemur, consono universim loquimur. Dicimus nos *habere esse*, neque possibile nobis est ratione ulla dicere, quod *sumus esse.* Habens autem *realiter* distinguitur a *re* habita; neque enim sine contradictione dici potest habentem esse habitum, aut recipientem receptum. Repugnat igitur ut esse Instantia ex Em. Card. Pecci.

---

tità reale tra una parte e l'altra, tra ciascuna parte e il tutto *ente*, la quale deve sempre ritrovarsi, quando la composizione è di sola ragione.

sit idem quod nos, aut idem quod nostra essentia. Sumus animalia rationalia, atque haec nostra est essentia, in ipsaque recipimus esse, quod consequenter nequit non esse ab ipsa distinctum »[1].

Responsio.

74. *Respondeo :* Haec quae, ut minimum dicam, non sine quadam idearum confusione proferuntur, facilia sunt, et in superioribus fuerunt disiecta. Si enim universim non dicimus: *Ego sum esse*, dicimus tamen: *Ego sum unum esse*, *aliquod esse* — *Ille est esse extra-vagans*, *originale* (STRAVAGANTE, ORIGINALE) — *Series* τῶν *esse* (LA SERIE DEGLI ESSERI) etc. Falsum est autem nulla posse nos ratione dicere: *Ego sum esse.* Dialectice enim id dici posset, si ferret usus. Nam Dialectice in propositione affirmativa praedicatum tenetur particulariter. Illa ergo propositio: *Ego sum esse*, aequivalet huic: *Ego sum aliquod esse :* quod non solum dici potest, sed et aliquando dicitur. Communiter vero non dicimus: *Ego sum esse*, quia ex communi usu *esse* simpliciter positum vel usurpatur a nobis universalissima abstractione extensiva, vel universali comprehensione reali, quorum neutrum in praedicatione personali realique creatae hypostasi competit. Hoc autem *stricte* non fit ex vi naturae, cum neutra idea τοῦ *esse* innata sit, verum altera per abstractionem, altera discursu acquiratur; sed *stricte* fit ex usu in natura quodammodo fundato. Quare si dialectica conceptio τῷ esse tribueretur, et usus ferret, etiam communiter diceretur: *Ego sum esse*, uti dicitur: *Ego sum unum, vel aliquod esse.* Declaravimus etiam verbum *habere* non semper significare habitudinem rei realiter distinctae possessaeque ad possidentem, sed habitudinem rei vel realiter vel sola ratione distinctae, et quidem non solum adaequate sed etiam inadaequate. Unde de Spiritu Sancto legimus: *Et hoc*, (Πεῦμα Κυρίου) *quod continet omnia*, SCIENTIAM HABET VOCIS[2]. Numquid scientia vocis a Spiritu Sancto est realiter distincta? Itaque antecedens ab Em. Auctore partim falso, partim valde confuse asseritur: consequens autem aut est simpliciter falsum, aut certe non recte ex illo solo antecedente infertur. Oporteret enim probare ne in sensu quidem reali, particulari, determinato dici posse: *Ego sum esse;* in propositione vero: *Ego habeo esse*, significari necessario, saltem in creaturis, habitudinem distinctionis realis inter habentem et habitum, et non posse significari habitudinem distinctionis solius rationis, ut v. g. cum dicitur: *Ego habeo animam et corpus unita :* quod, non supposita vel assumpta ipsa distinctione reali inter actualem essentiam et esse creati entis, tanquam demonstrationis principio, vel fieri ne-

Quid usus?

Quid dialectica?

Quid natura?

[1] Em. Card. Pecci, *Op. et loc. laud.* — La natura stessa, senza che noi ci pensiamo, ci fa universalmente parlare in conformità di siffatta distinzione. Noi diciamo *d' aver l' essere*, nè ci è possibile in alcuna maniera di dire che *siam l' essere.* Ma l'avente è in realtà distinto dalla cosa avuta: chè non può dirsi senza contraddizione che l' avente sia l'avuto, o il ricevente il ricevuto. L'essere dunque che sia la stessa cosa che noi, o la stessa cosa che la nostra essenza ripugna. Noi siamo animali ragionevoli, ch' è la nostra essenza, e in essa riceviamo l' essere, che per conseguente non può non essere da lei distinto.

[2] *Sap. 1, 7,* Cfr. D. Thom. *Summ. Theol. 1. p. q. 39. a. 2. corp.*

quit vel, si utcumque posset, fere tantumdem esset primum, quantum alterum demonstrare.

75. Ex omnibus dictis inferimus realem distinctionem inter creati entis actualem essentiam et esse non solum non esse *immediate* evidentem; sed neque argumentis adversariorum unde unde derivatis fieri evidentem *mediate;* imo, si nostra, uti videtur, constant, praescindendo ab auctoritate, argumentis illis neque solida probabilitate fundari.

Ex dictis sequitur realem distinctionem inter essentiam et esse creati entis neque esse immediate evidentem; neque solida probabilitate gaudere.

§ II.

Probatur directe eadem assertio, impugnaturque realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse.

76. Realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse: — α) non est necessaria: — β) rationi non congruit: — γ) infert aut ansam praebet absurdis tum theologicis, tum philosophicis. Quod autem huiusmodi est, revera non datur. Ergo inter creati entis actualem essentiam et esse non datur realis distinctio. Minor et consequentia sunt evidentes: probanda tamen est maior quoad tripartitam illam distinctionem assertionemque.

Argumentum generale tripartitum.

I.

Realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse non est necessaria.

77. *Prob. arg. gen.* — Necessitas realis distinctionis inter creati entis actualem essentiam et esse esset vel necessitas rei, vel necessitas scientiae; quatenus sine illa reali distinctione et consequuta reali compositione vel non posset concipi darique exsistens creatum ens, vel sine illa rationalis scientia aut nulla, uti aliqui eius propugnatores aliquando asserere visi sunt, dari posset; vel dari non posset praecipuarum veritatum rationalium stricta demonstratio ac propria scientia, saltem in doctrina D. Thomae, uti communius maxima eorum pars in praesenti materia loquitur [1]. Porro,

Necessitas realis distinctionis esset vel rei, vel scientiae.

[1] Ea v. g. uti loquitur Em. Card. Pecci, quod Scriptoribus aliis, ac Civilitati praesertim Catholicae commune est. « Egli (S. Tommaso) vuole assolutamente che nella creatura esistente, per essere creatura, vi sia composizione non di pura ragione, ma reale di essenza e di essere, come di due cose distinte *secundum rem* l'una dall'altra. Nè solamente in questo luogo, ma nelle due somme eziandio e dovunque altrove ne tiene ragionamento, insegna sempre questa dottrina, non come opinione, ma qual verità certissima, necessaria e fondamentale così, che gli argomenti e dimostrazioni che arreca a provare l'infinità e le perfezioni di Dio, la limitazione e l'imperfezione della creatura appoggia egli a questo principio, che l'essere distinguesi realmente dall'essenza nelle creature, non distinguesi in Dio. E con s. Tommaso dovrà, cred'io, convenire chi docilmente e con attenzione vorrà considerarne le prove ». *Op. et loc. laud. n. 20.* — Cfr. in *Periodico Philosophico-Theologico* — Divus Thomas, *Placentiae 1905. A. XXVI. Ses. 2. vol. 6.* Fr. N. Del Prado O. P. *De veritate fundamentali Philosophiae Christianae, lib. 2. Praefatio pag. 386. seqq.*

quidquid sit de doctrina D. Thomae, de qua subinde nobis erit dicendum, neutra revera datur necessitas. Ergo.

Neutra datur.

Prob. 1a min. pars. Undenam derivaretur rei necessitas?

78. *Prob. 1.ª min. pars.* Rei necessitas in praesentiarum derivaretur ex eo, quod sine reali illa distinctione ac compositione vel: — α) non posset intelligi darique ens creatum, ut exsistens; vel: — β) ens potentiale, contingens, ab alio, limitatum, uti ens omne creatum sit necesse est; vel: — γ) ens creatum ab increato ente realiter distinctum; vel demum: — δ) ens creatum a creatis aliis specie numeroque distinctum entibus; ex his enim, quasi *a priori*, distinctionem illam invehere conantur adversarii: quae vero *a posteriori* afferunt, nullius momenti sunt, uti ex dictis facile intelligitur. Atqui ex praemissa assertionis nostrae indirecta demonstratione facillime etiam intelligitur ex nullo illorum capitum realis distinctionis necessitatem inter creati entis essentiam actualem exsistentiamque derivari. Et breviter declaratur.

Ex nullo derivatur capite.

Non ex ente creato existente.

Probatur.

79. Nam: — α) ut intelligi darique possit ens creatum, ut exsistens, intelligi darique debet ens *extra mentem effectricemque virtutem causae*, *extra sui*, et si de prima productione aut creatione sermo sit, *subiectique nihilum*, *extra possibilitatem*, *aliquid per se et connaturaliter in se*, si sit substantia totalis, uno vel alio modo *in alio*, si sit substantia partialis aut accidens. Atqui, data actuali essentia et nulla alia intellecta aut data reali entitate, quae sit exsistentia aut esse, illa omnia necessario intelliguntur danturque. Ergo data actuali essentia creati entis, et nulla alia intellecta aut data reali entitate, quae sit exsistentia aut esse, creatum ens, ut exsistens, intelligitur daturque. *Maior* patet ex iis, quae in Sectione I. dicta sunt ubi, consentientibus adversariis, exsistentiam definivimus esse: *Id, quo res formaliter est extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas, aliquid in rerum natura.* *Minor* vero facile patet. Nam essentia actualis creati entis, quidquid sit requirat necne aliunde aliud comprincipium, possit vel non possit sine ipso esse, et huiusmodi alia, habere certe debet ex se actualitatem realitatemque essentiae, uti cordatiores adversarii conveniunt; secus enim non esset essentia actualis, sed ad summum possibilis. Realiter proinde esset simpliciter nihilum, et non solum seorsim, sed neque cum quocumque alio comprincipio a se realiter distincto posset componere ens reale. Atqui, data actualitate et realitate essentiae creati entis, hoc solo, ipsum non est amplius tantummodo in mente aut in virtute causae effectricis, sed est omnino *extra utramque;* est *extra nihilum sui* et, in creatione, etiam *subiecti*, est *extra possibilitatem*, a qua realiter negative distinguitur, est necessario *in se* aut *in alio*, prout totalis substantia, seu substantia partialis aut accidens est. Ergo. Enimvero ens, quod potest esse et est, quocumque gradu realis entis realiter negative distinguitur a nihilo, ac proinde a mero possibili, quod realiter nihil est, et sic necessario extra utrumque est: praeterea secundum quemcumque gradum entis realis necessario est realis terminus actionis productricis, et consequenter est extra causas, et aliquid in rerum natura. Atqui essentia actualis aut realis, eo ipso

quod suam habet actualitatem, aliquem necessario habet entis gradum, et realis terminus est actionis productricis; neque enim sine causa et actione producente, quam terminet, transire potest a nihilo absoluto, aut a statu meae possibilitatis ad statum realitatis. Ergo essentia actualis, eo ipso quod suam habet actualitatem realitatemque, iam est extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas, aliquid in rerum natura [1].

80. *Oggerunt adversarii varii:* 1.° Essentiam habere ipsam actualitatem realitatemque essentiae ab esse. — At vero hoc falsum est in eorum sententia et, si concedatur, ipsis non prodest, sed obest. Falsum enim est, ut res intrinsece et constitutive suam realitatem habeat ab eo, quod ab ipsa realiter distinguitur; esset enim simul et non esset ab ipsa realiter distinctum: primum ex hypothesi; alterum, quia si realiter distinctum realiter intrinsece constituit rem ipsam, erit realiter intrinsece ipsa res, a qua proinde non posset realiter distingui. — Atque hinc patet, si adversariis concedatur essentiam creati entis habere actualitatem ipsius essentiae ab esse, hoc non ipsis prodesse, sed obesse. Illo enim dato, cum realis essentia talis esset intrinsece constitutive per esse, ab esse non posset realiter distingui, sed necessario ipsi realiter esset identica; nulla enim res realiter distinguitur a suis intrinsecis constitutivis.

2.° Quamvis ex se habeat actualitatem essentiae, et sic comparata ad essentiam possibilem dici possit actualis ex se; tamen ut exsistens dicatur, debet recipere ab esse exsistendi actum, quia est realis potentia. — Verum haec est arbitraria fictio. Ostendimus non probari ab adversariis essentiam actualem esse realem potentiam physicam. Quo ergo iure praeter actualitatem realitatemve essentiae, vi cuius necessario esse debet extra nihilum et extra causas, novam aliam actualitatem requirunt, ut sit extra nihilum et extra causas? Hoc dici nequit, nisi aut immediate evidens sit dari in creatis entibus exsistentiam ab actuali essentia realiter distinctam, aut saltem sit mediate evidens seu demonstratum. Cum autem neutrum, uti ostensum est, locum habeat, et ut intelligatur essentia extra nihilum, extra causas, esse aliquid in rerum natura, satis sit, ut intelligatur aut sit actualis seu realis; hoc etiam satis erit ut intelligatur et sit exsistens, et novus alius exsistendi actus, quantumvis verbis exaggeretur, erit superfluus et arbitrarius. Non sunt autem multiplicanda entia sine necessitate.

Secunda responsio.

Refellitur.

3.° Utique eo ipso, quod essentia actualis aut realis est, est extra nihilum, extra causas, aliquid in rerum natura, uno verbo, exsistit. Non est haec quaestio: « Quaestio est utrum exsistat vi essentiae, aut vi exsistentiae. Quod si adversarii supponant essentiam productam exsistere vi essentiae, supponunt ut certum id, quod praecise est probandum, et eorum argumentum est petitio

Tertia responsio ex Em. Card. Zigliara.

[1] Suarez, *Disputationes Metaphysicae, Disp. 31. Sect. 4.*

Refellitur.

principii »[1]. Haec Em. Card. Zigliara. — Verum, pace Em. Principis, haec sunt minus accurate dicta. Illa verba: *vi essentiae*, aequivoca sunt et, uti ab initio monuimus, Em. viro fons fuerunt et radix omnium aliarum aequivocationum, quas huc usque opus fuit ponere in aperto. Per haec verba: *ex vi essentiae*, absolute utique potest intelligi sive *ex exigentia et necessitate essentiae*, sive *sola realitate essentiae* absque alia re addita; communiter tamen

Ratio aequivocationum Eminentissimi.

non hoc alterum, sed illud prius intelligitur. Transitus vero ab uno sensu ad alium prodigiosas illas peperit aequivocationes, quas in superioribus stupuimus. Nobis autem stricte non inest onus probandi: Utrum ens creatum exsistat *sola realitate essentiae* absque alia re addita, an vero exsistat ex vi alterius realitatis aut actualitatis, quae dicenda sit *exsistentia*. Eiusmodi onus asserentis est, non negantis assertionem; praesertim quando assertio ea est, ut vix aut ne vix quidem conveniens eiusdem conceptus possit informari. Nos dicimus: quaecumque ad creati entis exsistentiam requiruntur, satis habentur sola realitate aut actualitate essentiae, uti ex dictis constat. Novus aut alius proinde actus superfluus est, aut certe admitti scientifice nec debet nec potest, nisi probetur: in quo nulla evidenter principii petitio est. Cum igitur ille alius actus, realiter ab actualitate aut realitate essentiae distinctus, ab adversariis non probetur, uti evidenter, ni fallimur, ostensum est, tanquam superfluus et arbitrarius scientifice reiicitur.

Non ex ente potentiali, contingente, ab alio, limitato.

Demonstratur.

81. Praeterea: — β) Ut habeatur ens potentiale, contingens, ab alio, limitatum, satis est ut non exsistat ex exigentia aut necessitate essentiae, sed ut exsistat, et exigat exsistere ex vi et libera actione causae producentis. Si enim ens aliquod non exsistit ex exigentia et necessitate essentiae, sed ex vi et libera actione causae producentis, quatenus *non est et potest esse*, erit ens simpliciter *potentiale* et, uno vel alio modo uti in superioribus declaratum est, varia potentialitate passiva respergetur; quatenus *essentialiter potest esse vel non esse*, erit ens *essentialiter contingens*; quatenus *est et exigit esse ex libera actione causae*, erit essentialiter *ens ab alio*; quatenus *potentiale*, *contingens*, *ab alio* est, erit simpliciter aut essentialiter *ens limitatum*. Atqui non data reali distinctione inter actualem essentiam et esse, sed contra data reali identitate, ens, ex hoc solo, non exsisteret ex exigentia et necessitate suae essentiae, sed ex vi et libera actione causae producentis. Ergo non data illa reali distinctione, et contra etiam data inter actualem essentiam et esse reali identitate, ens, ex hoc solo, non desineret esse potentiale, contingens, ab alio, limitatum; et sic ex hisce capitibus non habetur necessitas τοῦ *esse* aut actus ab actuali essentia realiter distincti. — *Prob. min.* — α) Non data reali distinctione inter actualem essentiam et esse creati entis, et data sola reali identitate, etiamsi *res*, quae est essentia creati entis, quodammodo mutetur, quatenus ex possibili et non reali fit actualis

Admissa reali identitate inter essentiam et esse, creatum ens non exsistit ex necessitate essentiae, sed ex libera causae producentis actione.

---

[1] Zigliara, *Ontologia*, *lib. 2. c. 1. art. 6. VI.* Obiect. quarta.

et realis; tamen *essentia*, qua *essentia*, non mutatur. Eadem enim omnino praedicata quidditativa retinet essentia in statu possibilitatis et in statu realitatis. Atqui si ex reali identitate cum *esse* essentia creati entis, qua essentia, non mutatur; ex vi eiusdem identitatis creatum ens non exsistit ex exigentia et necessitate suae essentiae, sed ex vi et libera actione causae producentis; quia in essentia creati entis non est ut exsistat ex exigentia et suimet ipsius necessitate, sed contra est ut exsistat ex vi et libera (loquimur de prima causa, quae necessario est libera *ad extra*, et praescindimus hoc loco a causis secundis tum necessariis tum liberis, uti per se claret) actione causae producentis. Ergo non data reali distinctione inter actualem essentiam creati entis et *esse*, et data, contra, reali identitate, creatum ens non exsistit ex exigentia et necessitate suae essentiae, sed exsistit ex vi et libera actione causae producentis: — β) Et confirmatur simul factum argumentum. Ex illa reali identitate mutaretur creati entis essentia, qua essentia, creatumque ens exsisteret ex exigentia et necessitate suae essentiae, et non ex vi et libera actione causae producentis, quatenus, data illa reali identitate, ipsum *esse* evaderet creati entis praedicatum quidditativum. At non evadit, uti evidenter constat ex reali identitate differentiae individualis cum natura communi et proprietatum metaphysicarum cum essentia etiam individua in creatis, et ex reali identitate divinarum personarum cum essentia in Deo, quin differentia individualis evadat praedicatum quidditativum naturae communis, et proprietates metaphysicae naturae etiam individuae, et personae divinae essentiae divinae, quemadmodum in superioribus expendimus. Ergo.— γ) Data illa reali identitate, creati entis *esse* nihil esset aliud, nisi modus formalis metaphysicus realis essentiae, quatenus realis essentia cum fundamento in re, concipi potest in ordine ad causas et ad nihilum, extra quae esse dicitur, vel in ordine ad reliquam naturam realem, cuius dicitur esse aliquid. At ex vi modi huiusmodi, qui extra quidditatem est et conceptu nostro completur, essentia creati entis nequit evadere exigens exsistere ex vi et necessitate suimet ipsius, cum essentiae modus ipsam essentiam non constituat. Ergo ex reali identitate inter creati entis actualem essentiam et esse non fit, ut creati entis essentia exsistat ex exigentia et necessitate ipsius essentiae; et, si est, est ex libera actione causae producentis, adeoque ens potentiale, contingens, ab alio, limitatum.

Confirmatur.

Confirmatur adhuc.

82. *Dices :* Si essentia actualis et esse identica realiter sunt, uti sunt una et sola *res*, sic sunt una et sola essentia. At essentia, in ratione essentiae, non est ens potentiale, sed actuale; non contingens, sed necessarium; non ab alio, sed ex sui necessitate; ex quibus potest inferri quod non est ens limitatum, sed illimitatum. Ergo. — *Respondeo:* Sunt una et sola essentia, *Dist. mai. Ut sic*, aut *universaliter* concepta, *Neg. mai.* Sunt *haec una et sola essentia creaturae*, *Subd. mai. Abstracta* aut *possibilis*, *Neg. mai. Realis et actualis*, *Conc. mai. — Contrad. min.* Essentia *ut sic* aut *universaliter* concepta, in ratione essentiae, non est ens

Obiectio.

Responsio.

potentiale etc. *Transeat min.* Haec una et sola essentia creaturae non est etc. *Subd. min. Abstracta* aut *possibilis*, rursus *Transeat min. Realis et actualis, Neg. min.* Et, sub datis distinctionibus, *Neg. consequentiam.* In creato ente realis identitas inter actualem essentiam et esse non dat unam solam essentiam, ut sic, aut ex vi mentalis praecisionis analogica universalitate conceptam; neque dat hanc unam et solam essentiam creatam possibilem aut abstractam praecisione mentis ab iis omnibus, quae creatae essentiae individuae competunt; sed dat essentiam realem et concretam cum iis omnibus, quae ipsam individuant. Itaque haec essentia *una* et *sola* dici potest, quatenus *unum* et *solum* excludunt pluralitatem essentiarum; non autem quatenus *unum* et *solum* excludunt quidquid ipsa formaliter essentia non est. Hisce positis, in minori *transmissum* est, utrum essentia, ut sic, aut essentia analogica universalitate concepta, dicenda necne sit ens potentiale, contingens etc.; quia essentia, ut sic, aut analogica universalitate concepta etsi primo et per se stat pro essentia increata, iuxta philosophema: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori analogato;* tamen secundario stat etiam pro quacumque essentia creata, et sic pro illo gradu abstractionis proprie praescindit, utrum sit ens potentiale aut actuale, contingens aut necessarium etc. Rursum haec una essentia creata aut creaturae, v. g. hominis aut lapidis, considerata ut possibilis et abstracta a conditionibus individuantibus, quidquid de ipsa dicendum sit, cum non inspiciatur in statu concreto actualitatis realitatisque, praeterlabitur praesentem quaestionem, et sic secundum etiam membrum distinctionis fuit *transmittendum.* At essentia concreta realisque, ac porro τῷ *esse* realiter identica, secundum realitatem ipsius essentiae, ex se est ens potentiale, contingens, ab alio, et consequenter limitatum, uti probatum et declaratum est; et, si actualitatem habet, id non est ex se, sed ex actione causae producentis. Quapropter tertium distinctionis membrum iure fuit negatum; iure negata sub distinctionibus consequentia.

Declaratur responsio.

Quo sensu essentia actualis et esse ipsi identicum sunt *una* et *sola* essentia.

Obiectio altera.

83. *Dices adhuc:* Essentia realiter τῷ *esse* identica *se sola* exsistit. Essentia autem *se sola* exsistens non est ens potentiale, contingens, ab alio, limitatum, sed est ens actuale, necessarium, a se, illimitatum. Ergo.—*Respondeo: Dist. mai.* Exsistit se sola, id est, *sine superaddita alia realitate*, quae probatur non necessaria, *Conc. mai.* Id est, exsistit *ex exigentia* et *necessitate suimet ipsius, et non ex actione causae producentis, Neg. mai.* Et, contradistincta minori, *Neg. consequentiam.* Responsio patet ex omnibus huc usque dictis: ex quibus etiam patet adversarios nonnisi cavillosa proferre verba, quae pro sua sententia realem utilemque nullum exhibent sensum.

Responsio.

Non ex distinctione entis creati ab increato.

Primo.

Secundo.

84. Ad haec: — γ) Ut ens creatum ab increato ente realiter distinguatur, oppido sufficit ut creatum ens non exsistat nisi ex vi et productione increati entis; hoc enim solo dato, ens creatum est verus realis effectus increati entis, quod proinde est eiusdem causa: realis autem causa realis effectus realiter distinguitur a suo effectu, uti notum est. Praeterea data reali dependentia creati

entis ab increato quoad exsistentiam, uti in hoc realiter essentialiterque dabuntur perfectiones omnes, quae creatori sunt propriae; ita in illo imperfectiones omnes creaturae, et distantia infinita in essendo exsistendoque a creatore. Atqui realis identitas inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque non impedit, quominus creatum ens non exsistat nisi dependenter, seu vi et productione increati entis, uti abunde in superioribus probatum et defensum est. Ergo realis identitas inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque non impedit, quominus creatum ens ab increato ente realiter distinguatur, ac proinde illa realis distinctio ex hoc capite non est necessaria. *Declaratur et probatur adhuc minor.* Realis identitas inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque tunc impediret quominus creatum ens exsisteret ex vi et productione increati entis, quando actualis essentia creati entis quoad ipsam suam realem entitatem esset a se, et non esset ex vi et productione increati entis; si enim ipsa quoad suam realitatem est ex vi et productione increati entis, quidquid ipsa sibi realiter identificat, erit ex vi et productione increati entis. At omnino contra est, uti adversarii ipsi, cum quibus disputamus, apertissime fatentur. Ergo. Confirmatur.

85. Quid huic argumento obiici possit, nisi pantheistico more creatam essentiam aut creatum esse confundamus cum divina essentia aut divino esse, revera non video. Quae enim de creatis rerum essentiis Em. Card. Zigliara falso prorsus commentus est, in superioribus clarissime fuerunt disiecta. Solum subdi posse videtur quod ait P. Liberatore in haec verba: « Excessus simplicitatis, qui divinae naturae competit respectu entium creatorum, persuadere videtur partem affirmativam »[1], nimirum realem distinctionem. Aliis verbis: Si non daretur realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse, creatum ens, quoad simplicitatem, non sufficienter distingueretur a Deo. At debet distingui. Ergo. — Porro responsio facilis est, negatur nimirum maior. Excessus enim simplicitatis in Deo prae creaturis omnibus habetur ex eo, quod in ipso non solum nulla datur realis compositio, sed nec etiam ulla ratio composita et, si de perfectionibus absolutis loquamur, quarum una est simplicitas, omnes sunt una purissima essentia et ex exigentia et necessitate essentiae sunt omnes; dum in creaturis non solum dantur plures rationes compositae et plures etiam reales compositiones, aliae tamen a compositione actualis essentiae et esse; sed, quod caput est, quae in eis perfectiones sunt, neque sunt omnes essentia, cum plures sint mera accidentia; neque quae essentia sunt, ex exigentia et necessitate essentiae actu sunt reales, sed tales sunt ex vi causae producentis. Quod si, quia non datur in Deo realis compositio inter actualem essentiam et esse, ius esset inferendi eam dari in creaturis, ut excessum simplicitatis in eo agnoscamus, ius etiam esset inferendi non dari in creaturis perfectiones illas omnes saltem absolutas, Em. Zigliara. P. Liberatore. Declaratur.

[1] P. Liberatore, *Op. et loc. saepe laud.*

quae dantur in Deo; et sic creaturae, praesertim aliquae v. g. rationales, ad nihilum redigentur; cum contra in creaturis ideo perfectiones hae aut illae aliquo modo sunt, quia perfectissimo modo, nimirum ex vi suae essentiae et absque defectu omni et limitatione, in Deo sunt. Excessus ergo simplicitatis, quem comminiscitur P. Liberatore, est arbitrarius.

Non ex necessaria distinctione inter entia creata. Demonstratur.

86. Tandem: — δ) Ut unum creatum ens specie numerove a creatis aliis entibus distinguatur, id certe requiritur, ut quae conveniunt genere per differentiam specificam ad aliam et aliam speciem contrahantur; quae vero conveniunt specie, contrahantur ad hoc aut illud individuum per differentiam individualem. At etiam negata reali distinctione, et data reali identitate inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque, quae conveniunt genere possunt per differentiam specificam ad aliam et aliam speciem contrahi; quae vero conveniunt specie, per differentiam individualem possunt ad aliud contrahi individuum. *Possunt contrahi ad aliam et aliam speciem;* quia differentia specifica pertinet ad ipsam essentiam, et essentiae competit, qua essentiae, non solum pro statu realitatis, sed etiam pro statu possibilitatis: unde essentiae rerum creatarum, etiam ut possibiles, specie differunt. *Possunt species reales contrahi ad alia et alia individua;* quia differentiae individuales, ut diximus et ab adversariis non negatur, vel non consistunt in ipso esse, vel non in solo esse, vel etiamsi in solo esse, hoc nisi *unum* pantheistico modo in omnibus dicatur, quod certe ab adversariorum mente longe abest, quamvis eorum aliqui ita aliquando videantur loqui, ut ex superioribus patet, illam differentiam non excludet; et si unum dicitur per abstractionem mentis, differentiae individuali certe non officiet, uti unitas abstracta naturae communis non officit individuali naturarum realium differentiae. Ergo.

Creaturae, etiam non data adversariorum distinctione, possunt contrahi ad diversas species.

Et ad alia et alia individua.

Obiectio.

87. *Dices:* Si ipsum esse realiter non differt ab actuali essentia; ergo ipsum esse est de ratione actualis essentiae. Atqui si hoc, nequeunt dari neque plures species sub uno genere, neque plura individua sub una specie; quia singularitas, quae vel ipso esse constituitur, vel ipsum esse comitatur, cum universalia a parte rei omnino repugnent, erit de ipsa ratione generica et specifica rei cuiusque: ad eum modum, quo in Deo repugnant tum plures species deitatis, tum plura individua eiusdem naturae. Ergo.

Responsio prior.

88. *Respondeo:* 1.° *Neg. sequelam mai.* Ex reali solum identitate actualis essentiae et esse non sequitur τὸ *esse*, et consequenter singularitatem, esse de ratione aut generica aut specifica rei cuiusque, uti abunde ex superioribus patet. Illa enim realis identitas non excludit, ut essentia debeat produci, ut sit. Esse ergo, ac proinde singularitas non est de eius ratione neque generica, neque specifica, sed simpliciter est extra rationem essentiae, utut sit cum reali essentia realiter identicum. — *Respondeo:* 2.° *Dist. sequelam.* Esse est de ratione essentiae, *qua essentiae, Neg. seq. Qua realis, Conc. seq.* Cum essentia, ut realis seu actualis sit et esse habeat, requirat ut agentis actione producatur, sequitur τὸ *esse* in ipsa

Responsio altera.

non pertinere ad rationem essentiae, ut essentiae; secus ex vi essentiae haberetur, et non ex vi productionis; nec esset aliquid *quodammodo* posterius ipsa secundum rationem essentiae inspecta, sed esset simul et semper cum ipsa, utpote eius constitutivum. At si essentia spectetur ut actualis aut realis, certe ipsum esse est de ratione *realitatis* essentiae, cum aliud nihil probetur esse et sit, nisi ipsa essentia realis, quatenus est extra nihilum et extra causas, aliquid in rerum natura. Ex hoc autem quod esse est de realitate essentiae, fit ut etiam singularitas sit de essentiae realitate, et consequenter essentiae reales non possunt esse nisi singulares. Atque hinc clarius et facilius intelligitur cur repugnent universalia a parte rei; quod in alia sententia difficilius intelligitur: unde Em. quidam Scriptor, eius propugnator, in hoc, ut vidimus, humani aliquid passus est.

Ex identitate essentiae et esse facilius intelligitur, quare universalia a parte rei repugnent.

89. *Prob. 2.ª min. pars.* Realis distinctionis necessitas inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque *ex parte scientiae nostrae* derivaretur ex eo, quod, negata tali distinctione assertaque identitate, vel: — α) non possent haberi principia sive analytica, sive synthetica; vel: — β) experientiae facta; vel: — γ) ratiocinandi normae aut leges; vel denique: — δ) scientifica methodus. Atqui haec omnia haberi possunt independenter ab illa quaestione, imo etiam quaestione illa in sensum negantem resoluta, uti facto ipso evidenter constat. Neque enim qui opinationem illam totis nervis aversantur, scientia destituuntur; neque qui opinationem illam sectantur, hoc solo, meliores sunt Philosophi aut Theologi; imo qui ab illa opinatione reliqua faciunt pendula, uti adversariorum quidam aliquando dixerunt, abs dubio scientiae detrahunt, cum in opinione, quae per se dubia est et falsitate potest turpari, scientiam quae evidentia aut certitudine gaudeat opus est, ultimo fundent. Atque hinc factum est, ut recentissimi quidam scientiae Tractatores sic tractatus aliquos theologicos concinnarint ut, si una illa negetur opinio, tractatus totus, ut mihi sapiens quidam verissime dixit Archiepiscopus, partium studio nullo modo abreptus, tractatus totus *de Incarnatione* corruat necesse sit.

Prob. 2ª min. pars. Undenam necessitas distinctionis realis derivaretur ex parte scientiae nostrae.

Facto constat, etiam negata distinctione reali, haberi omnia requisita ad scientiam nostram.

90. *Declaratur breviter singillatim minor.* — α) Principia analytica scientiarum efflorescunt ex ipsa abstractarum idearum consideratione et comparatione, quatenus hinc mens videt praedicatum esse de ratione subiecti aut in subiecti ratione contineri, uti habetur in principio *contradictionis*, *causalitatis*, *ordinis*, ac ceteris eiusmodi axiomatis: principia vero synthetica habentur, quatenus observationi convenientique experientiae applicatur principium causalitatis, ex quo infertur effectum aliquem naturae naturalive entis proprietati aut constanti Dei legi esse tribuendum, ne sine causa sit; atque inde semper et ubique, modo talis natura, proprietas naturalis, lex sit, habere locum concluditur. Sic dicimus: *Omnis ignis adurit — Aer gravis est — Corpora deorsum feruntur* etc. Atqui utriusque principii genus haberi potest praescindendo ab illa distinctione, imo eadem etiam negata. *Potest haberi primum;* quia principia analytica praescindunt a contingenti facto rerum creata-

Sine reali adversariorum distinctione haberi possunt principia scientifica.

Haberi possunt principia analytica.

rum, et in essentiis etiam mere possibilibus necessariam immutabilemque habent veritatem. *Potest haberi alterum;* quia quod enti alicui exsistenti haec sit natura aut proprietas naturalis, aut haec constituta providentiae lex non pendet a reali distinctione actualem inter essentiam et esse; sed ab intrinsecis constitutivis, quae ob realem oppositam identitatem, uti saepius in superioribus probatum est, non mutantur, et ab actione causae producentis, et vel a connaturalibus rerum exigentiis, vel a libera conditoris voluntate, qui in infinita sua sapientia infinitas alias potuit habere rationes, quare sic potius, quam alio modo naturae leges disposuerit. Certe quod creatum ens aliquod, primi agentis productione supposita, actualitatem habeat sua propria realitate, vel realitate alia realiter distincta, quae nonnisi solam meramque actualitatem conferat, uti de sua exsistentia, ex parte rei non necessaria, docent adversarii; id enimvero nullam in creato ente fundare potest exigentiam, quae specialem aliquam legem praeter eam, quam connaturaliter realis natura postulat, sibi vindicet. Igitur cum, illa etiam negata distinctione et opposita identitate asserta, realis haec natura semper haberetur; ex huius connaturalibus exigentiis et libera conditoris sapientique voluntate constantes hae haberi possunt naturae leges, quae nobis pro scientia nostra principia synthetica constabiliendi ius tribuant.

Haberi possunt synthetica.

Haberi possunt experientiae facta.

Ex sensibus et ex conscientia.

91. Tum: — β) haberi possunt *experientiae facta.* Sive enim realiter bina illa distinguantur, sive non, experientiae facta seu phaenomena sensibus et conscientia immediate attinguntur, quorum illa distinctio identitasve obiectum proprie non sunt. Haberi ergo possunt pro scientia nostra, independenter ab illa quaestione, experientiae facta aut phaenomena.

Haberi possunt ratiocinandi leges.

92. Item: — γ) haberi possunt *ratiocinandi leges aut normae.* Hae enim sunt vel: *Dictum de omni — Dictum de nullo*, nimirum: Quod universaliter de aliquo affirmatur vel negatur, affirmari vel negari etiam debet, eadem ratione, de iis omnibus, quae sub universali illo continentur; vel: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, secundum quod videlicet uni illi tertio eadem sunt: quod alterum principium norunt Theologi quomodo in mysteriis praesertim SS. Trinitatis et Incarnationis convenienter adhibeatur. Ex his autem principiis sponte fluunt regulae illae octo syllogismi simplicis, tum praeterea regulae syllogismorum compositorum, quarum Dialectici meminerunt. Atqui illa principia optime haberi possunt non supposita, imo negata etiam illa distinctione reali assertaque opposita reali identitate. Ergo. — *Prob. min.* Illa principia sunt leges ipsius rationis, quas naturalis ratio sufficienter evoluta confuso quodam modo facillime adinvenit, et naturae ductu adhibet in facilioribus illis ratiocinationibus, quae sine arte fiunt; uti v. g. Cleophas, unus ex discipulis illis, qui ibant Emmaus, dixit Domino: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa his diebus?* [1]: ubi apertissime supponebat non potuisse

Ratiocinandi leges sunt leges ipsius rationis, quas naturae ductu sponte adhibet.

[1] *Luc. 24, 18.*

unum ignorare quod omnes norant. — Praeterea si inspiciantur notiones, quibus conflantur, illae independentes sunt prorsus ab illa quaestione: Sit necne in entibus creatis actualis essentia ab eorum exsistentia realiter distincta: si inspiciantur res, in quibus mediate diiudicandis mens nostra illas sequitur normas, illae non sunt solum entia creata exsistentia, sed et mere possibilia, et ipsum etiam ens increatum, in quibus nullo modo obtinet illa distinctio: si demum inspiciatur ratio, quare quae de aliquo universaliter affirmantur vel negantur, affirmari vel negari possint et debeant eodem pacto de omnibus particularibus sub illo contentis, haec certe non est, quod in entibus creatis actualis essentia ab eorum esse realiter distinguitur; sed est, quod particulare, secundum id quod affirmatur vel negatur, in universali continetur ipsique est identicum; seu illud ipsum, quod affirmatur vel negatur, in utroque extremo identicum est vel secus, et ex vi termini medii *a priori* vel *a posteriori* patet illa convenientia vel discrepantia: quae omnia, asserta vel negata reali identitate inter actualem essentiam exsistentiamque creatorum entium, possunt haberi. Ergo haberi etiam possunt supremae rationis leges ad mediata iudicia recte proferenda.

Notiones, quibus constant ratiocinandi leges, independentes sunt ab illa distinctione.

93. *Dices:* Non data reali distinctione inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque et utriusque asserta identitate, dari nequit, saltem pro nobis ab ente exsistente ad possibile, et a particulari ac concreto ad universale et abstractum ascendentibus, ipsum universale; quia, reali illa distinctione non data, iam esse, quod singularitatem secum necessario affert, esset de essentia creati entis, quod proinde necessario deberet considerari singulare, et non posset universali notione efferri. At si non posset dari universale, saltem pro scientia nostra, illae ratiocinandi supremae leges essent nullae. Ergo. Itaque cum, natura ipsa duce, leges illas humana ratio sequatur, natura ipsa quodammodo edocemur creati entis inter actualem essentiam exsistentiamque realem dari distinctionem.

Obiectio.

94. *Respondeo: Neg. mai.* et *rationem additam.* Concessa vero minori, *Neg. primam* et *alteram consequentiam.* Etiamsi cognitio nostra a sensu ortum ducat, et sub hoc respectu ab exsistente ad possibile et a particulari ad universale gradiamur; num prima nostra intellectualis cognitio in naturali rationis evolutione universalis sit, an sit singularis, in quaestione est. Damus libenter adversariis universalem esse, non singularem. Quod si quis singularem velit esse, non disputabimus: pro praesenti quaestione necesse non est. Quod nunc attinet, certum est, sive primo sive secundo, nos universalibus notionibus et ipsius universalis notione potiri. Eruntne falsae istae notiones, illa reali distinctione non admissa, ita ut in cognitione saltem scientifica iisdem iure uti non possimus? Minime gentium. Realis identitas non impedit abstractionem veramque rei abstractae notionem. Unum et idem lac albedine perfunditur et dulcedine. Nos autem, mente alterutra praecisa, alteram vere consideramus, eiusque proprias vel notas, vel

Responsio.

Declaratur.

Seponuntur quaestiones aliquae.

Illustratur veritas.

passiones, vel attributiones vestigamus. Naturam communem secernimus a differentia individuali, quae probabilius a natura communi realiter non distinguitur: abstrahimus a differentia specifica, et genericam solum rationem, vel secus, vestigationi subiicimus; et tamen hae certo inter sese non realiter distinguuntur. Quin in ipso Deo saltem inadaequate unam perfectionem seorsim ab alia praecisione mentis perscrutamur, cum tamen illae non solum realiter, sed etiam formaliter inter sese identicae sint, et purissima essentia sint. Quare ergo non possemus creati entis abstrahere quidditatem, si haec solummodo realiter, non autem essentialiter, ipsi actuali essentiae identica sit? Quia, inquiunt, tunc exsistentia esset de ratione essentiae, et haec esset necessario singularis, nec posset vere considerari ut universalis. Verum hoc oppido falsum est, uti pluries in superioribus probavimus. Ceterum etiamsi hoc daremus, hinc ad summum sequeretur non posse nos *univocam* notionem universalem, ea in hypothesi, abstrahendo informare; non sequeretur neque posse informare *analogicam*, uti in universali analogica notione entis et aliorum transcendentalium apertissime patet. Porro haec universalitas etiam analogica *per se* sufficeret ad supremas illas rationis normas intelligendas, et ad systema scientificum de determinato obiecto construendum, uti ex scientia *de ente*, seu ex Ontologia intelligitur.

Haberi potest scientifica methodus.

95. Tandem: — δ) haberi potest *scientifica methodus*. Uti communiter docent qui de methodo peregerunt, methodus in scientiis nihil est aliud, nisi: *Ordo in variis mentis operationibus servatus ad scientiam de re qualibet adipiscendam*. Methodus alia dicitur

Quid methodus?

Analytica.

Analytica, quatenus analysi aut resolutione usa, a singularibus et compositis exorsa ad generales veritates et ad compositi totiusve partes vel quasi partes vestigandas digreditur: alia dicitur *Synthetica*, quatenus synthesin compositionemve adhibens, ab universalibus et simplicioribus aut partibus, aut elementis, aut rationibus profecta ad singularia et composita ad totumque demum pervenit. Utraque methodus iure potest usurpari sive in veritatibus singulis vestigandis tradendisve, sive in toto aliquo systemate scientifico exstruendo. Habetur enim in utroque casu: *Ratio prioris et posterioris inter plura*, seu: *Dispositio plurium secundum rationem aliquam*, in qua dispositione ipsius ordinis propria notio continetur.

Synthetica.

Quaenam inveniendae tradendaeve veritati conveniat magis.

Et quamvis inveniendae veritati analysis, tradendae aliis synthesis regulariter congruat magis; tamen aliquando tum in singulis veritatibus sive inveniendis sive tradendis, tum in toto systemate praestat alteram prae altera potius adhibere. Sic in singulis veritatibus revelatis sive vestigandis sive tradendis analytica potius utimur methodo, quatenus, constabilito dogmate ex Dei verbo, ad eius rectam intelligentiam capiendam per partes vel quasi partes digredimur: in toto systemate theologico synthetica prorsus via progredimur, quamvis in hac aut illa parte analysin etiam adhibeamus: cuius rei mirabile exemplum est in *Summa Theologica* Doctoris Angelici, et specialissimo modo in *Tractatu de Trinitate*. Idem habetur in Philosophia: Cosmologia et Anthropologia melius

Scientificae methodi exemplum mirabile in Summa Theologica D. Thomae.

analytica, partes aliae potius synthetica concinnantur traduntur que methodo, quamvis non semel in partibus singulis ab una ad aliam methodum pro rei claritatisve opportunitate recurrendum sit.

96. Haec nobis adversariisque, cum quibus disputamus, communia sunt. Qui plura cupit de *Methodo*, adeat P. Kleutgen [1]. Ex his autem facillime infertur realem illam distinctionem, quam adversarii comminiscuntur, ad methodum in scientia servandam nullo modo requiri. Ut enim methodus seu ordo in scientia habeatur, satis est ut possint haberi plura, quae secundum rationem aliquam disponantur iuxta prius et posterius. Utrumque autem hoc potest haberi, sive data sive non data aut etiam negata illa reali distinctione. Nam cum realis identitas actualem inter creati entis essentiam exsistentiamque non impediat neque possit impedire, quominus mens aut adaequata aut saltem inadaequata praecisione possit secundum veritatem informare de re qualibet notiones varias abstractas, sive univocas sive saltem analogicas, et has cum notionibus aliis conferre, et secundum determinatam aliquam rationem disponere, puta v. g. secundum varium abstractionis gradum, aut secundum proximas ultimasve causas; et hoc, sive *a priori*, sive *a posteriori* pro diversitate rerum procedendo; habebit in quavis apta materia tum plura, tum rationem aliquam ea secundum prius et posterius disponendi, poteritque ordinem aut methodum in veritate sive invenienda sive tradenda servare, scientiaque potiri. Realis ergo illa distinctio inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque ad methodum in scientia habendam necessaria non est. Numquid non methodice procedimus in scientia *De Deo*, in quo tamen non solum realis sed etiam formalis adaequata inter essentiam et esse datur identitas?

Infertur ex dicti distinctionem rea lem adversariorun ad scientificam me thodum non re quiri.

97. Sed *inquiunt:* Esto, haberi universim scientia possit, reali illa distinctione non data, aut etiam negata; illa tamen non data, demonstrationes plures scientificae ad creatorum entium praecipuas rationes proprietatesve ostendendas, quales praeprimis sunt potentialitas, contingentia, abalietas etc., et demonstrationes plures, quibus divinae perfectiones constabiliuntur, non poterunt haberi; corruent saltem demonstrationes illae omnes, quas ex reali distinctione inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque eruit Angelicus Doctor. Iis autem sive divinis perfectionibus, sive creatorum entium rationibus non constabilitis, nihil de vera scientia, praesertim rationali, de facto supererit.

Obiectio.

98. *Respondeo:* Concedo equidem, si sine illa reali distinctione divinae perfectiones praecipuaeque rationes entium creatorum non possent scientifice seu demonstrando constabiliri, scientias omnes, praesertim rationales, de facto ruituras: nego vero distinctionem illam in illum finem esse necessariam. Et praetermissis iis, quae de D. Thoma dicuntur (de ipso subinde specialissimo modo habenda est disputatio), quam falsum sit, quod oggerunt adversarii, non

Responsio.

[1] Kleutgen, *La Filosofia antica esposta e difesa, vol. 3. Tratt. 5. c. 1.*

solum intelligitur ex iis, quae in tota hac 2.ª Sectione dicta sunt; sed clarissime patet etiam facto. Neque enim solum Philosophi aut Theologi sunt, qui illam tuentur distinctionem; neque soli, aut saltem melius, probant supremas illas veritates, uti collatis hinc inde operibus unicuique potest constare. Imo si quid hac in re discriminis est, illud demum est, quod nos, in veritatibus illis adstruendis, principiis certis rationibusque utimur haud controversis; adversarii saepe fere unice fidunt suae illi reali distinctioni quae, demus non esse falsam, est saltem dubia, et certitudinem toti demonstrationi necessario aufert. Imprudens, ut minimum dicam et alias notavimus [1], huiusmodi processus est ratio. Nequit igitur ad veram et propriam scientiam concinnandam requiri.

II.

Realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse rationi non congruit.

Probatur.

99. *Prob.* Ex sententia, quam impugnamus, in quolibet creato ente exsistente, ut *exsistente*, Angelo, homine, bruto, lapide, agnoscenda sunt: — α) vera aliqua realitas, aut actualis essentia, quae sit potentia physica subiectiva aut passiva: — β) alia *re* distincta realitas seu exsistentia, quae sit physicus actus illius physicae potentiae: — γ) realis informatio unioque huius actus cum illa potentia: — δ) physicum aut reale compositum ex illa physica potentia et ex illo physico actu, quod sit ens, aut exsistens, qua *exsistens*. Atqui haec rationi non congruunt. Ergo ipsa sententia, aut realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse rationi non congruit.

In sententia, quam impugnamus, quot agnoscenda in quolibet exsistente creato, *ut exsistente*.

Non congruunt rationi.

Probatur generatim

100. *Prob. min. generatim.* Si vera esset sententia, quam impugnamus, illa quatuor dari deberent non solum in quolibet substantiali exsistente *totali*, sed etiam in qualibet eius parte, utique suo modo, sive haec pars *essentialis* sit, sive *integralis*, et sive haec sit *entitativa*, sive *quantitativa*, seu sua quantitate instructa: deberent praeterea dari in quolibet *accidente*, sive hoc *absolutum*, sive sit solum *modale*, in quolibet genere *realium*, saltem *intrinsecorum* accidentium; cum enim accidentia extrinseca aut extrinsecae denominationes non habeant realitatem distinctam a forma in alio exsistente, ratione cuius denominantur, et ab actu quo denominantur; quod dicitur de istis, de illis denominationibus etiam intelligitur. Ratio vero est quod quamvis, certo loquendi modo, partes dicantur exsistere exsistentia totius, et accidens exsistentia subiecti, et aliquando etiam materia exsistentia aut esse animae rationalis per sese exsistentis et inadaequate subsistentis; quo loquendi modo significamus exsistentiam connaturaliter non deberi *parti*, sed *toti*, non *accidenti*, sed *subiecto*, non *materiae*, sed *animae rationali* et *homini*, quae praecipue seu primo et per se a

---

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino*, *In 1.am p.em D. Thomae*, *Disp. 1. q. 7. n. 189. seqq.*

natura intenduntur; unde haec simpliciter fieri aut creari dicuntur, illa autem fieri simul, aut *in* et *cum subiecto*, aut concreari; tamen cum partes, qua partes, et accidentia, qua accidentia, et materia, qua materia, extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas sint, sint aliquid in rerum natura, etiam ipsa, qua talia, suo modo exsistere dicenda sunt. Et plane partes substantiae inorganicae v. g. cum a toto separantur et desinunt formaliter esse partes integrantes, abs dubio exsistunt; exsistunt praeterea eadem accidentia, dum divinitus separata a subiecto conservantur; exsisterent accidentia, si primitus ad modum substantiae per creationem esse reciperent. Tum ratio *essentiae*, τοῦ *esse* et *entis* transcendentalis est, et de qualibet vera re, quae aliquid est in rerum natura analogice quidem, vere tamen potest praedicari. Atqui non congruit rationi, ut in illis omnibus et singulis illa quatuor revera dentur, cum id fere in infinitum entitates distinctas realiter multiplicaret, realiterque componeret absque ullo indicio neque physicae productionis, neque oppositionis relativae, neque separabilitatis *a posteriori;* absque ulla *a priori* necessitate; imo, si auctoritatem praescindimus, absque ulla prorsus solida probatione, ut factis huc usque demonstrationibus ostensum evidenter est. Ergo.

Probatur speciatim

101. *Prob. eadem min. speciatim:* — α) *Non congruit rationi vera aliqua realitas, aut actualis essentia, quae sit sola potentia physica subiectiva, aut passiva.* Eiusmodi vera realitas, aut actualis essentia, vel *actualis* dicitur ab ipso actu exsistentiae quatenus, cum nullum habeat actum entitativum, sed secundum suam entitatem sit mera potentia subiectiva, ab actu exsistentiae habet, ut *actu* sit et *actualis*, ut vult P. Liberatore scribens: « Duplici modo aliquid dici potest *actuale:* vel quia actus est, vel quia informatur ab actu. Ergo non repugnat ut essentia actu sit, et tamen distinguatur realiter ab exsistentia; nam actu erit per exsistentiam, a qua completur; non per seipsam, quasi ipsamet sit actus, a quo actualis denominatur »[1]: quae verba repetit et adprobat Em. Card. Zigliara[2]; vel dicitur *actualis* entitativo essentiae actu, quo ab essentia mere possibili distinguitur, quamvis potentia physica subiectiva sit respectu exsistentiae, uti contendunt iidem auctores, et alii cum ipsis. Sequitur enim P. Liberatore eodem loco: « Quod si omnino ipsa per se dici velit actualis, id intelligi poterit per comparationem ad essentiam possibilem, quae dicit potentiam mere obiectivam, et respectu cuius essentia realis et producta considerari potest ut actus, licet sit potentia respectu exsistentiae ». Ac rursum: « Essentia realis producta dicit potentiam non obiectivam, sed subiectivam, quae exsistentiam recipit tanquam actum, a quo completur in linea entis ». Neutrum dici potest.

Non congruit, ut es sentia sit physic potentia.

P. Liberatore.

Em. Card. Zigliara

102. *Prob. min.* Nequit dici 1um. Si essentia actualis de se esset mera et pura potentia passiva, et actualis denominaretur ab actu

Essentia, quae a tualis diceretur a actu exsistentia merum ex se et pu rum nihilum.

[1] Liberatore, *Op. et loc. laud. I. II.*
[2] Em. Card. Zigliara, *Op. et loc. laud. VI.*

exsistentiae, de se esset merum et purum nihil; potentia enim passiva, qua potentia, est non-ens, et consequenter mera et pura potentia est merum et purum non ens, seu merum et purum nihil. At rationi non congruit, ut merum et purum nihil realiter informetur reali actu, a se distincto, atque ab hoc realis aut actualis denominetur, et per compositionem realem constituat ens reale, uti evidens videtur. Ergo. — Sed supponamus potentiam illam habere de se aliquam realitatem. Ex hac hypothesi de se haberet aliquam realitatem; ex eo vero quod dicitur mera et pura potentia, realitatem haberet nullam. Esset proinde simul sub eodem respectu reale ens et reale non-ens, seu ens contradictorium. Non congruit autem rationi, ut ens aut aliquid contradictorium informetur reali actu a se distincto, et actuale denominetur, et per realem compositionem constituat compositum reale, ut patet. Ergo — Demus tandem illud nihil informari utcumque actu et constitui actuale. Potentia proinde illa subiectiva aut passiva, quae dicitur actualis essentia, constitueretur intrinsece actualis aut realis in ratione essentiae ipso actu exsistentiae. Ergo 1.° nec esset, nec esse posset realiter ab actu exsistentiae realiter distincta, cum nihil possit realiter distingui ab eo, a quo intrinsece constituitur, quatenus intrinsece constituitur: sic homo cum intrinsece constituatur anima et corpore, ut unitis, non distinguitur, neque distingui potest realiter ab anima et corpore, ut unitis. Si igitur essentia constituitur intrinsece realis aut actualis ipso actu exsistentiae, quo iure, qua ratione dicunt adversarii ipsam ab actu exsistentiae realiter distingui? Nonne haec pugnant? — Ergo: 2.° Si, iuxta primam illam responsionem, actualis essentia et exsistentia realiter sunt identicae, vel iuxta alia principia adversariorum, exsistentia evaderet praedicatum quidditativum essentiae actualis, et consequenter haec essentia esset per se seu ex vi sui subsistens, a se, necessaria etc.; vel, si haec non admittunt, falsum est eorum principium, ex sola identitate reali, iam *esse* evadere praedicatum quidditativum essentiae, et hanc esse ens essentialiter subsistens, a se, necessarium, infinitum simpliciter etc. Age ista omnia vel absolute, vel iuxta principia adversariorum, certissime rationi non congruunt.

Hypothesis prima.

Infertur contradictio.

Hypothesis alia.

Illatio prior contra adversarios.

Illatio altera.

Essentia, quae ex se haberet actualitatem essentiae

Si universalis, inferret universalia a parte rei.

Si particularis, absurde dicitur mera potentia.

Probatur multipliciter.

103. *Nequit dici 2.um* Essentia, quae ex se dicitur habere actualitatem realitatemque essentiae, et sic ex se distingui realiter negative a nihilo et mere possibili, vel ponitur universalis, uti in superioribus eam vidimus constituentem Em.um Card.em Pecci, vel ponitur singularis. Si 1.um; ergo dantur universalia formaliter a parte rei, cum omnibus aliis absurdis, quae adversarii nostri in hac materia certissime nobiscum oderunt. Si 2.um; contra rationem ponitur hanc essentiam singularem actualem aut realem esse puram et meram potentiam subiectivam respectu actus exsistentiae; tum quia sine ratione ponitur, uti probatum est, ac proinde contra rationem saltem scientificam; tum quia ponitur contra rationem, ut sic, quia in re ponitur simul mera potentia et non mera potentia respectu exsistentiae, ponitur exsistens simul et

non exsistens. Enimvero illa essentia actione causae efficientis producta, realis, singularis, ac proinde a ceteris aliis individuis entitatibus distincta, necessario esset ex se essentia *extra nihilum*, *extra possibilitatem*, *extra causas*, *aliquid in rerum natura*, ac proinde revera exsistens, ac simul, quia exsistentiam non haberet ex adversariorum doctrina, esset mera potentia subiectiva respectu exsistentiae; quia vero ipsi omnia competunt, quae exsistentiae propria sunt eique tanquam formales effectus tribuuntur, non esset mera potentia subiectiva respectu exsistentiae. Esset igitur necessario aliquid contradictorium.

104. *Dices:* Essentiae, quae de se actualis esset actualitate essentiae, non competunt effectus formales omnes, qui exsistentiae tribuuntur; imo nullus competit, prout exsistentiae tribuitur. Concidunt ergo contradictiones omnes in argumento notatae. *Prob. ant.* Essentia, quantumvis de se actualis dicatur, non informata actu exsistentiae, non esset *extra causam formalem*, quae est ipsa exsistentia, ac proinde neque esset simpliciter extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas, aliquid in rerum natura. Atqui ex vi exsistentiae est etiam extra causam formalem, et consequenter simpliciter extra alia. Ergo ex sola actualitate essentiae, nec formales omnes exsistentiae effectus actuali competunt essentiae; nec qui aliquo modo competunt, ipsi competunt, prout exsistentiae tribuuntur. Quare si essentiae actuali, ratione suae actualitatis, aliquod esse competit, eiusmodi esse non est ratum et completum, sed *viale* quodammodo et *incompletum*, exsistentiae proinde actu necessario complendum [1]. Obiectio.

105. *Respondeo generatim:* Qui sic obiiciunt, primum dicendi modum nuper exhibitum vel relinquunt, vel etiam reiiciunt, atque hercle rectissime. Uterque enim simul sine manifesta contradictione nequit usurpari. Qui enim dicit essentiam actualem habere actualitatem essentiae ab actu exsistentiae, dicit essentiam actualem ex se esse purum nihil in ordine realitatis: addendo vero ex se habere actualitatem essentiae, additur eam esse ex se aliquid in ordine realitatis. Quare si simul ista dicuntur, dicitur essentia habere simul et non habere ex se actualitatem essentiae, esse simul et non esse aliquid in ordine realitatis. Haec autem manifeste contradictoria sunt, nec a mente cognoscente revera dici possunt et, si aliquando dicuntur, abs dubio proferuntur verba, uti aliquando S. Anselmus in re sua loquutus est: « Aut sine ulla, aut cum aliqua extranea significatione » [2]. Quod si disiunctive illa accipienda sunt, unum ex membris, ac certe ob evidentem absurditatem primum relinquitur: secundum vero ab incommodis illatis non eximitur, nec subnexa adversariorum speculatione liberatur. Responsio generalis.

---

[1] Goudin, *Philosophia iuxta inconcussa, tutissimaque D. Thomae dogmata, tom. 4. Metaph. q. 1. a. 1. Instantia post obi. 1.am* — Card. de Aguirre, *Physica, Disp. 10. Sect. 3. n. 27.*

[2] S. Anselmus, *Proslogion, c. 4.*

Responsio specialis.

106. *Respondeo igitur speciatim. Neg. ant.* et *consequens.* Ad *Ant.* probationem, *Dist. mai.* Essentia actualis non esset extra causam formalem etc. *Metaphysicam, Neg. mai. Physicam, Conc. mai.* sed *Neg. suppositum*, quod nimirum detur vel etiam dari possit respectu essentiae actualis causa formalis physica, quae sit ipsum esse ab essentia actuali realiter distinctum. Cum enim ex demonstratione indirecta constet talem actum physicum aut physicam formalem causam ab adversariis non probari, constet insuper non esse necessariam; mox demum probabitur rationi non congruere, imo etiam repugnare; suppositum illud nullo modo potest admitti, et consequenter tota adversariorum evanescit speculatio, et argumentum a nobis factum suo stat pondere. Ex vi autem suae realitatis essentia actualis est etiam extra suam causam formalem *metaphysicam*, atque adeo simpliciter ac plene extra omnes suas causas; quia ipsa sua realitate, qua distinguitur realiter negative a puro nihilo ac mere possibili, et aliquid est in rerum natura, nobis fundamentum praebet concipiendi eius esse tanquam formam, qua actuatur, realitatemque illam nanciscitur. Esse igitur illud, quo essentia actualis ex vi suae productionis, realitatis, singularitatis instruitur, sine fundamento et falso dicitur esse realiter incompletum et *viale*, cum sit quoad omnes formales exsistentiae effectus omnino completum et ratum, quemadmodum ex allatis probationibus satis intelligitur, atque ex afferendis adhuc plenius intelligetur. Quapropter dum adversarii esse *incompletum et viale* in medium proferunt, verba proferunt vel sine ulla, vel cum extranea aliqua significatione.

Declaratur.

Confirmatur et magis declaratur responsio.

107. Quod insuper sic declarari potest. Illud incompletum et viale esse essentiae compleretur τῷ esse exsistentiae, quod adversarii adstruunt, vel quatenus hoc in illo reciperetur tanquam realis actus in reali potentia; vel quatenus utrumque esse reciperetur in essentia ipsa, alter quidem metaphysice et secundum rationem, alter physice et realiter, et sic non per compositionem proprie dictam, sed per quandam quasi additionem et compositionem impropriam illud esse viale et incompletum compleret; vel quatenus, adveniente esse exsistentiae, illud esse viale et incompletum desineret, et solum esse exsistentiae permaneret; non videtur aliud dici posse. Si 1.um; ergo esse exsistentiae non est simplicissimum, uti iactant adversarii, sed realiter compositum ex potentia et actu; non est aliquid in sua ratione completum, sed in ipsa ratione τοῦ esse incompletum et pars, cui proinde, qua tali, adscribi nequeunt simpliciter formales exsistentiae effectus, quos tamen τῷ esse exsistentiae una nobiscum adversarii communiter adscribunt. Ergo τῷ *esse*, ut sic, prout praescindit ab esse essentiae et esse exsistentiae, non repugnat ratio potentiae; et haec ratio esset essentialis τῷ esse essentiae: superest igitur adversariis probandum, quare creato ipsi esse exsistentiae omnis ratio potentialitatis repugnet, nisi velint etiam ex hoc capite aliqua eorum principia, quae ut vidimus aliunde nutant, adversariorum ictibus esse obnoxia. Quod enim dicunt τῷ esse exsistentiae potentialitatem

Triplex sensus τοῦ *esse vialis*.

Excluditur primus.

omnem repugnare, quia purus actus est, vel quia primus aut ultimus actus est, rem non adstruit. Nam utrum esse exsistentiae sit *purus actus* nullam passus potentialitem in quaestionem vocatur. Non potest ergo probari ex eo, quod est purus actus, ne idem per idem probetur. — Quod vero *primus actus* dicatur, quacumque ratione dicatur, potentialitem omnem non excludit. Ratio enim primi actus substantivi in forma substantiali non excludit ab ipsa omnem potentialitatem, uti adversarii conveniunt. Quare ergo ratio *primi* in actu exsistentiae illam excludit? Nonne potius, si primus actus est, ad secundum aliquem alium actum recipiendum, sive hic sit actio, quae pressius dicitur actus secundus, sive sit alia forma accidentalis modusve qui, cum post primum adveniant, secundus aut tertius actus quodammodo dici possunt, potest passivam aliquam potentialitatem retinere, cum ex se sit limitatus ac proinde imperfectus? — Quod demum *ultimus* dicatur, cum non dicatur nec dici possit *ultimus* secundum omnem rationem, eo ipso quod creatus est; sed necessario ultimus dici debet secundum aliquam rationem, secundum nimirum suam propriam potentiam vel physicam vel metaphysicam, quae ad ipsum in ratione exsistendi *ultimo* ordinatur; non excludit, nisi oppositum probetur, quominus ipse, qui sub illa ratione ultimus actus est, sub alia ratione, ob suam imperfectionem, passivam potentialitatem admittat. Sic anima rationalis est primus et ultimus actus formalis substantialis hominis, et tamen sub aliis respectibus passivam retinet potentialitatem. — Si 2.um; ergo nec sic esse exsistentiae esset simplicissimum, sed esset, contra, quasi partibus integralibus compositum. Tum falsum esset illud adversariorum, quod essentia realiter sibi identificans exsistentiam non posset, ne quidem quatenus essentia est, alia v. g. accidentia recipere; cum, in hac hypothesi, essentia inadaequate sibi identificans exsistentiam, qua essentia est, aliam quasi partem reciperet exsistentiae. Ad haec, nec illud verum esse sequitur exsistentiam, si realiter identica sit essentiae, praedicatum evadere quidditativum, et inferre quod essentia ex vi sui subsistens sit, a se sit, sit necessaria, simpliciter infinita etc. Si enim ex inadaequata identitate ista non sequerentur, quare sequerentur ex adaequata? Ad summum, si per se illa sequerentur, ex inadaequata identitate deberent sequi saltem inadaequate, et essentia creata deberet esse inadaequate per se subsistens et non per se subsistens, a se et ab alio, necessaria et non necessaria etc., quae absurda sunt. — Si 3.um; ergo ens reale, cum, desinente actualitate aut realitate essentiae, essentia ipsa illi τῷ *esse* identica realiter deberet desinere, constaret solo esse exsistentiae; et, si hoc esse unum et aequale in omnibus diceretur, uti in superioribus aliquos loquentes audivimus, non solum entia exsistentia nullam haberent essentiam, sed omnia essent unum et idem illo sensu, quo auctores illi loquebantur. Mitto reliqua. Haec satis sunt superque ad illius esse *vialis incompletique* absurditatem demonstrandam.

Existentia actus purus.

Actus primus.

Actus ultimus an potentialitatem omnem excludat?

Excluditur alter sensus.

Excluditur sensus tertius.

108. In creato ente aut exsistente: — β) *non congruit rationi*,

Non congruit esse, quod sit physicus actus.

Probatur primo ex principiis adversariorum.

praeter actualem essentiam, alia realiter distincta realitas, aut exsistentia, quae sit physicus actus illius physicae potentiae. Illud esse aut exsistentia, quae ab adversariis adstruitur tanquam entitas realiter distincta ab actuali essentia, huiusque physicus actus, vel habet suam propriam essentiam actualem, vel non. Neutrum congruit rationi. Si enim non habet suam actualem quidditatem, est simpliciter nihil, nec potest esse entitas realiter distincta ab actuali essentia, nec physicus actus; essentia enim est: *Id, quo res est id, quod est*, atque porro quod essentiam non habet, non habet id, quo res est, id quod est, seu est purum nihil. Si vero dicitur habere suam actualem quidditatem, uti dicendum est et dicunt adversarii, quaero: Num haec exsistentiae ipsius actualis quidditas exsistat seipsa, an alia exsistentia a se realiter distincta. Non certe alia exsistentia a se realiter distincta, ne instauretur quaestio, et in infinitum sit abeundum. Ergo actualis quidditas exsistentiae, praecise quia exsistentia est et formalis exsistendi ratio, si daretur, iuxta vera rationis principia dici deberet seipsa exsistere. Id autem, nisi suis principiis nuntium remittant, dicere nequeunt adversarii. Ipsi enim quod *esse* non est de conceptu essentiae, ut sic, in creatis, et creata essentia est de se indifferens ut sit, vel non sit, inferunt ipsum *esse* debere realiter distingui ab essentia actuali. Rursum quod ponunt ex reali identitate ipsum esse evadere praedicatum quidditativum, ac porro efficere, ut essentia creata sit ens per se subsistens, a se, necessarium, infinitum etc., rursum deducunt suam realem distinctionem. Atqui haec omnia locum habent in ipsa exsistentia, prout ab adversariis adstruitur ab actuali essentia distincta. Ergo vel illa principia neganda sunt, seu non sunt principia probantia, vel admittendum est quod rationi repugnat et ipsi adversarii non admittunt, actualem nimirum essentiam exsistentiae exsistere ex vi τοῦ *esse* ab ipsa realiter distincti. *Prob. min.* Si *esse* non est de conceptu essentiae, ut sic, in creatis; *esse actu* seu *actu exsistere* in creatis neque est de conceptu quidditatis exsistentiae, ut sic, secus exsistentia, ut sic, ex vi sui, seu a se, necessario, infinite etc. actu exsisteret; cum tamen exsistentia creata quandoque sit, quandoque non sit; et, dum est, ex actione causae efficientis est, et contingenter ac limitate est. Unde exsistentia creata de se indifferens est, ut actu sit vel non sit. Ergo vel eius actuali quidditati addi debet esse realiter distinctum, ut actu sit; vel ex eo quod essentia actualis quaelibet non includat in suo essentiali conceptu actualem exsistentiam, et de se sit indifferens ut exsistat vel non exsistat, non sequitur ipsam debere exsistere per esse realiter ab ipsa distinctum. Ergo ex hac parte principia adversariorum non sunt probantia, sed sunt simpliciter reiicienda, ut actualis essentia exsistentiae, dum est, seipsa dicatur esse. — Praeterea si actualis essentia exsistentiae creatae seipsa seu per esse sibi realiter identicum, dum actu est, exsistit, vel realis identitas actualis essentiae et esse non efficit, ut actuale esse evadat praedicatum quidditativum et cetera absurda inferat, et sic in nulla actuali essentia

Adversarii, nisi nuntium suis principiis remittant, dicere nequeunt exsistentiam seipsa exsistere.

Ostenditur.

Primo.

Secundo.

id efficiet, uti nos dicimus, atque adeo concidunt omnia adversariorum principia et argumenta, saltem *a priori;* vel id necessario efficit, et tunc ipsi non possunt dicere actualem quidditatem ipsius exsistentiae seipsa exsistere; dicerent enim *actuale esse* evadere praedicatum quidditativum exsistentiae creatae, et hanc esse ens per se subsistens aut exsistens, a se, necessarium, infinitum simpliciter etc. Itaque aut adversarii debent respuere sua principia et argumenta, aut non possunt dicere exsistentiam creatam, dum est, seipsa exsistere, ut ratio postulat et ipsi revera dicunt [1].

Obiectio ex Caietano.

109. *Obiicit* Caietanus: « Falsum est quod esse sit indifferens ad esse et ad non esse..... Nihil enim est indifferens ad aliqua duo, quorum alterum sibi determinat in definitione. Constat autem quod esse est de intellectu esse » [2]. — Tum ingens discrimen est, inquiunt, inter actualem quidditatem ipsius esse, et actualem quidditatem entium aut exsistentium creatorum. Eorum enim actualis essentia in ipsis exsistit ut *quod;* actualis autem essentia *ipsius esse* in *ipso esse* exsistit ut *quo*. Causa autem formalis non est talis aliâ formâ, sed seipsa, uti actio, quae est ipsa formalis causalitas, non causatur alia actione, sed seipsa; et unio, quae rursum est formalis causa, non unitur alia unione, sed seipsa; et anima non animatur alia anima, sed seipsa, et sic de ceteris. Contra vero essentia actualis in aliis entibus aut exsistentibus est ipsa, quae concrete exsistit, seu est ipsius suppositum, Angelus, homo etc., quod exsistentia, tanquam formali causa, debet exsistere et exsistit. Angelus ergo, homo etc., etiam ut essentia actualis est, indifferens per se est ad exsistendum, vel non; sed ipsa exsistentia non est per se indifferens ad exsistendum, et eo ipso quod, ut *quo*, ipsi competit exsistere, non dat ens per se subsistens, a se, necessarium, infinitum simpliciter etc., uti daret quaecumque alia essentia actualis creati entis, si exsistentia sibi realiter identificata exsisteret. Ergo non opus est reiicere alia principia et argumenta, ut dicatur actualis essentia exsistentiae seipsa exsistere.

Ex aliis.

Responsio ad argumentum Caietani.

110. *Respondeo* ad Caietani argumentum. *Dist. assertum.* Falsum est quod esse creatum sit indifferens *ad esse actu* vel *non esse actu*, *Neg. assert.* Falsum est quod esse creatum sit indifferens *ad esse actu, vel potentia*, *Conc. assert.* Esse creatum, antequam crearetur, non erat; et, postquam creatum est, sic est actu, ut possit actu non esse, et in pluribus aliquando non erit actu. Ergo quoad actualitatem et essendi exercitium actuale indifferens est. Utique esse non potest concipi, quin concipiatur essendi exercitium, sed tamen aut potentiale aut actuale, prout ipsum esse actuale aut potentiale est. Hoc alterum pertinet ad creati esse naturam et in definitione est: prius illud nec ad creati esse naturam pertinet, nec in definitione ponitur. Itaque si essendi actualitas creato esse, ut sic, est indifferens, iuxta adversariorum prin-

Declaratur.

---

[1] Zigliara, *Op. et loc. nuper laud. — Obiectio sexta.*

[2] Caietanus, De Ente et Essentia, c. 5. *quaest. 11. Responsio ad 1um argum. Antonii Trombetae.*

cipia, realiter distincta actualitate fieri debet actuale; aut si hoc non sequitur, ex indifferentia essentiae, ut sic, ut actualis sit, vel non, neque sequitur actualem fieri debere actualitate realiter distincta. Aut ergo adversarii suis principiis debent nuntium remittere; aut non possunt dicere exsistentiae actualem essentiam seipsa exsistere; sed debent dicere, ex vi principiorum, exsistentiae actualem essentiam distincta realiter exsistentia exsistere et in infinitum abire.

Responsio ad argumentum aliorum. Quid concedendum?

111: *Respondeo ad aliud:* Universim non negamus, imo agnoscimus omnino in pluribus discrimen esse inter causas formales, et subiecta, quae iis formantur, praecipuumque esse quod causae formales seipsis sunt, quod sunt; dum contra subiecta sunt haec aut talia causis formalibus sive substantialibus, sive accidentalibus. Hoc bene in obiectione probatur, et a nobis admittitur, imo in argumento nostro fuit expresse admissum. Quaestio est: Utrum adversarii, retentis aut non reiectis suis principiis, possint hoc dicere, si illa principia constent: an vero, ut hoc dicant, et quidem vere, sua principia seu argumenta non debent esse principia et argumenta, et consequenter sunt reiicienda, utpote inepta ad probandam realem distinctionem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque. Utrumque vellent ipsi retinere: nos ex ipsius exsistentiae actuali essentia, quam dicunt ipsi et diceremus nos, si exsistentia realiter distincta in creato ente daretur, suae exsistentiae realiter identicam, ostendimus *ad hominem* bina illa non posse simul componi. Vel enim in exsistentia realiter distincta principia illa ex adversariorum contentione deficiunt; vel, si non deficiunt, teneri ipsos ex rationis iuribus ad dicendum actualem essentiam ipsius exsistentiae realiter distincto *esse* exsistere, et abire in infinitum. Quamnam enim discriminis rationem afferunt ad argumentum nostrum infirmandum? Nimirum rationem *formalis partis* aut *elementi*, quae competit exsistentiae, quae proinde dicitur exsistere ut *quo formali*, dum actualis essentia aliorum entium exsistit ut *subiectum* et concrete ut *quod*. Hoc autem discrimen in praesenti quaestione nullius est momenti. Ratio enim *partis* excludit a se praedicata comitantia et consequentia totum, non excludit autem praedicata necessario convenientia parti totique: ratio vero *formalis partis* excludit praedicata materiae, qua tali, convenientia, non autem excludit *per se* praedicata a materiali et formali praescindentia, quae possunt utrique convenire. Iam exsistentia, uti monuimus et inferius clariori ratione patebit, suo modo convenit parti et toti, materiae et formae. Quae proinde spectant ad exsistentiae (atque idem est de essentia) rationem, proportionaliter certe, sed necessario debent parti totique, materiae et formae convenire. Itaque si essentia actualis aliorum entium quia aliquando est, aliquando non est, ac proinde est indifferens ad exsistendum, consequenter debet exsistere exsistentia realiter distincta; quia actualis essentia exsistentiae aliquando est, aliquando non est, et idcirco est indifferens ad hoc ut actu sit vel non sit, consequenter etiam debet actu esse exsistentia realiter distincta; vel si hoc non necessario sequitur ex illo principio,

In quo sit quaestio?

Discrimen ab adversariis invocatum.

In praesenti non valet. Quare.

neque necessario sequitur illud prius. Item si ex *esse* realiter actuali essentiae identico, sequitur ipsum reale esse evadere praedicatum quidditativum, et efficere ut creatum ens sit ens per se subsistens, a se, necessarium, infinitum simpliciter etc.; pari iure ex actuali esse, actuali essentiae ipsius exsistentiae realiter identico, sequeretur actuale esse evadere praedicatum quidditativum ipsius exsistentiae, et hanc reddere ens, utut partiale, tamen per se subsistens, a se, necessarium, infinitum simpliciter etc. Ergo adversarii, in suis principiis, vel nequeunt dicere exsistentiam seipsa exsistere, et tenentur absurde abire in infinitum; vel tenentur reiicere sua principia, ac fateri ex illis non sequi, ut in creato ente actualis essentia ab esse realiter distinguatur.

112. Sed enim illud esse realiter distinctum non solum rationi non congruit, imo absurdum videtur in adversariorum principiis; sed tale est etiam absolute et in se. Et probo. Illud esse realiter distinctum vel esset unum et idem et commune omnibus creatis entibus, uti adversarios aliquos audivimus in superioribus loquentes; vel non, sed esset in distinctis entibus distinctum et multiplex, ac proprium privumque singulis, uti minus incongrue alii volunt adversarii. Neutrum rationi congruit, imo utrumque videtur absurdum. *Non congruit 1.um*, imo est certo absurdum. Namque illud esse vel unum et commune creatis omnibus dicitur entibus unitate et communitate reali, ac proinde univoca, vel unitate et communitate logica, ac porro analogica. Nequit dici 1.um, quin apertissime realis pantheismus adstruatur. Illud enim *esse* non posset esse, nisi divinum, cum nullum creatum ens unam illam realemque communitatem syncatagorematice infinitam posset habere, quae ex infinita simpliciter ac categorematice essendi perfectione, fatentibus omnibus, solum potest derivari. Nequit dici 2.um. Illud enim *esse* logice unum et commune vel diceretur intrinsece constituere entia creata, et haberemus pantheismum idealem, aut certe idealismum ac nullismum; vel diceretur unum et commune per abstractionem mentis cum fundamento in esse singulorum entium proprio; et huiusmodi *esse*, obiective loquendo, non realiter positive, sed realiter negative solummodo uti distinguitur a reali esse, sic distinguitur a reali essentia. Ceterum illud esse abstractum haberi potest, etiamsi reale *esse* actuali essentiae realiter sit identicum; uti haberi potest natura communis abstracta a differentia individuali sibi realiter identica. Ergo *esse* unum et idem et commune omnibus creatis entibus realiter ab actuali essentia distinctum rationi non congruit, imo videtur absurdum.

Probatur secundo absolute.

τὸ esse realiter distinctum nequit esse unum et commune omnibus realiter, quin Pantheismus adstruatur.

Nequit esse commune logice, quin adstruatur idealismus aut nullismus, si intrinsecum dicatur.

Si vero sit commune extrinsecum, non realiter positive, sed solum negative ab essentia necessario distingueretur.

113. *Non congruit 2.um*. — *Esse* realiter ab actuali essentia distinctum, sed in se multiplex et realiter item distinctum ab aliis τοῖς *esse*, quorum singulum proprium privumque esset singulis entibus aut exsistentibus, vel in singulis differret toto genere proprie dicto, id est, univoco; vel differret specifice, seu specifica differentia; vel differret numerice, ita ut quodque esset stricte singulare. Nihil horum dici potest. Non 1.um, uti adversarii ipsi conveniunt, tum quia secus genera proprie dicta multiplicarentur

Nequit esse multiplex et privum singulis entibus

Probatur.

in infinitum, quod inauditum est; tum quia genus proprie dictum in uno solo individuo nequit haberi, cum genus, utpote universale, debeat esse unum aptum inesse multis et praedicari de multis secundum eandem rationem obiectivam; tum quia, uti aliquando D. Thomas arguit: « Non est possibile in genere esse, quod in nulla specie est »[1], aut esse potest. Mox autem patebit τὸ *esse* in nulla specie esse posse. — Non 2.um; tum quia τὸ *esse* non habet differentias extra rationem genericam; tum quia secus non esset simplicissimum, sed compositum ex genere et differentia, nec descenderet ad inferiora per expressiorem solummodo conceptum, sed per proprias differentias: nec etiam de hoc dubitant adversarii. — Non 3.um. Nam singulum *esse* in se prorsus et necessario singulare, ex adversariis deberet simul esse formalis ratio et causa effectus quidditative omnibus omnino τοῖς *esse* communis. At non congruit rationi, ut causae formales necessario singulares, et sic aliae ab aliis secundum suam propriam rationem distinctae, imo stricte diversae, producant unum et eundem effectum quidditative omnibus communem; quia causa formalis causat per sui communicationem, ac proinde si singulae sunt quidditative distinctae aut diversae, distinctum diversumque, non unum eundemque quidditative causare possunt effectum. Ergo. — *Prob. mai.* Formalis effectus τοῦ *esse*, qua talis, est facere rem quamlibet *extra nihilum*, *extra possibilitatem*, *extra causas*, *aliquid in rerum natura*. Hic autem effectus est quidditative idem in omnibus omnino entibus aut exsistentibus, cum in meram negationem resolvatur, quae per se non admittit hoc et illud, magis et minus, nec tale, nec quale. Et patet. Esse enim extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas, aliquid in rerum natura, est *non esse in nihilo*, *non esse in meris possibilibus*, *non esse in suis causis*, *non esse nihil in rerum natura*. Haec autem meram negationem innuunt, nec requirunt propriam ac formalem causam positivam distinctam, ac minus multo diversam, ut habeantur; qualibet enim data reali positione excluditur nihilum ipsi oppositum; et vicissim, quolibet dato nihilo excluditur eius adversa positio. Ergo.

Obiectio. 114. *Dices:* Utique *esse extra nihilum* etc. meram innuit negationem; tamen *esse extra hoc nihilum* etc. sin minus directe, saltem indirecte distinguitur *ab esse extra aliud nihilum* etc. Iam si illud prius analogica ratione commune est, hoc alterum proprium est et distinctum. Ergo singulare esse, atque adeo ab aliis distinctum diversumque, non eundem quidditative, nisi forte analogica quadam ratione, formalem effectum habet; sed alium et alium quidditative distinctum diversumque, prout hoc, aut illud nihilum excludit. — Eo vel magis, quod *hoc esse hoc item nihilum* etc. excludit, suam essentiae communicando actualitatem. Haec autem sua actualitas est distincta, imo diversa ab alia. Ergo effectum formalem primarium non negativum et quidditative communem, sed

Augetur.

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 7. a. 3. ad 2um.*

positivum et proprium distinctumque ab aliis revera causat. — Adde quod, quorundam de sententia, esse substantiale non solum causat per sui communicationem actualitatem quamlibet, sed causat actualitatem substantialem, vi cuius essentia *per se* sit *extra nihilum* etc., dum contra accidens non est connaturaliter nisi in subiecto, et non ipsum proprie est, sed potius ipso subiectum est, seu hoc aut illud esse accidentale habet. Falsum igitur est τὸ *esse* unum et eundem effectum quidditativum negativumque in omnibus causare. Roboratur.

115. *Respondeo:* Ad 1um. *Esse extra hoc nihilum* indirecte distinguitur ab *esse extra aliud nihilum*, *Dist. mai. Ratione ipsius nihili, extra quod est, Neg. mai. Ratione rei aut quidditatis, quae extra nihilum est*, *Conc. mai.* Ex hoc autem habetur, quod distincta et alia sit res, quae extra nihilum est, non autem ipsum esse extra nihilum. Nihilum, cum sit non ens, nullam de se habet aut potest habere rationem, qua ab alio nihilo distinguatur. Si autem nos aliquando distinguimus, id est ratione rei, quae nihilum excludit, et quam nihilum removet. Tota igitur distinctio, quae habetur, non est in formali effectu τοῦ *esse*, quod est *facere extra nihilum*, sed est in reali essentia, quae extra nihilum fit. Ex quo sequitur illud esse realiter distinctum *inutiliter poni*, cum realis aut actualis essentia seipâ nihilum excludat; *poni inepte*, quia ponitur formalis causa distincta, quae formalem nullum distinctum haberet effectum. Responsio ad obiectionem principem.

116. Ad 2um. *Hoc esse* excludit *hoc nihilum* suam essentiae communicando actualitatem, *Dist. mai. Fictam, Conc. mai. Realem, Neg. mai.* Esse creatum, quod sit positiva et realis actualitas, ac mera actualitas, verbo nostro efferri ac mente hoc ipsum verbum concipiente fingi potest, reale quid esse non potest. Praeter enim quam quod illa assertio nullo modo probatur, nec res est necessaria, uti in superioribus ostensum est; illud esse, cum ponatur ceu realis, positiva ac mera actualitas, ponitur abs dubio ceu realis, positiva ac mera perfectio. Si est pura et mera perfectio, et quidem in nullo genere, in nulla specie, non exigit limitationem ex se nec, iuxta adversariorum principia[1], potest a producente limitari. Deberet proinde esse aliquid ex se et natura prius quam in essentia reciperetur ipsique uniretur, aliquid simpliciter illimitatum, et natura simul ac reciperetur, tunc demum deberet limitari. Et qua limitatione, bone Deus, limitaretur? Ea nimirum qua, cum natura prius esset illimitatum in perfectione, natura posterius redigeretur ad hoc, ut sit mera et sola actualitas nullam specialem perfectionem dicens, et solum conferens actualitatem. Nimirum: *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.* Quid enim est haec actualitas, si non est ipsum *extra nihilum*, *extra possibilitatem* etc.? Si aliud est, aliquid aliud debet ponere in ente. Adversarii autem volunt nihil aliud omnino ponere, nec Ad 1am confirmationem.

[1] P. Remer, *Metaph. Gen. q. 1. § 3. Prob. 3.*

cogitari dicique potest quid ponat. Est igitur ficta, non realis actualitas.

Ad 2am confirmationem. Respondetur primo.

117. Ad 3um. De sententia illorum Doctorum, qui volunt actualitatem substantialem communicare substantiae *per se esse extra nihilum*, cum accidenti vel nulla sit actualitas praeter subiecti actualitatem; vel, si qua sit, ea non ipsum accidens, sed subiectum tali vel tali modo esse; dicimus 1.° eam paucorum esse. Opponimus ergo ipsi omnium fere aliorum Doctorum auctoritatem, qui non *per se esse*, sed *simpliciter esse extra nihilum* etc. exsistentiae tribuunt. Secundo Dicimus 2.° eam falsam esse non solum quia accidenti suam negat exsistentiam, cum evidenter, si reale sit, et ipsum per seipsum sit *extra nihilum . . . et aliquid in rerum natura*, tum quando in subiecto est, tum quando a subiecto separatum divinitus conservatur; sed etiam quia τῷ *esse* substantiae, ut sic, tribuit perseitatem. Perseitas enim non requiritur, ut aliquid etiam substantiale intelligatur *formaliter esse extra nihilum* etc.; pertinet enim ad quidditatem substantiae, non ad eius actualitatem, ut sic. Quare, uti in praenotandis monuimus, ab aliis ponitur ipsam substantiae actualitatem exsistentiamque praecedere, ab aliis subsequi. Quacumque demum ratione concipiatur, certum nobis est, uti *in Tractatu de Incarnatione*, quem, si Deus dederit, post hoc et alterum opus adornabimus, iuxta rationem et fidei doctrinam ad substantiae perseitatem habendam nec actualitatem aut esse ab actuali eius essentia realiter distinctum requiri; nec requiri modum alium substantialem physicum, sed solummodo metaphysicum; ita ut una et eadem substantialis quidditas actualis, quatenus, posita productione, seipsa *extra nihilum* etc. est, dicatur exsistens: quatenus *totalis* est, ac porro connaturaliter *sibi et in se*, ut in sustentante, et non *in alio*, certe digniori, a quo supernaturaliter assumeretur, dicatur *subsistens* et omnino *per se*, seu ultimo terminata in linea substantiae, nec ad alium connaturaliter ad modum partis ordinabilis, ac proinde connaturaliter incommunicabilis. Sed de his suo loco et tempore.

Ad habendam omnimodam substantiae perseitatem non requiritur neque τὸ *esse* realiter ab essentia distinctum, neque quicumque alius modus physicus.

Non congruit informatio realis unioque τοῦ *esse* cum actuali essentia.

Demonstratur ex dictis.

Confirmatur.

118. Praeterea: — γ) *non congruit rationi realis informatio unioque* τοῦ ESSE *cum essentia actuali.* — *Prob. breviter.* Non congruit rationi realis informatio unioque inter entia contradictoria, aut ficta, aut multimodis absurda, uti evidens est. Atqui probatum iam est actualem essentiam et *esse* creati entis, prout ab adversariis concipiuntur efferunturque, esse entia aut contradictoria, aut ficta, aut multimodis absurda. Ergo. — Supponamus utcumque esse realia entia, utique ut *quibus*. Tunc illa realis unio ex informatione sequuta, cum non possit esse, uti hic suppono et adversarii non possunt negare, sola illorum entium quasi localis contiguitas aut praesentia, nec sola consideratio relativa logica aut moralis, quae extrinsecam quandam parerent denominationem; sed necessario debeat esse modus aliquis physicus aut physica quaedam coaptatio unius ad aliud in intrinseca exsistendi ratione, quia necessario supponit physicam utriusque aut alterutrius extremi mutationem positivam, quae sit fundamentum realis relationis aut

ordinationis unius ad aliud; in aliquo deberet necessario subiectari. Aut ergo in sola actuali essentia, aut in solo esse, aut in utroque; nihil enim aliud datur. Nihil horum dicere possunt adversarii. Et quidem evidenter dicere nequeunt 2.um et 3um. Si enim ea dicerent, iam eorum esse non esset purus et simplex actus nullam includens potentialitatem ab alio actu aut forma actuandam. Includeret enim potentialitatem ad recipiendam formam ipsius unionis, et ab ipsa unione actuandam. Nequeunt dicere 1um. Nam cum essentia actualis et *esse* sint entia ut *quibus*, naturaliter inter sese ordinabilia et ordinata, utrumque debet esse ad aliud ordinatum. Neque enim sola essentia debet naturaliter esse coaptata τῷ *esse*, neque solum *esse* essentiae actuali, cum utrumque intrinsece denominari debeat unitum. In divini Verbi incarnatione substantialis unio recipitur quidem intrinsece in sola natura humana, et hanc denominat intrinsece unitam, quia Verbum nec mutari potest intrinsece, nec connaturaliter ordinari ad naturam humanam, sed hanc ad se ordinat per eius intrinsecam mutationem in ratione subsistendi, sibique supernaturaliter unit solum extrinsece mutato, et a se facit in subsistendo dependentem. At creatum *esse* non est ens simpliciter immutabile, estque praeterea ens connaturaliter ordinabile et, dum fit unio, si fieret, connaturaliter ordinatum ad actualem essentiam. Fieret autem illa naturalis ordinatio actu per realem unionem. In utroque ergo deberet illa unio naturaliter recipi. — Eo vel magis, quod ex vi illius informationis unionisque τὸ *esse* de se intrinsece illimitatum deberet, adversariorum de sententia, intrinsece limitari. Quae limitationis ratio si in se absurda est et reiicienda, uti clare in praeliminaribus demonstravimus, absurdior longe appareret, si τὸ *esse* ex unione cum actuali essentia diceretur manere intrinsece omnino immutatum et illud omnino idem, quod erat natura prius, quam uniretur. Quomodo enim intrinsece limitatum est, quod nulla neque positiva, neque negativa mutatione facta, id est, neque acquisito neque amisso aliquo esse, idem manet?

Realis unio non posset subiectari neque in solo *esse*, neque simul in *esse* et essentia.

Non posset subiectari in actuali essentia *sola*.

Primo.

Declaratur ex unione naturae humanae cum Dei Verbo.

Secundo.

119. *Dices:* Ad habendam realem unionem nulla entitas realis recipi debet in unitis; sed satis est, ut unum uniendorum alteri immediate communicet suam entitatem. Atqui si hoc, nihil debet in ipso esse realiter subiectari, sed solum ipsum esse debet in actuali essentia recipi, ut ab ea limitetur. Ergo.

Obiectio.

120. *Respondeo: Dist. 1.am p.em* Nulla entitas realis *absoluta*, *Conc. 1.am p.em mai. Modalis, Neg. 1.am p.em mai.* Item *Dist. 2.am p.em mai.* Communicet suam entitatem per realem ordinationem coaptationemque unius ad aliud, *Conc. 2.am p.em mai. Secus, Nego.* Et, contradistincta minori, *Neg. consequentiam.* Admittimus certe ad habendam unionem naturalem immediatamque nullam requiri entitatem mediam absolutam, quae, cum ipsa etiam deberet extremis uniri, non solum excluderet unionem immediatam, sed induceret processum unionum in infinitum. At non idem est de entitate modali, quae nihil aliud sit, quam ipsorum uniendorum modificatio quaedam secundum illam rationem, secundum quam de-

Responsio.

Declaratur.

bent uniri. Sine hac realis unio nequit intelligi. Quomodo enim intelligerentur realiter unita, quae in ipsa unione remanerent omnino eadem, ac erant natura prius, quam essent unita? Nimirum, ea in hypothesi, essent simul et non essent realiter unita. Porro modalis entitas, quod non est alia entitas ab entitate rei, sed est rei modificatio seu est modus sic aut aliter se habendi ipsius rei, neque excludit immediatam uniendorum unionem, uti excluderet absoluta; neque infert processum in infinitum, quia ipsa non debet uniri, sed extrema debent formaliter ipsâ uniri. — Quod vero dicitur de communicatione entitatis, intelligitur ex modo dictis illam haberi non posse realiter sine modali aliqua extremorum modificatione. Itaque cum ipsum esse modificari aliquo modo debeat, ut uniatur realiter, haec modificatio in ipso deberet subiectari, eiusque explere passivam potentiam, quam adversarii, contra sua principia, in *ipso suo esse* debent agnoscere. Quod demum addunt de limitatione ipsius esse, iam satis exclusum est.

Non congruit physicum compositum quod sit exsistens *qua exsistens*. Probatur primo.

121. Tandem: — δ) *rationi non congruit physicum aut reale compositum ex illa physica potentia et ex illo physico actu adversariorum, quod sit ens, aut exsistens, qua* EXSISTENS. — Non congruit rationi, ut componentibus, partibus, elementis contradictoriis, aut fictis habeatur reale compositum. Hoc esset, ex dictis, in sententia adversariorum. Ergo. — Praeterea quod habetur componentibus, partibus, elementis realiter distinctis realiterque unitis, non est, iuxta sanam rationem, idem omnino uni componentium, partium, elementorum, sed est ab eo realiter inadaequate distinctum. In sententia autem adversariorum, si utcumque demus quod ipsi dicunt, exsistens esset omnino idem uni elementorum, nimirum actuali essentiae. Et patet. *Quoad essentialia* et entitativa esset omnino idem, uti adversarii fatentur. Idem esset *quoad actualitatem*, quia essentia actualis, uti probatum est, ex se totum habet effectum formalem exsistentiae; et exsistentia superaddita nullum alium formalem adderet effectum, uti iterum ostensum est. Ergo. Itaque, etiamsi daremus non repugnare absolute, uti in causis efficientibus, sic etiam in causis formalibus eiusdem ordinis, ut idem omnino effectus habeatur a duplici causa totali; id tamen certo repugnat connaturaliter, neque in connaturali rerum ordine, qualis est praesens providentiae ordo, generali lege invenitur. —

Secundo.

Tertio.

Tandem repugnat rationi, ut τὸ *esse* realiter distinctum nullam addat sin minus essentiae, qua tali, saltem ipsi in composito perfectionem positivam entitativam. Nam cum ipsum *esse reale* sit aliquod reale ens, ex adversariorum sententia; erit etiam aliqua realis perfectio, quae in aliquo genere et specie, saltem *reductive*, deberet contineri. Quod autem ita est, aliqua etiam realiter entitativa est perfectio, quam in compositum refundat opus est. Atqui, iuxta adversarios, suum *esse* ne quidem in composito actuali essentiae entitativam adderet perfectionem; actualitas enim, quam comminiscuntur, neque entitativa perfectio est, imo neque positiva alia ab actuali essentia, uti probatum est. Ergo.

Obiectio.

122. *Dices:* Ex elementis debet utique redundare aliquid per-

fectionis entitativae in compositum, quando elementa sunt *ex quibus* resultat compositum, non autem quando elementa sunt *cum quibus* habetur compositum; in hoc enim casu elementum formale aut actuale ad hoc solum est, ut elementum materiale aut potentiale suam actu habeat perfectionem entitativam, non ut aliam acquirat. Iam essentia actualis et *esse* sunt elementa non *ex quibus*, sed *cum quibus* habeatur compositum, aut exsistens, qua *exsistens*.— Verum haec verba sunt ad eludendam, non ad solvendam difficultatem. Sive enim *ex quibus*, sive *cum quibus* dicantur elementa; si entia realia sunt, suam realem perfectionem entitativam habeant necesse est. Cum autem realiter in composito sint ipsumque constituant, sua reali perfectione entitativa erunt constituentque compositum. Suam igitur realem perfectionem entitativam quodque debet alteri aut toti composito communicare. Si ergo nullam unum saltem ex his perfectionem entitativam communicat, nullam habet, et non est ens reale, nec reale compositum potest constituere. Hoc autem haberet locum in illo *esse* adversariorum. Nullum ergo reale compositum illud *esse* potest constituere: et dum dicitur quod constituit, in re dicitur quod constituit simul et non constituit, seu dicitur quid contradictorium.

Responsio.

III.

Realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse infert aut ansam praebet absurdis tum theologicis, tum philosophicis.

123. *Prob. 1um.* Ex hac opinatione adversarii inferunt aut ansam sumunt dicendi humanam Christi naturam carere exsistentia propria, et exsistere increata exsistentia aut increato esse ipsius Verbi. Atqui hoc non solum extra et contra D. Thomam dicitur, uti suo loco erit probandum, et sine Patrum et Ecclesiae auctoritate, imo contra eorum sensum, uti satis ostendunt Petavius [1] et Suaresius [2], et nos late probabimus in *Tractatu de Incarnatione;* sed etiam ex se absurdis aliis viam sternit. Enimvero si humana Christi natura exsistit increato Verbi esse, natura aut essentia divina fuisset humanae Christi naturae communicata sub formali ratione naturae; increatum enim Dei *esse* est formalissime ipsa Dei natura aut essentia. Id autem dicere absurdum est prorsus. Communicata enim naturae humanae essentia divina in ratione essentiae, ipsa unio duarum naturarum in Christo facta fuisset in natura, et natura ipsa divina assumpsisset naturam humanam, et quae propria sunt naturae divinae, etiam in abstracto, ad humanitatem pertinerent. Hoc autem esset, una vel alia ratione, renovare haeresim Eutychianam [3], aut certe errorem Ubiquistarum [4]. Sed de hoc plenius infra.

Realis distinctio adversariorum ansam praebet absurdis Theologicis.

Probatur generatim ex mysterio Incarnationis.

Probatur speciatim.

---

[1] Petavius, *De Incarnatione, lib. 5. c. 6.*
[2] Suarez, *In 3am pem D. Thomae, Disp. 36. Sect. 1.*
[3] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 2. a. 1. — q. 3. a. 2.*
[4] Wirceburgenses, *De Incarnatione Dissert. 3. Sect. 3. a. 3.*

124. Quod vero hoc asserere viam sternat absurdis aliis plurimis facile intelligitur; pessumdaretur enim totum Incarnationis mysterium et, inter alia, Pater etiam et Spiritus Sanctus dici deberent incarnati. Placet hic absurda aliqua recensere ipsis Suaresii verbis: « Aiunt, *inquit Eximius Doctor*, illam doctrinam *de reali distinctione actualis essentiae et esse in creatis* esse parum consentaneam principiis fidei. At vero alii graves auctores existimant hanc sententiam fere evidenter sequi ex principiis fidei. Docet enim fides assumpsisse Christum veram et realem humanitatem, non habentem solum esse obiectivum, seu in potentia in suis causis, sed habentem aliquod esse reale et actuale, creatum, extra suas causas. Sed hoc est esse exsistentiae. Ergo assumpsit humanitatem cum aliquo esse exsistentiae. Consequentia evidens est et formalis. Maior autem est certa secundum fidem, quae docet humanitatem Christi esse rem creatam, et a Divino Verbo distinctam, et assumptam in unitatem personae: et ab illa natura habere Christum esse humanum, quod est creatum, et consequenter est actuale et non potentiale tantum. Minor vero in superioribus est demonstrata, et nobis videtur fere evidens ex terminis, si probe intelligantur; quia esse actuale et extra causas nihil aliud est quam **exsistere, uti in superioribus late declaratum est** ».

Ipsis Suaresii verbis

Primum absurdum. Christi humanitas non esset ens creatum.

125. « Quapropter ex opposita sententia sequi videntur haec absurda. Primum, humanitatem non esse ens creatum, quod est aperte falsum. *Probatur sequela:* quia ens dicitur ab *esse*, et constituitur ens actu per *esse*. Ergo si humanitas constituitur ens actu per *esse increatum*, non est ens creatum, sed increatum; sicut quia Christus non constituitur in esse personae per creatam personalitatem, sed per increatam, non est persona creata, sed increata. — Item vel humanitas dicitur ens creatum prout est actu exsistens, vel tantum prout est actu secundum esse essentiae. Primum dici non potest iuxta illam sententiam; quia ponitur humanitas actu exsistens per exsistentiam increatam, unde necesse est ut hoc exsistens, ut sic, vel sit increatum, si formaliter et proprie loquamur, vel certe non pure creatum, sed constans creato et increato. Si vero dicatur secundum, interrogo an illud esse essentiae sit tantum in potentia; et ita non est creatum, sed tantum creabile, et in se revera est nihil, in sua vero causa est ipsa creatrix essentia; vel est esse actuale in se et extra causas, *et* hoc necessario esse debet *esse exsistentiae*, quia exsistere non est aliud, quam actu esse extra causas, et quia creatio formaliter ad exsistere terminatur, ut supra probatum est. Non potest ergo intelligi ens actu pure creatum sine aliquo esse exsistentiae creato ».

Secundum absurdum.

Incarnatio non esset unio assumptioque naturae humanae.

126. « Secundo inferri potest incarnationem non fuisse veram et realem unionem et assumptionem; quia vera unio intercedere non potest, nisi inter realia et actualia entia, quorum unum non habet intrinsece entitatem suam ab alio, quamvis posset unum ab alio pendere; quae omnia in superioribus late declarata sunt. At vero si humanitas Christi solum exsisteret per exsistentiam Verbi,

intrinsece constitueretur in esse actualis entitatis per Verbi exsistentiam ».

Tertium absurdum. Verbum fuisset unitum humanitati in esse essentiae, quod ab aeterno habebat in mente Dei.

127. « Tertio inferri potest Verbum fuisse unitum humanitati in esse essentiae tantum, quod ab aeterno habebat; quia praeter illud esse non habet humanitas aliud, nisi *esse* exsistentiae. Si ergo hoc esse exsistentiae in humanitate Christi non fuit aliud, nisi esse Verbi; ergo illud esse fuit immediate unitum humanitati, quae secundum se aeterna erat. Igitur incarnari nihil aliud fuit, quam aeternam essentiam trahere ad increatum esse Verbi. Haec autem non est incarnatio, sed fictio; quia illa essentia aeterna nihil fuit, nec est assumptibilis secundum id praecise, quod ex se et ex aeternitate habet. Ergo necesse est ut aliquod aliud esse eius ei tribuatur prioritate naturae vel saltem rationis, ut illud esse sit distinctum a subsistentia divina, quae per unionem communicatur ».

Quartum absurdum. Humanitas non haberet effective a Deo capacitatem, ut Verbo uniatur.

128. « Quarto inferri potest ex illa sententia, humanitatem non habere a Deo, per efficientiam eius, proximam capacitatem ut uniatur Verbo: quod est etiam absurdissimum in doctrina fidei. *Sequela patet*, tum quia illa capacitas non est in humanitate secundum aliquod esse exsistentiae, sed tantum secundum esse essentiae aeternum, secundum quod essentia humanitatis non est effective a Deo: tum etiam quia si illa capacitas est in humanitate per actualem efficientiam Dei; ergo exsistit ex vi illius efficientiae; ergo habet aliquam exsistentiam factam et creatam; ergo haec est exsistentia ipsiusmet humanitatis. Et haec ratio etiam probat humanitatem illam prius natura habuisse exsistentiam, quam fuerit unita Verbo, quae non potuit esse nisi exsistentia creata, ut per se constat. Et *sequela patet:* quia illa humanitas prius natura fuit capax unionis, quam actu unita. Proxima autem capacitas non est nisi in entitate iam effecta et exsistente extra causas suas »[1]. Lege quae sequuntur, quamvis aliqua ex iis, quae subdit Eximius Doctor, sint paulo aliter declaranda.

Hujusmodi absurdis impeditur quidem uterque modus, quo ab adversariis dicitur *essentia actualis*, sed maxime ille, quo essentia dicitur actualis ipso exsistentiae actu.

129. Si quis attente consideret absurda eiusmodi corollaria, intelliget profecto iisdem utrumque quidem modum impeti, quo ab adversariis dicitur *actualis* essentia, sed impeti maxime illum, quo *actualis* dicitur essentia non ex se, sed ipso exsistentiae actu. In hac enim hypothesi tota actualitas humanitatis Christi, esse nimirum essentiae et esse exsistentiae, esset simpliciter increatum; et vel unio increati esse cum humanitate fuit simpliciter impossibilis; vel humanitas dicenda esset increato Verbi *esse* unita secundum illud esse aeternum, quod concipitur habere, antequam crearetur, et secundum quod capacitatem nullam proximam ad unionem haberet. Nam vel illud aeternum *esse* esset illud idem, quod habet in Deo, quatenus non est creatura, sed creatrix essentia, et huiusmodi esse est formalissime idem cum *absoluto Verbi esse* et, ut in superioribus diximus et alibi probavimus, est de ratione τοῦ *esse relativi* ipsius Verbi, nec proinde potuit uniri aut

[1] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 12.* § 5.

capacitatem habere, ut ipsi uniatur; vel esset aliquod esse extra Deum, uti veteres quidam, et forsan ipse finxit Scotus, et in *esse* contra rationem et fidem ficto nulla ad realem unionem capacitas, nulla realis unio, ut evidens est, potest admitti.

Absurda ex aliis dogmatibus, ac praesertim ex Eucharistiae Sacramento.

130. Possent ex aliis dogmatibus haud dissimilia inferri absurda, quibus illa opinatio sin minus strictam consequentiam, absque ullo dubio ansam praebuit. Hinc enim, uti in quaestionis propositione ex Card. de Lugo audivimus, processit Banez ad esserendum in Eucharistia, destructa panis substantia, eiusdem panis substantialem exsistentiam manere, aut certe id posse probabiliter defendi. Quod quam intolerandum sit in doctrina catholica, ex *Tractatu de Eucharistia* potest facile intelligi. Ex eodem fonte orta videtur, saltem ex parte, explicatio *Transsubstantiationis*, quam recentissimi quidam Theologi proposuerunt et quae ab admodum R.endo P. Petro Beckx, S. I. Generali Praeposito S. Inquisitionis Congregationi exhibita, *feria IV. die 7. Iulii, 1875.* sequens iudicium nacta est: *Doctrinam transsubstantiationis, prout hic exponitur, tolerari non posse.* Continebatur doctrina illa propositionibus quatuor, quarum III. erat: « Hinc transsubstantiatio, seu conversio totius *substantiae* panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, explicari potest hac ratione, quod corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in Eucharistia, sustentat *naturam panis*, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *substantia*, quia iam non *est in se*, sed *in alio sustentante:* adeoque manet quidem *natura panis*, sed in ea cessat formalis ratio *substantiae;* et ideo non duae sunt substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi » — IV. « Igitur in Eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum IN ALIO SUPERNATURALITER EXSISTENTES rationem substantiae non habent, sed habent rationem *supernaturalis accidentis*, non quasi ad modum naturalium accidentium afficerent corpus Christi, sed eo dumtaxat quod a corpore Christi modo, quo dictum est, sustentantur ».

Banez.

Recentissimi Theologi.

Ansam praebet absurdis Philosophicis.

131. *Prob.* 2um. Iam in superioribus vidimus Philosophos tum veteres, tum recentissimos, et quidem non ex vulgari coetu sed ex primis subselliis, quique non solum animo et voluntate, sed etiam data opera et lucubrationibus typis excussis strenue confutarunt pantheismum sive realem sive idealem, ac porro idealismum ac nullismum, non satis in declaranda propugnandaque, in praesenti quaestione, sua de reali distinctione sententia hos eosdem cavisse errores. Hoc autem certissime nequit eorum imperitiae tribui, sed sententiae ipsi quodammodo est adscribendum. Idque dupliciter, tum nimirum obiective, tum subiective. Et *obiective* quidem, quia si semel distinguatur realiter essentia actualis creati entis ab eius esse, pronum est prorsus ut essentia a parte rei dicatur *universalis*, et ut esse rerum *unum idemque, simplicissimum, universalissimum* dicatur in omnibus: quibus positis, ut vidimus, pantheismus realis aut idealis, ac subinde idealismus aut nullismus quadantenus ponitur. *Subiective* vero, quia cum illa realis distinctio, uti ostensum est, sine probatione sive *a priori* sive *a poste-*

Obiective.

Subiective.

riori ; sine ullo reali indicio; sine ulla necessitate, imo contra omnem rationem tum philosophicam tum theologicam asseratur, non aliter revera asseritur nisi inclinante voluntate et fictione phantasiae. Phantasia vero, praesertim dum voluntate propellitur, ad errandum est valde proclivis. Sed enim, quamvis dici possent alia complura, in his sit modus.

Probatur 2ª pars thesis

Asserta rationis distinctio quamvis non sit tantum rationis ratiocinantis, sed omnino sit rationis ratiocinatae ; non est tamen formaliter adaequata, sed formaliter inadaequata.

Probatur 1um.

132. *Decl.* 1um. — Probavimus huc usque actualem inter essentiam exsistentiamque creati entis non dari realem distinctionem, sed solummodo rationis. Cum autem rationis distinctio esse possit sive rationis mere ratiocinantis, sive rationis ratiocinatae, et haec aut formaliter adaequata, aut formaliter inadaequata, uti priore Sectione declaratum est; hoc nunc breviter definiendum probandumque est. Monemus tamen essentiam dici posse *actualem* aut *reduplicative*, aut *specificative*. Reduplicative quidem, si consideretur *qua actualis*, seu sub ipsa *actualitatis forma* aut *ratione:* specificative autem, si inspiciatur essentia, *quae actualis est*, ast non sub praecisa actualitatis ratione, sed prout *ex vi sui conceptus formalis aut essentialis* ab actualitate praescindit, quamvis eam non neget, imo realiter loquendo et in reali conceptu eam includat. Nos non negamus, si essentia actualis *reduplicative* accipiatur, eam a reali exsistentia nonnisi ratione ratiocinante distingui. Et patet. Nam ea distinguuntur ratione ratiocinante, quorum ratio obiectiva et formalis conceptus sunt identica, quamvis signa et modus, quo significantur, distincta sint. At essentia actualis, qua actualis, et exsistentia realis unam et eandem habent rationem obiectivam, rem nempe exsistentem, ut exsistentem; unum item et eundem conceptum formalem, nimirum considerationem eiusdem essentiae sub ratione actualitatis aut exsistentiae, quae ex dictis sunt idem; signa vero seu nomina essentiae actualis et exsistentiae abs dubio distinguuntur; modus item significandi alius est. Nam in conceptu essentiae actualis per prius significatur essentia, cui quodammodo adiacet actualitas; in conceptu vero exsistentiae per prius consideratur actualitas, quae quodammodo includit essentiam. Ergo. — Hoc cum certum sit, assertio nostra intelligenda est de essentia actuali *specificative* accepta, et in hoc sensu probanda.

Monitum.

Non negamus essentiam actualem, *qua actualem*, nonnisi ratione ratiocinante ab exsistentia distingui.

Ratio.

Negamus id de essentia actuali specificative accepta, seu *quae actualis est.*

133. *Prob.* igitur. Atque quod essentia actualis creati entis, specificative sumpta, eiusque exsistentia distinguuntur ratione ratiocinante, sequitur ex modo dictis. Si enim ita distinguuntur essentia actualis, reduplicative sumpta, et exsistentia; *a fortiori* eodem modo distinguuntur essentia actualis, specificative sumpta, et exsistentia. — Quod vero non hoc solum modo, sed etiam ratione ratiocinata distinguuntur, probatur sic. Ea distinguuntur ratione

Probatur.

ratiocinata quae, quamvis realiter identica sint, differunt tamen formali conceptu et definitione cum fundamento in re. At essentia actualis, specificative accepta, et exsistentia, quamvis realiter identicae sint, uti probatum est; differunt tamen formali conceptu et definitione cum fundamento in re. Essentia enim actualis, specificative accepta actu est: *Id, quo res est id, quod est;* vel: *Id, quo res in determinato genere in determinatave specie constituitur;* dum exsistentia ex sui formali conceptu est: *Id, quo res ponitur extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas, est aliquid in rerum natura.* Hi autem formales conceptus, hae definitiones: — α) evidenter inter sese differunt: — β) efformantur autem cum fundamento in re; quia etiamsi creata res actu sit aut exsistat, exsistentia tamen non est de ratione essentiae: unde creata res non ex vi suae essentiae exsistit, sed exsistit primo quidem ex vi creationis aut productionis, subinde vero ex vi conservationis. Ergo.—

Confirmatur. *Confirmatur.* Exsistentia, ex D. Thoma et communi Theologorum et Philosophorum sensu, se habet ad essentiam actualem specificative acceptam saltem ut actus metaphysicus ad potentiam metaphysicam ex quodam rei fundamento; quatenus essentia ex conceptu suo est aliquid determinabile (potest enim esse possibilis aut exsistens), exsistentia vero est aliquid ipsam ad actualitatem determinans. Quae vero sic se habent, ratione ratiocinata distinguuntur. Ergo.

Declaratur et probatur 2um. 134. *Decl. et prob. 2um.* Quamvis actualitas aut exsistentia non sit de ratione essentiae creatae etiam actualis, specificative sumptae: tamen essentia ipsa est de ratione exsistentiae aut creatae actualitatis. Hoc autem intelligitur, dum dicitur actualis essentia, specificative sumpta, distingui ab exsistentia distinctione rationis ratiocinatae formaliter inadaequata. Ergo. — *Prob. mai.* Nequit concipi actualitas, quae, in suo sane ordine, nihil actuet; sed actualitas, ac proinde exsistentia, qua talis, est necessario alicuius actualitas: uti actio est alicuius effectio. Ergo in sui conceptu intrinsece includit id, quod actuat. Hoc autem idem est ac dicere, in casu nostro, essentiam rei creatae esse de ratione suae actualitatis: quare repugnat ut concipiatur haec actualitas, quin concipiatur haec essentia, quamvis non e converso. — *Con-*

Confirmatur. *firmatur.* Exsistentia in creatis, uti ex omnibus huc usque dictis intelligitur, est modus metaphysicus, quatenus, posita productione, res creata ex eo, quod est extra nihilum et extra causas, concipitur ut actualis aut exsistens. At modus includit in sui conceptu rem modificatam; neque enim aliud est, quam ipsa res sic aut aliter se habens. Ergo.

Obiectio ex De Lugo. 135. « *Dices cum de Lugo:* « Ego, si sermo sit de distinctione rationis ratiocinatae, non agnosco hoc genus distinctionis inter essentiam et exsistentiam. Nam vel comparamus essentiam actualem cum exsistentia actuali; et in hoc sensu clare constat non praescindi essentiam actualem ab exsistentia; essentia enim actualis includit in suo conceptu exsistentiam, alioquin non erit actualis. Vel sermo est de essentia possibili et exsistentia possibili; et in

hoc sensu certum etiam est non distingui ratione ratiocinata. Nam essentia possibilis in suo conceptu claudit exsistentiam possibilem; imo nihil aliud est essentia possibilis, quam quae potest exsistere. Vel denique comparatur essentia possibilis cum exsistentia actuali; et in hoc sensu tam distinguitur essentia ab exsistentia, quam essentia possibilis ab essentia actuali. Non tamen credo hanc esse distinctionem rationis ratiocinatae. Nam, ut supra dictum est, res possibilis et actualis differunt sicut res absolute exsistens et res conditionate exsistens; res enim possibilis est, quae esset talis, si Deus vellet etc. Quis autem dicat futurum conditionatum distingui ratione ratiocinata a futuro absoluto? »[1].

136. *Respondeo: Neg. assertum.* Ad probationem, *Eligo 1um.* Ad rationem additam *Dist.* Essentia actualis includit exsistentiam in suo conceptu *reali*, *Conc. Formali*, *Subd.* Essentia actualis *reduplicative*, seu *qua actualis*, inspecta, *Conc.* Inspecta *specificative*, seu *quae actualis* est, *Nego.* Responsio patet ex omnibus dictis, et ex declaratione et probatione assertionis nostrae. Concedimus autem adversario secundum disiunctivae membrum; sed simul notamus discrimen esse inter essentiam et exsistentiam possibilem, et inter essentiam et exsistentiam actualem. Exsistentia enim possibilis, seu aptitudo ad exsistendum est de ratione essentiae possibilis; cum essentia possibilis talis sit *radicaliter* quidem et *absolute*, quia ex vi notarum, quibus constat, ipsi non repugnat exsistere; *formaliter* vero aut *relative*, quia datur potentia, vi cuius potest transire a non esse ad esse. At actu exsistere non est de ratione essentiae actualis, specificative acceptae; quia haec, dum exsistit, non suis intrinsecis praedicatis debet τὸ exsistere, sed debet actioni agentis ipsam producentis aut conservantis: unde, quantum est de se, indifferenter exsistit et ab exsistendo potest cessare, et in omnibus temporaneis cessat de facto. — Transmittimus autem tertium disiunctionis membrum; quia, ut ipse Auctor recte declarat, non est omnino idem possibile et futurum conditionatum; quia possibile habet ex intrinsecis et essentialibus praedicatis, ut possit exsistere, et hic clauditur possibilis notio: decretum autem Dei respicit exsistentiam actualem, non autem aptitudinalem. Unde res mere possibilis et res exsistens sive absolute, sive sub conditione plus differunt, quam sola ratione ratiocinata, cum differant, aut absolute aut conditionate, distinctione reali negativa aut mixta, tanquam ens et non-ens. Habetur ergo hinc pro ratione fundamentum ad considerandam rei quidditatem, non considerata actuali exsistentia, aut essentiae actualitate, quod ad distinctionem rationis ratiocinatae oppido sufficit.

Responsio.

Differt essentia et exsistentia possibilis ab essentia et exsistentia actuali.

[1] De Lugo, *Opus ined. de Metaphysica, Disp. 2. Sect. 5. Quaeritur quarto.*

Probatur 3.ª pars thesis

Fundamentum distinctionis rationis ratiocinatae inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque FORMALITER *quidem habetur ex ipsa obiectiva ratione essentiae et exsistentiae; radicaliter autem ex creati entis contingentia.*

Declaratur et probatur 1um.

137. *Decl. simul et prob. 1um.* — Si, quamvis una eademque res sint in creato ente actualis essentia et exsistentia, id quod in re respondet formali conceptui essentiae, quae actu est, praescindit ex se ab eo, quod in eadem re respondet formali conceptui exsistentiae, utut non vicissim; fundamentum distinctionis, qua de loquimur, inadaequate quidem, sed formaliter habetur ex ipsa obiectiva ratione essentiae et exsistentiae. Nam cum ea in hypothesi, sin minus res, saltem rationes obiectivae inadaequate distinguantur, possunt menti fundamentum praebere ad eas distinctim concipiendas. Atqui ita est. Revera conceptui essentiae, quae actu est, in re respondent praedicata quidditativa, inter quae, ubi de ente creato sermo est, non connumeratur ipsa exsistentia, uti certo constat: obiectiva autem exsistentiae ratio quamvis essentiam ipsam includat (modus enim rei necessario includit rem modificatam); essentiam tamen includit tanquam id, quod implicite continet, non tanquam id quod explicite praesefert: ad eum fere modum, quo attributa divina absoluta, aut pressius divinae personae in sui ratione essentiam includunt, quamvis ipsae personae non sint de ratione essentiae, ac porro inadaequate secundum rationem formalem distinguantur. Haec autem distinctio pro nobis fundamentum est concipiendi conceptu obiective praecisivo divinam essentiam et personas, ac de ipsis sub hac praecisione distincta aut etiam opposita praedicare: *Pater generat, essentia non generat*, uti alibi cum S. Doctore et Theologis aliis docuimus [1].

Declaratur in divinis.

Declaratur et probatur 2um.

138. *Decl. et prob. 2.um* — Radix aut ratio ultima, quare in creato ente exsistentia non sit de ratione essentiae, est eius contingentia, vi cuius non est ens necessarium, sed est ens, quod esse potest et non esse; atque adeo eget entis necessarii productione et conservatione, ut sit et conservetur, et, hac cessante, desinit esse. Atqui quod exsistentia non est de ratione creati entis proxima ratio est, quare cum fundamento in re in creato ente distinguimus eius exsistentiam ab actuali essentia. Ergo eiusdem contingentia est radix aut ultima ratio, quare cum fundamento in re in creato ente distinguimus eius exsistentiam ab actuali essentia. Atque haec, suppositis dictis, clara sunt.

Universalis collectio.

139. Difficultates, quae contra has ultimas assertiones fieri possent, iam in superioribus fuerunt dissipatae. Interim licet nunc, ex omnibus dictis, illorum omnium solutionem colligere, quae in quaestionis propositione controversiae obnoxia esse constabilivimus. Nimirum probavimus iam: — α) Actualem essentiam exsi-

---

[1] Piccirelli, De Deo Uno et Trino, *In 1.am p.em D. Thomae, Disp. 1. q. 2. n. 149. seqq.*

stentiamque in ente creato non esse duas res, aut rem et modum physicum, sed duas rationes obiectivas unius et eiusdem rei; quatenus essentia actualis significat conceptu praecisivo *rem in actu secundum praedicata quidditativa*, exsistentia *eandem rem in actu secundum eius actualitatem*, seu significat *rei actualitatem, secundum quam intelligitur esse extra nihilum, et extra causas.* Quare:—β) cum essentiae creatae, qua tali, ex vi sui non debeatur actualitas aut exsistentia, sed haec ipsi communicetur ex libera actione agentis, essentiam concipimus *uti potentiam, non quidem physicam*, sed *metaphysicam* aut *intelligibilem;* exsistentiam vero uti *eius actum, non rursus physicum, sed metaphysicum.* Unde ulterius: — γ) concipimus hunc actum recipi in illa potentia, atque exinde haberi *exsistens*, tanquam *ens compositum*, quod consequenter tale est non *physice*, sed *metaphysice*, utpote non ex partibus physicis, sed ex rationibus metaphysicis resultans. Tum: — δ) τὸ *esse*, prout est in singulis entibus, non est *per se* physice *simplicissimum*, sed tale est physice, qualis physice est essentia actualis, quamvis conceptu praecisivo, secundum id quod explicite dicit, *simplicissimum* dici possit; quod proinde in sola consideratione metaphysica locum habet. Item τὸ *esse*, prout est in singulis entibus, non est *universalissimum*, sed *singulare*, ut singularis est physice actualis essentia; *universalissimum* autem dicitur conceptu abstractivo eodemque analogico, ac proinde in sola consideratione metaphysica. Tandem: — ε) *medium*, quod intercedit inter nihilum et exsistentiam, non est *medium reale*, sed *medium rationis.* Essentia enim actualis, quae media dicitur, ex probatis, realiter negative distinguitur a nihilo; sed est realiter positive eadem cum ipso *esse*, quamvis ab hoc ratione cum fundamento in re distinguatur, et sic ut *media* consideretur.

SECTIO III.

SOLVITUR QUAESTIO PRINCEPS

THESIS II

« Quemadmodum historice certum est non omnes D. Thomae Discipulos actualem inter essentiam exsistentiamque creati entis, sive in ordine metaphysicae intelligibilitatis adaequatae, sive in ordine physicae realitatis considerati, *distinctionem formaliter realem* agnovisse: — Ita critice evidens est non probari evidenter *distinctionem formaliter realem* a S. Doctore fuisse traditam; sed probari solum traditam fuisse *distinctionem fundamentaliter realem*, seu *rationis ratiocinatae*. — Fit hinc ut, qui distinctionem formaliter realem negant, non D. Thomam, sed quorundam, plurium etiam si lubet, Thomistarum sensum unice impugnent; atque adeo iniuria prorsus ceu a D. Thoma aut ab eius schola extorres traducuntur ».

Declaratur thesis.

1. DECLARATUR THESIS. — In proposita thesi bina stricte asseruntur, ex quibus, tanquam ex principiis, binae rursum inferuntur illationes. Tota igitur thesis tribus quasi partibus praecipuis optime distinguitur. In prima asseritur factum historicum, non omnes videlicet D. Thomae discipulos inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque distinctionem formaliter realem agnovisse. In secunda enuntiatur critice evidens esse non probari evidenter D. Thomam distinctionem formaliter realem docuisse, sed probari solum docuisse distinctionem fundamentaliter realem, seu rationis ratiocinatae. In tertia binae inferuntur illationes, quarum 1.ª est formaliter realis illius distinctionis impugnatores non impugnare D. Thomam, sed Thomistas aliquot: 2.ª vero, iniuria proinde ceu a D. Thoma extorres haberi.

In thesi partes tres.

Quid prima asserat?

Quid secunda?

Quid tertia?

Probatur 1.ª pars thesis

« *Historice certum est non omnes D. Thomae discipulos actualem inter essentiam exsistentiamque creati entis, sive in ordine metaphysicae intelligibilitatis, sive in ordine physicae realitatis considerati*, DISTINCTIONEM FORMALITER REALEM *agnovisse* ».

Ad assertionem probandam possent sufficere allata documenta.

Afferentur alia, non tamen omnia.

2. Ad hanc thesis partem demonstrandam, quae revera difficultate fere nulla premitur, satis esse possent quae in quaestione proponenda sumus praefati. Ad rem tamen plenius collustrandam documenta historica exhibebimus. Non autem opus est Doctores omnes, qui D. Thomam ceu Magistrum salutarunt, quique distin-

ctionem illam haudquaquam agnoverunt, in medium afferre: res esset inutilis et, raritate operum priorum D. Thomae discipulorum, difficilis valde. Ex omnibus fere epochis unum aliumve e celebrioribus proferemus, qui ad rem nostram videantur sufficere. Mirum autem esse non debet, si ex recentiori Dominicana familia haud multi nobis ferant suppetias. Cum enim quod prae manibus habemus doctrinae caput, ex illis unum sit, quae Scotistas inter Thomistasque iam inde a saeculo XIV. in controversiam vocata sunt, opinio asserens distinctionem formaliter realem, quae prius huius aut illius erat Doctoris, Dominicanae familiae iam tum propria facta est, atque haereditario quasi iure in posteros descendit.

Quare.

Recentior Dominicana Familia minus adiumento est.

Quare.

3. Initium esto a Godefrido de Fontibus, quem alii [1] D. Thomae discipulum, alii [2] Cancellarium Parisiensem, alii [3] nec discipulum, ut videtur, nec, idque certo, Parisiensis Universitatis Cancellarium; sed e primoribus solum Magistris, Doctorisque *Venerandi* agnomine insignitum, D. Thomae certo coaevum et, si pauca mittas, uti ex ipsis eius *Quodlibetis* satis elucet, certo sectatorem addictissimum fuisse, plusve minusve, omnes agnoscunt. Nobis satis erit referre, quae de ipso scribit Echardus in sua *Biblioteca*, a Godefrido nimirum D. Thomam non solum Ecclesiae Patribus fuisse connumeratum, Doctoribusque omnibus aliis praelatum; sed de eius doctrina scriptum reliquisse: « Per ea, quae in hac doctrina continentur, quasi omnium Doctorum aliorum doctrinae corriguntur, sapidae redduntur et condiuntur: et ideo si ista doctrina de medio auferretur, studentes in doctrinas (al. *in doctrinis*) aliorum saporem modicum inveniunt » [4].

Godefridus de Fontibus.

Quisnam fuerit.

4. Godefridus ergo, ad praesentem quaestionem quod attinet, sic suam simulque forsan in scholis Magistri mentem, quod heic obiter sit dictum, apertissime declarat. Legimus in D. Thoma: « In substantiis intellectualibus, quae non sunt ex materia et forma compositae, ut (cc. 50. et 51.) ostensum est, sed in eis ipsa forma est substantia subsistens, forma est quod est (*litura codicis auto-*

Locus D. Thomae.

---

[1] Uccelli, *D. Thomae Aquin. Summae contra Gentiles libri IV..... textu..... recognito, et scholiis Godefridi a Fontibus*, S. THOMAE DISCIPULI, *illustrato*. — Ed. Migne.

[2] P. M. Brin, *Histoire Générale de la Philosophie*, tom. 2. ch. 3.

[3] Mr. de Wulf, *Étude sur la vie, les oeuvres, et l' influence de Godefroid de Fontaines, ch. 2. IV. seqq.* Opusculum hoc D. de Wulf sui auctoris nomine et fama dignum est. Et historica quidem diligentissime et solide pertractantur: quae vero doctrinarum expositionem connexionemque spectant, si pauca excipias, quae minus videntur veritati consentire, in pluribus certissime sunt veritati consona. — De Godefrido consuli etiam potest: Hauréau, *De la Philosophie Scolastique, Tom. 2, ch. 24.* Huiusmodi autem opus eiusque auctorem haudquaquam commendamus, cum malo animo, ubi ubi potest, falso et levissime venenata in Ecclesiam contorqueat tela, ac multa dicat de sequioris aetatis Doctoribus, quae vix aut ne vix quidem videtur intellexisse.

[4] Echardus. *Scriptores ordinis Praedicatorum, tom. 1. p. 296.* — Quae heic refert Echardus, leguntur in Godefridi Quodlibeto XII. Ea referuntur etiam a D. de Wulf, *Op. laud. ch. 3. I I I.* Videri etiam possunt quae Godefridus de D. Thoma scribit in *Quodlibeto 1. q. 4.*: quod Quodlibetum, uti diximus, a DD. de Wulf et Pelzer publici iuris typis Lovaniensibus factum est.

graphi addit : et quasi potentia) ; ipsum autem esse est actus et quo est : et propter hoc in eis est unica tantum compositio actus et potentiae, quae scilicet est ex substantia et esse, vel ex eo, *quod est* et *quo est* » [1].

Godefridi Scholion.

5. Ut hunc D. Thomae locum Godefridus declaret, sequens scholion adponit : « Ista tamen duo non dicunt *diversas res in creaturis*, *sed diversas intentiones eiusdem rei.* Quod enim esse, quod conveniret rei ex natura et essentia sua, sit aliqua res praeter essentiam est impossibile: unde sunt unum re. Sed quia (*istud:* QUIA *facile redundat*) creatura de se solum dicit rem sive naturam alterius praedicati, quae de se non habet esse in effectu, quantumcumque sit simplex et formalis, sed hoc habet ab agente, in quantum scilicet est effectus, sive tantum potentiae (al. *potentiâ*) esse. Quamvis enim ens sit quidem commune analogum ad ens actu et potentia, et sic de aliis esse; tamen non dicetur res simpliciter nisi ex hoc, quod habet esse in effectu extra animam, non quia sit in intellectu, vel in potentia materiae agentis (*forsan:* in potentia materiae *vel* agentis). Et sic licet de se habeat aliquod ens creatum, antequam sit in effectu, quod sit ens cognitum, vel ens in potentia ad esse ; tamen essentia creaturarum ex eo, quod essentia alterius praedicatur ab intellectu cuiuscumque concepta vel conceptibilis, non habet esse. Unde esse in effectu omni essentiae creaturae acquiritur a creatore. Ideo oportet quod anima sit ratio esse et essentiae in creatura, ut dicatur *essentia*, in quantum est natura quaedam alicuius praedicati absolute non implicans esse vel non esse ; *esse* vero, in quantum est effectus creatoris, ab ipso illud participans in effectu : ut sic ipsa creatura, in quantum est effectus creatoris, habeat esse a sua essentia formaliter, sed a Deo effective. Non est autem item (*forsan:* idem) in Deo qui, quia per suam essentiam habet esse formaliter, et a nullo effective, solus est omnino incorruptibilis, cum suum esse sit ipsa sua essentia, ut inseparabile ab illa. In Deo enim esse essentiae et esse in actu non possunt differre secundum rationem, ita ut importent diversas intentiones. Nam si divina essentia non esset omnino idipsum quod esse divinum, imo etiam secundum intentiones differrent, non haberet essentia divina, ex eo quod essentia, esse, sed esset ei acquisitum, etiamsi illud haberet ab aeterno. Quia ergo in Deo essentia et esse sunt idem re et intentione, non potest intelligi essentia Dei, quin de necessitate intelligatur eius esse. Sed quaelibet creatura potest intelligi absque hoc quod intelligatur esse ; quod non contingeret, nisi in creatura esse differret ab essentia ratione sive intentione. In creatura etiam differt dicere *res* et *ens*. Licet enim idem dicant secundum rem, tamen diversas intentiones sive rationes important ; quia creatura dicitur ens, in quantum habet impressionem agentis, res vero, in quantum est talis natura. Et ita patet quod essentia creaturae, in quantum est essentia, est in potentia ad esse ; quia

[1] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 2, c. 54. n. 5.*

illud non habet nisi per actionem agentis, et ideo in nulla creatura essentia est suum esse. Sed licet non sit alia *res* et *natura*, est tamen alia intentio..... Et sic natura cuiuslibet entis creati est capabilis esse, sed non suum esse: nec est compositio esse et essentiae, quia sunt duae res ad tertiam concurrentes; sed quia esse non est ex se, sed ex aliquo, illud participat tanquam actuale et formale suae essentiae, quae respectu illius est quasi quaedam potentia, non tamen res distincta. Si etiam velimus aliquo modo dicere quod aliqua creatura sit suum esse, non tamen erit simplicissima et actualissima, quia erit esse participatum, quod de se non est nisi ab alio effective, respectu cuius non est nisi potentia quaedam. Esset ergo totum in parte, et quidem compositum »[1].

Godefridus tangit fere omnia, quae in controversia sunt.

6. Si quis Godefridi dicta attente consideret, pervidebit plane fere omnia, quae in praesenti materia dissentiones pariunt, ab ipso tangi ac declarari. Meminit essentiae et esse. Docet non esse duas res aut entitates distinctas, sed duas rationes aut intentiones unius eiusdemque rei in creatis. Tradit essentiae rationem competere rei ex se, seu ex suis principiis intrinsecis, rationem τοῦ *esse* ex actione agentis. Atque hinc essentia, relate ad esse, habet rationem cuiusdam potentiae; esse vero, relate ad essentiam, rationem actus. Haec autem sic compositionem faciunt, ut ex iis non resultet res physice composita, sed composita solummodo metaphysice, id est, quaedam ratio composita. Ex quo fit, ut nulla natura aut essentia creata sit suum esse; quia esse non est ei ex se, sed ab alio. Imo si, realiter loquendo, velimus dicere creaturam esse suum *esse*, impropria quadam ratione hoc diceretur, quia, cum sit ens participatum, est ens *ex parte* et *ab alio*, atque adeo potentiale et compositum modo declarato. Proprie enim essentia dicitur esse suum *esse*, quando est aut exsistit *ex vi sui* et *secundum totam essendi plenitudinem*, atque adeo *modo actualissimo* et *simplicissimo*. Haec autem, si Godefridus ea scripsit ex doctrina, quam ab Angelico Magistro hauserat, uti exigit tum ipsa ratio simplicis declarationis verborum Magistri; tum ratio historica qua constat, missis individuationis principio et quaestionibus de ordinibus religiosis tunc agitatis, in reliquis fere omnibus Godefridum D. Thomae fuisse sectatorem fidelissimum, non leve praeiudicium constituunt contra sensum, quem posteriores discipuli communis Magistri dictis per subsequutas aetates appinxerunt.

Hervaeus Natalis.

7. Post Godefridum, suo quasi iure, locus est Hervaeo Natali, seu *de Nedellec* aut *le Breton*, ex Dominicana familia, qui sub finem saeculi XIII. ac ineunte saec. XIV. Angelici Praeceptoris doctrinam a Scoti oppugnationibus vindicavit[2]. Cum usque adeo constans sit cuiusvis generis scriptorum testimonium, Hervaeum

[1] Godefridus de Fontibus, *Scholion in c. 54, lib. 2. Contra gentes.* — Edit. Uccelli. — Migne. — Cfr. in laud. Edit. de Wulf, Quodl. 3. q. 1 et 2.

[2] Brin, *Histoire Générale de la Philosophie, tom. 2. ch. 3. I.* — Em. Card. Gonzalez, *Historia de la Filosofia, tom. 2. pag. 356.*

in *Quodlibetis* nonnisi rationis distinctionem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque asseruisse, supervacaneum videretur eius verba hoc loco referre. Placet aliqua, pauca tamen, ex ipso exscribere. Quaerit: « *Utrum esse et essentia in creaturis realiter differant* ». Subdit: « Respondeo: circa hoc sunt tres opiniones. 1.ª est, quae dicit quod esse et essentia differunt re absoluta, sicut subiectum substratum et actus sibi inhaerens..... 2.ª opinio est, quod essentia dicit naturam exsistentem in genere cum respectu ad exemplar divinum, vel quod constituitur in esse essentiae per illum respectum, sed esse dicit essentiam illam cum respectu ad Deum, sicut ad causam efficientem. Et ista positio videtur mihi improbabilior, quam 1ª..... Et ideo est 3.ª opinio, quae videtur mihi probabilior, videlicet quod esse et essentia differunt penes diversos modos significandi, per modum verbi, et per modum nominis. Ad cuius evidentiam sciendum quod sicut lucere et lucidum (*et lucens*) differunt; ita essentia, esse et ens: ita quod essentia dicit illud, quo aliquid est ens, sicut lux dicit illud, quo aliquid est lucidum; et esse est habere essentiam, sicut lucere est habere lucem; ens vero est habens essentiam, sicut lucens est habens lucem: specificando autem istud ad creaturas, essentia creaturae est quo aliquid est ens creatum; sed esse creaturae est habere essentiam creatam; ens vero creatum est habens essentiam creatam » [1]. Tertiam hanc opinionem subinde probat Hervaeus difficultatesque solvit.

Locus ex Quodlibetis.

8. Qui tres has opiniones, prout ab Hervaeo proponuntur, vel obiter perpendat, intelliget profecto ab ipso non solum ceu probabiliorem haberi sententiam non agnoscentem in creatis entibus nisi rationis distinctionem inter essentiam et esse; sed etiam hanc rationis distinctionem revocari ad solum significandi modum, quem praeseferunt vocabula, atque porro ad solam rationis ratiocinantis distinctionem. Putat se id dicere ex Magistri sententia? Incertum est. Aperte id ipse minime profitetur. In Hervaei *Quodlibetorum* editione a Zimara adornata legitur quidem in margine tertiae opinioni respondente: *3.ª opinio, quae etiam beati Doctoris in tractatu speciali de Ente et essentia;* sed notula haec marginalis ipsius Zimarae videtur esse, non Hervaei. Ceterum cum ipse usque adeo fidelis sit in D. Thomae doctrina in ceteris omnibus propugnanda, non sine quadam probabilitate putarit quis Hervaeum nonnisi distinctionem rationis in D. Thoma intellexisse. Sed hoc sit obiter dictum.

Propria Hervaei mens.

9. His, qui expresse, omnibus fatentibus, solam rationis distinctionem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque tradiderunt, addendi plane sunt veteres illi Doctores omnes, qui *realem* quidem distinctionem illam dicebant esse; verum non *formaliter*, sed *fundamentaliter realem* aut rationis ratiocinatae de facto intelligebant, uti auctor est Dominicus Soto scribens: « Non est res tanti momenti hanc distinctionem (*realem*) aut concedere, aut negare; dummodo non negetur differentia inter nos et Deum, quod

Addendi Doctores alii ex Soto.

---

[1] Harvaeus, *Quodlibeto* 7. *q.* 8.

esse sit de essentia Dei, et non sit de essentia creaturae: sicut qui negaverit sessionem distingui a sedente, nihil magnum negabit, dummodo non concedat sedere esse de essentia hominis; *hanc enim antiqui appellabant distinctionem realem, et forte* docte »[1]. Qua in re consentientem habet P. F. Albertum Lepidi O. P.[2], aliosque.

10. Ut dictorum Soti exemplum aliquod afferamus, Auctor *Tractatus de formis*, qui ab aliis dicitur esse D. Thomas, ab aliis Hervaeus Natalis, sed qui revera huc usque incertus est, uti satis ostendit P. Franciscus Ehrle S. I.[3], sequentia habet. Scribit primum: « Respondeo dicendum quod in nulla creatura esse est idem quod essentia, seu idem quod forma..... Et ideo praeter Deum, qui solus actus purus et simplex est, nulla res creata est idem omnino cum suo esse *neque secundum rem, neque secundum rationem*..... Quod ita intelligendum est, quod cum esse sit effectus formae secundum communem sententiam, vel perfectio eius; causam autem et causatum, sive perfectionem et perfectibile in naturalibus impossibile sit esse omnino idem etiam secundum rem; impossibile est ipsum esse cum sua essentia omnimodam identitatem habere »[4]. Probat autem primo ex natura actus, quae τῷ *esse* competit; secundo ex natura participationis. Tum vero addit: « Nec potest adhuc responderi, ut quidam volunt, quod esse et forma differant secundum rationem, sed tamen sint idem secundum rem; quia cum nos non ponamus ad praesens differentiam inter formam et esse nisi ratione participationis, oportet necessario ut secundum modum participationis sit modus differentiae, maxime cum effectus sequatur causam, et huius differentia causetur ex participationis natura. Sed forma participat esse *non solum secundum rationem, sed etiam secundum rem.* Alias, cum unumquodque sit ens simpliciter in actu secundum quod participat esse, sequeretur quod forma esset ens actu solum secundum rationem. Quare necessario oportet ut forma differat a suo esse realiter, et non secundum rationem tantum »[5].

Auctor *Tractatus De Formis.*

P. Ehrle S. I.

Textus.

11. In his quae praecedunt Auctor hinc quidem efficacissimis verbis asserit realem distinctionem inter essentiam et esse; inde vero eam repetit ex eo quod forma *esse reale* habet *et non rationis, ex parte, et ex reali actione Dei*, non autem ex eo, quod *una entitas sit essentia aut forma, alia esse.* Hoc autem distinctionem fundamentaliter realem innuit, non formaliter realem. Itaque difficultati, quam sibi obiicit: « Forma dat esse materiae. Sed illud esse non dat materiae per aliquid aliud, quam per substantiam

Crisi subiicitur.

[1] Soto, *In Dialecticam Arist., de praedicamentis, de Substantia, q. 1.*

[2] Lepidi, *Elementa philosophiae Christianae, v. 2. p. 171.* Ed. Paris. Lovaniensis.

[3] Ehrle, *Praefatio in Metaphysicam Cursus Philosoph. P. Alamannii.* — Edit. Lethielleux.

[4] Auctor Tractatus, *de formis, q. 3. a. 3. corp.* — *Appendix ad Metaphysicam Alamannii.*

[5] *Idem, Ibidem, loc. laud.*

suam. Ergo est ipsa substantia formae ». — Respondet : « Quod sicut materia et forma se ipsis, et non per aliquid aliud constituunt quidditatem rei, et tamen quidditas neutra earum est ; ita et forma seipsa dat esse, et tamen esse non est ipsa forma, sed effectus formae et actualitas eius » [1]. Numquidne Auctor Peripateticus poterat supponere quidditatem rei materialis esse unam entitatem, materiam vero et formam, abs dubio unitas, esse aliam entitatem ? Et tamen distinctioni unius ab aliis aequiparat distinctionem esse et formae seu esse et essentiae. Nimirum quia a parte rei materia et forma se habent uti principia constitutiva essentiae, essentia autem uti effectus formalis, essentia in re dicitur non esse materia et forma : et idem docet de forma et esse. Haec autem consideratio metaphysica est cum aliquo in re fundamento, non rerum aut realitatum distinctio. Quapropter ubi quaerit : *Utrum esse sit effectus formae*, respondet formam esse causam non sane efficientem, sed formalem ipsius esse, et hoc ipsi esse realiter identicum. Concludit tandem : « Ex his ergo omnibus patet quod in tribus differt effectus formae ab aliis causis : videlicet in nobilitate propter nobilitatem suae causae, *in identitate naturae*, et *unitate ad suam causam* propter eius actualitatem perfectam » [2]. Utique Auctor, ubi in corpore declarat praecellentiam causae formalis prae aliis causis, eam repetit ex eo, quod causa formalis maiorem habet similitudinem cum formali effectu, tantamque unitatem, ut ab ipsa effectus non separetur, in ipsaque remaneat tanquam eius perfectio ; sed haec locum habent, uti subinde concludit : *in identitate naturae..... propter eius actualitatem perfectam.* Perfecta naturae actualitas esse sibi *identificat*, efficitque ut summa illa detur similitudo : quod infinito modo in divinis etiam locum habet. Atque eadem sententia est in secundo modo quaestionem solvendi. Quamvis enim dicat formam proprie complere naturam, et ad naturam completam consequi esse ab agente productum et in natura receptum ; tamen satis indicat huiusmodi productionem receptionemque haberi eo ipso, quod natura producitur, atque adeo per realem identitatem et formalem distinctionem, seu per distinctionem fundamentaliter realem. Ait enim inter alia : « Ad completionem autem naturae rei (*quae per formam habetur*) consequitur ipsum esse, sicut ad cursum consequitur currere, et aliqualiter ad lucidum esse consequitur lucere : eo quod esse nihil est aliud, quam actualitas et complementum naturae cuiuslibet rei » [3]. Sicut ergo currere non distinguitur realiter a cursu, nec realiter recipitur in cursu, sed in reali cursu ex reali fundamento ratione distinguitur et recipitur ; et lucere, prout est in lucido, uti superius Auctor dicit, non distinguitur realiter ab ipso, in ipsoque realiter recipitur, sed ex reali fundamento consideratur ut distinctum et receptum ; ita esse a natura completa non realiter

[1] *Idem, Ibidem, ad 1.um*
[2] *Idem, Ibidem, a. 5. corp.*
[3] *Idem, Ibidem, loc. ult. laud.*

distinguitur, neque realiter in ipsa recipitur, sed ex reali, aut in rerum natura exsistenti fundamento, consideratur ut ab ipsa distinctum et in ipsa receptum; est enim, inquit, ipsa: « *Actualitas et complementum* (COMPLETAE) *naturae cuiuslibet rei* ».

Dominicus Soto.

12. Sed audiamus Dominicum Soto ex eadem Dominicana familia, qui *in libros Distinctionum* atque una *in 3.am p.em D. Thomae* suam ac, indirecte saltem, ipsius Aquinatis mentem videtur aperire. Proponit suo modo sequentem ex S. Doctore difficultatem: « Fieri non potest, etiam miraculose, quod definitio rei ab ea separetur, vel quod uni rei conveniat definitio alterius rei..... Sed ad definitionem accidentis pertinet quod sit in subiecto, ad definitionem vero substantiae, quod per se subsistat non in subiecto. Non ergo potest miraculose fieri quod in hoc sacramento sint accidentia sine subiecto » [1]. Respondet Sotus: « Est argumentum, quod indissolubile arbitrantur haeretici, et ideo penetranda est solutio, quam D. Thomas ex media rerum natura elicit. Esse enim, inquit, non est de intrinseca ratione et quidditate substantiae, neque accidentis; alias esset genus utriusque, sicut animal est genus hominis et equi, quod est falsum; quia non est generalissimum, sed transcendens. Item quia esse non est de intrinseca ratione nisi solius Dei qui, cum esse aliunde non recipiat, per suam substantiam exsistit: substantiae vero creatae et accidentia receperunt esse per creationem, et quotidie per generationem: quare esse non est eorum definitionibus intrinsecum. Sed *esse per se est modus et actus* conveniens quidditati substantiae, et *esse in alio modus et actus* conveniens naturae accidentis. In Sacramento vero non datur accidentibus, ut per suam naturam subsistant; sed per virtutem divinam illa sustentantem tribuitur illis *alius modus essendi*, quam haberent ex sua natura. Quare nec desinunt esse accidentia, nec eis sua definitio aufertur, quae est *per suam naturam esse in alio.* Neque eis tribuitur definitio substantiae, quae est *ex sua natura per se subsistere* » [2]. Quo in loco Sotus *esse in alio* vocat *modum et actum convenientem naturae accidentis.* Quare tum ipsi accidenti *esse* et *actum* tribuit, tum nonnisi ut *modum* huiusmodi esse a natura accidentis distinguit, atque adeo non ut *rem a re.*

Difficultas ex D. Thoma.

Soti responsio.

Illatio.

13. Dicet fortasse quis modum realem seu physicum praeseferre veram distinctionem realem, non quidem maiorem, ut aiunt, sed minorem aut modalem. Quare si Sotus admittit distinctionem modalem inter essentiam et esse, admittit distinctionem realem.— Respondetur vero consequentiam recte inferri, si *modi* nomine Sotus intelligit modum physicum; non autem, si intelligit metaphysicum. Ast vero hoc, non illud intelligit. Enimvero ea ratione, iuxta Sotum, *esse* est *modus* et *actus*, qua *per se* et *in alio modi* sunt; de esse per se et in alio modum et actum praedicat. At *per se* et *in alio* non sunt modi physici, sed metaphysici, cum

Obiectio.

Responsio.

Declaratur ex ipso Soto.

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 77. a. 1. Ad 2.*
[2] Sotus, *In IV. Dist. 10. q. 2. a. 1.*

sint entis abstractissime sumpti determinativi, seu aliud non sint, nisi expressior entis conceptus, prout descendit ad substantiam et accidens. Tum loquendo de accidentibus post consecrationem *per se* stantibus, subdit: — α) Deum: « Ea sine subiecto conservare; nam hoc ad genus causae efficientis reducitur » [1], nimirum Deum efficienter supplere vicem subiecti; — β) quod illa accidentia: « Post consecrationem manent virtute divina in *eodem esse individuato*, quod prius habebant » [2]. At si Deus efficienter conservat accidentia *per se*, et haec retinent, dum per se sunt, illud idem esse individuatum, quod habebant *in alio*, seu in subiecto, per se et in alio, iuxta Sotum, non dicunt physicam mutationem in ipsis accidentibus, nec proinde modum physicum; sed dicunt modum metaphysicum, respectum nimirum affirmatum vel negatum ad subiectum, aut ad causam materialem, quatenus res quaelibet, una eademque manens, si est in subiecto, intelligitur et dicitur *esse in alio*; si vero non est in subiecto, intelligitur et dicitur *esse per se*.

Confirmatur ex eodem, et completur demonstratio.

14. Quae omnia ex iis, quae Sotus scribit in declarationem responsionis D. Thomae *ad 4.um*, pleniorem lucem mutuantur. Loco modo laudato sequentem S. Doctor sibi obiicit difficultatem: « Accidentia per consecrationem huius Sacramenti non adipiscuntur aliquam compositionem. Sed ante consecrationem non erant composita ex materia et forma, neque *ex quo est* et *quod est*. Ergo etiam post consecrationem non sunt composita altero horum modorum, quod est inconveniens; quia sic essent simpliciora, quam Angeli, cum tamen haec accidentia sint sensibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc Sacramento sine subiecto ».

Difficultas ex D. Thoma.

Responsio D. Thomae.

Respondet D. Thomas: « Ad quartum dicendum quod accidentia huiusmodi, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa esse, sicut nec alia accidentia; sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea, sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia, quae remanent, habent *esse*. Unde sunt composita *ex esse* et *quod est*, sicut in 1.a parte de Angelis dictum est [3]: et cum hoc habent compositionem partium quantitativarum » [4].

Declaratio Soti.

15. Hanc Angelici Magistri doctrinam declaraturus Sotus sequentia scribit: « Quartum argumentum est metaphysicum, ob idque subobscurum. Ad cuius intellectum notandum, quod omne suppositum creatum dicitur componi *ex eo quod est*, et *eo quo est;* ut homo est humanitate homo, et albedine albus, et Angelus sua etiam natura Angelus, licet natura et suppositum *non distinguantur ut duae res*. Accidens vero, quia non per se subsistit, non habet illam compositionem, sed est forma, qua subiectum est tale. Arguit ergo: Accidentia, dum erant in pane, non erant hoc pacto composita: quia non erant id quod est. Ergo neque post conse-

[1] *Idem, Ibidem.*
[2] *Idem, Ibidem.*
[3] D. Tomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 5.o a. 2. ad 3.um*
[4] *Idem, Ibidem, 3. p. q. 77. a. 1. ad 4.um*

crationem habent illam compositionem ; et, cum nullam novam acquirant, sunt magis simplicia, quam Angeli.— Respondetur quod, quia dum erant in pane *non erant per se*, sed dabant esse accidentale subiecto ; post consecrationem vero *per se subsistunt virtute divina ;* fit ut per consecrationem *acquirant quodammodo illud esse*, ut ad modum substantiae sint *ea, quae sunt ;* atque adeo *similem metaphysicam compositionem illi, quae est in Angelis* »[1]. — Quo loco Sotus docet accidentia eucharistica post consecrationem : — α) *subsistere per se virtute divina*, seu solo influxu Dei activo, et non modo aliquo physico de novo acquisito (quae, sit obiter dictum, esset Suaresii sententia non recipienda), uti superius etiam dixerat : — β) hac ratione *acquirere quodammodo esse*, quod prius erat subiecti ; non quidem novum actum acquirendo, sed quatenus, cum antea *subiectum vi ipsorum esset tale*, nunc ipsa *seipsis*, Deo active sustentante, *sunt ;* atque hinc : — γ) in accidentibus illis habetur *id quod est*, et *quo est* ad modum unitorum aut compositionis : quae tamen compositio, uti etiam illa, quam D. Thomas saepe in Angelis agnoscit *ex quo est* et *quod est*, dicitur *compositio metaphysica.* Iam compositio metaphysica illa est, quae exurgit ex unione non partium realiter distinctarum ; sed ex diversis conceptibus formalibus unius eiusdemque realitatis cum aliquo in re fundamento. Ergo Sotus inter *esse* et *quidditatem* accidentium eucharisticorum, uti inter *esse* et *quidditatem realem* Angelorum, et universim inter *quod est* et *quo est*, nullam agnoscit distinctionem realem, neque maiorem, neque minorem seu modalem, sed tantum distinctionem rationis ratiocinatae ; imo sufficienter innuit hanc tantum ipsum D. Thomam agnovisse. Sed ex Soto subinde alia afferentur.

16. Sotum in reali distinctione inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque deneganda et in ratione loquendi in hac materia imitantur Fonseca, Molina, Conimbricenses ; quamvis in intelligendo et declarando exsistentiae *modo* ad Scotum videantur accedere. Et quidem Fonseca postquam asseruit : « *Exsistentia creaturarum non est idem omnino, quod essentia illarum* » ; asserit secundo : « *Exsistentia creaturarum non distinguitur ab essentia illarum realiter, sive ut res a re* » ; asserit tertio : « *Exsistentia creaturarum distinguitur ab earum essentia ex natura rei, tanquam ultimus eius modus intrinsecus* ». Intrinsecum autem modum Fonseca illum vocat : « *Qui convenit rei non per aliam realitatem sive entitatem* » : qua de re subinde negat ex actuali essentia et tali modo proprie *fieri compositionem*[2]. — Molina vero contra Durandum, Gabrielem, Aureolum aliosque contendentes, ut ipse loquitur : *Exsistentiam ex natura rei non distingui in rebus creatis ab essentia rei, quae exsistere dicitur* » ; quam sententiam ipse ita declarat, ut velit Doctores illos tueri : « *In rebus creatis essentiam esse formaliter suam exsistentiam* », seu ne quidem formali conceptu aut ratione

Fonseca.

Molina.

[1] Sotus, *loc. laud.*
[2] Fonseca, *In IV. Metaph. c. 2. Sect. 4.*

ratiocinata distingui, quod ab initio Hervaeus, decursu temporis, uti iam vidimus, De Lugo, Arriaga, aliique propugnarunt; scribit: « D. Thomas hoc loco..... Caietanus, Capreolus, Albertus, Scotus, Aegidius, Sotus et alii exsistimant exsistentiam ex natura rei distingui ab essentia in rebus creatis. Quae opinio nobis est amplectenda ». Probat hoc assertum, tum addit: « Licet Doctores citati conveniant in rebus creatis exsistentiam ex natura rei distingui ab essentia; D. Thomas tamen (ut eum interpretantur Caietanus, Ferrariensis, Capreolus et multi alii) affirmat distinctionem illam esse realem, idemque affirmant atque defendunt tres citati ipsius interpretes, et quidam alii. — Reprehendit etiam Caietanus Scotum, quod loco supra citato asseruerit distinctionem illam esse solum formalem. Quamvis autem Scotus id eo loco aperte non dicat, sed solum loquatur de exsistentia, ut de re ab essentia ex natura rei distincta; credo tamen, si apertius fuisset loquutus, id non negasset, quod Caietanus ei tribuit. *Neque puto maiorem distinctionem admittendam esse inter exsistentiam et essentiam, quam formalem:* in qua sententia est Scotus ubi supra, et sunt quidam alii ». Dum vero suam probat sententiam, inter alia, scribit: « Quemadmodum nulla ratione fieri potest, ut similitudo exsistat sine qualitate, figura sine quantitate aut re, cuius dicitur figura, et universim *modus rei* sine ea re, a qua solum formaliter distinguitur; fit ergo, ut exsistentia idem re sit cum essentia cuius est, ab illa exsistentia (forsan *ab ipsa essentia*), tanquam *modus atque actualitas ultima illius*, ac proinde formaliter solum distincta » [1]. — Tandem Conimbricenses: « *Exsistentia*, aiunt, *cuiusque non distinguitur ab essentia, nisi ut modus rei a re* ». Quapropter concedunt: « Tam materiam, quam cetera entia, ut unumquodque ab alio distinguitur, ita aliquam sibi exsistentiam vindicare » [2].

Eius locus

Conimbricenses.

17. Doctores hi in reiicienda reali distinctione inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque, in admittendaque solummodo modali omnino conveniunt. At cuiusmodi est, quam admittunt, modalis distinctio, modalis physica, quae dicitur realis minor, an modalis metaphysica, quae dicitur formalis, virtualis, aut rationis ratiocinatae? Palam est eos excludere modalem physicam, cum Fonseca omnem *aliam realitatem aut entitatem* ab essentia ipsa excludat; Molina dicat tueaturque distinctionem esse *formalem*, non *realem;* Conimbricenses distinctionem exsistentiamque in eadem fundent entitate. Molina tamen, qui plenius hac in re loquitur, modum illum metaphysicum, quem vocat cum S. Doctore ultimam rei aut essentiae actualitatem, non vult ut sit ipsa essentia, quatenus ex vi productionis est extra nihilum et extra causas, sed videtur contendere esse intrinsecam quandam perfectionem essentiae ipsi superadditam ad modum cuiusdam formalitatis reali essentiae contingenter competentis, et cum ipsa essentia a Deo concreatam aut a suis causis comproductam, quatenus illa essentia

Discutiuntur laudatarum Doctorum sententiae.

Specialius ex Molina.

[1] Molina, *In 1.am p.em D. Thomae, q. 3. a. 4. Disp. 2.*
[2] Conimbricenses, *In IX Methap. c. 14. q. 2. a. 2.*

nonnisi sub illo modo creari potest aut produci. Quare exsistentiam assimilat quodammodo modis physicis figurae, unionis etc., vultque esse accidens completum metaphysicum, quod *directe* sit in praedicamento aut *quantitatis*, si sermo sit de exsistentia per se successiva, aut *quando*, ubi exsistentia est partim indivisibilis, partim successiva et per accidens continua. Concedit tamen Caietano et aliis dici posse exsistentiam esse *reductive* in praedicamento aut *substantiae*, si substantiae alicuius sit, aut *illius accidentis*, cuius tandem est exsistentia: hoc autem posterius, nostra de sententia, omnino videtur asserendum. Audi Molinam ipsum: « Hactenus ostendimus exsistentiam formaliter distingui ab essentia, sive a natura rei, cuius est exsistentia. Ut vero pateat quid sit et num ad aliquod praedicamentum per se pertineat, praemitto exsistentiam rerum creatarum esse modum quendam realem concomitantem essentiam cuiusque rei, prout est effectus causae efficientis; producitur enim essentia a causa efficiente, sed sub illo modo, ita quod implicat produci, et non sub illo modo: et quod proprie producitur, est ipsa rei essentia; modus vero, sub quo producitur, comproducitur cum essentia, tanquam ab ea pendens et cum illa idem re, sed ab ea formaliter distinctus »[1]. Subinde vero: « Non video, *inquit*, quid incommodi sequatur, si dicamus modum realem actualis exsistentiae substantiarum..... esse accidens reale completum ad praedicamentum *quando* spectans..... exsistentiamque motus..... nullo modo distingui a duratione ipsius, quae per se continua est, pertinereque ad praedicamentum *quantitatis*..... exsistentiam vero reliquorum accidentium..... pertinere ad praedicamentum *quando* »[2]. Verum haec, quae ex Scoti doctrina P. Molina speculatur, nec necessaria sunt nec, si stant quae in superioribus fuerunt disputata, ullo modo possunt admitti.

18. Post Godefridum, Hervaeum, Sotum cum quo, ad assertionem principem quod attinet, conveniunt prorsus Fonseca et Molina et haud difficulter ipsi Conimbricenses, longa illa Doctorum series in medium esset afferenda, qui cum D. Thomam ceu Magistrum salutarint, distinctionem tamen realem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque haudquaquam agnoverunt. Atque plane inter hos locum non ultimum Doctoribus Societatis reservari, missis etiam S. Parentis Ignatii Constitutionibus, Nostris omnibus D. Thomam uti Doctorem proprium sequendumque proponentibus[3], planum fit ex singulorum tum operibus tum apertis sententiis quibus, ubi ubi id fert occasio, reverentiam amoremque in D. Thomam suum profitentur. Loquatur omnium nomine Suaresius, si non omnium facile princeps, secundus abs dubio nemini. Eximius igitur Doctor, de Mysterio Incarnationis recte pertractandi difficultate in antecessum patefacta, animum solatur suum, quod

Doctores alii.

Doctores Societatis.

---

[1] Molina, *Ibidem, loc. laud.*

[2] *Idem, Ibidem, loc. laud.*

[3] Cfr. *Constit. pars. IV. c. 14. 1. — Congr. V, Decr. 41. Regulae etc. et Decr. 46. Praefatio ad regulas etc.*

permulta hac super re fuerunt ab Ecclesia definita et a Patribus ac Doctoribus aliis illustrata; tum vero subdit: « Quod eo facilius atque securius me in hoc opere assequuturum confido, quo magis Angelici Doctoris placitis ac sententiis inhaerere, eiusque sensa omni industria summaque diligentia rimari in animo est. Quippe ea est apud me eius auctoritas, ut illius vestigiis insistens nullos aut itineris errores, aut difficultatum nodos, vel demum inextricabiles argumentorum laqueos pertimescam » [1]. Haec Suaresius.

Suarez.

19. Itaque cum, praeter alios non paucos externos, Doctores Societatis absque controversia in numero discipulorum D. Thomae sint supputandi, quod ab initio proposuimus: Non omnes D. Thomae discipulos actualem inter essentiam exsistentiamque creati entis realem distinctionem agnovisse, res est historice in perspicuis posita. Sepositis enim recentioribus quinis senisve Doctoribus, qui operibus typis excussis realem distinctionem tuentur, et quibus tot alii possunt opponi, deductisque ternis ad summum Universitatibus atque uno aliove Magistro, in quibus vel a quo realis distinctio docetur, reliqua Societas, qua late patet, distinctionem illam ubique reiicit. Quod nos, cum essemus in Hispania, in Gallia, in Belgio, in America propria didicimus fere experientia; tum clarissime eruitur ex thesibus ad disputandum propositis, quae ultro citroque singulis annis mittuntur. Ut exemplum aliquod ex iis thesibus, quae apud nos asservantur, exhibeamus, Collegium Valsense (Vallibus Anicii) anno 1901. habet: « Exsistentia, seu id quo res formaliter constituitur extra nihil, in Ente necessario non solum realiter, verum etiam formaliter cum essentia identificatur. In ente vero contingente exsistentia physica, si comparetur cum essentia, ut in statu merae possibilitatis versatur, realiter negative ab ea distinguitur. Dum autem res in esse producta est, non videtur necessaria realis distinctio inter essentiam iam physice actuatam et ipsam exsistentiam ». — Collegium Gemertense anno 1902. « Entis exsistentis finiti essentia et exsistentia saltem virtualiter distinguuntur; ex quo infinitum discrimen inter Deum et creaturam intercedere colligitur; videntur autem probabilius non distingui realiter ». Itemque anno 1903. « Distinctio physica inter essentiam hanc physicam ipsiusque exsistentiam nullo efficaci argumento evincitur. Imo deneganda videtur talis distinctio, siquidem essentia physica nequit adaequate concipi, quin formaliter seipsa exsistens appareat. Quod vero in tali distinctione physica, quasi in primario aliquo fundamento S. Doctor Dei ac creaturae discrimen stabiliat, perlegenti *Summam Theologicam* non adeo apparet. Imo non improbabiliter dixeris in *Summa* saltem *Theologica* omitti quam nunc cogitamus quaestionem ». — Collegium Iersyense anno 1901. « Essentiae actualis entitas eiusque exsistentia non *re* distinguuntur, sed tantum *in conceptu* cum fundamento in re ». Item anno 1903. « Ens, ut participium, significat essentiam actu exsistentem. Quia: « omnis essentia intelligi po-

Concluditur demonstratio.

Paucis sepositis, reliqua Societas Iesu reiicit distinctionem realem inter essentiam et esse creati entis.

Collegium Valsense.

Collegium Gemertense.

Collegium Iersyense.

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, Praefatio commentariorum, num. 1.*

test sine hoc, quod aliquid intelligatur de suo esse facto », plane admittimus esse facere : « compositionem cum intellectu essentiae cui advenit » metaphysicam ; non autem physicam cum essentia ut potentia subiectiva ».—Collegium Granatense anno 1903. « Exsistentia rei non distinguitur realiter ab eius actuali essentia, sed solum ratione cum fundamento in re ».—Collegium Verulanum anno 1903. « In ente creato essentia actualis realiter identificatur cum eius exsistentia ». Collegium S. Ludovici in America anno 1903. « In nullo ente exsistente creato inter essentiam eiusque exsistentiam distinctio realis seu physica est admittenda ». Rursum Collegium Valsense anno 1901. « Inter essentiam et exsistentiam entis cuiuslibet finiti actu exsistentis necessaria est distinctio rationis ratiocinatae, *impossibilis* vero distinctio realis ». Collegium Maximum Cracoviense, a. 1905.: « Sicut realis distinctio essentiae et exsistentiae solido philosophico fundamento caret, ita e theologicis principiis dicenda est ad unionem hypostaticam explicandam accommodari non posse ». Collegium Angiense, a. 1905.: « Unica est in Christo, Deo et homine, persona, quae est persona Verbi. Cuius ineffabilis unionis ratio philosophica non inde repetenda videtur, quod Verbum humanae naturae communicet proprium exsistendi actum..... ». Et sic reliqua. — Nihil addimus de veteri Societate. Notum enim est non multos ante annos ubique prorsus, etiam Romae, nonnisi rationis distinctionem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque fuisse agnitam. Superioribus vero aetatibus, si Pallavicinium, Maurum, ac aliquem alium excipias, verissimum est, uti ex editis operibus fit manifestum, quod apud de Lugo legimus, totam Societatem eiusque praecipuos Doctores in ea fuisse sententia: in creato ente actualem essentiam ab eius exsistentia non *realiter*, *sed ratione aut ratiocinante aut ratiocinata distingui.*

Collegium Granatense.

Collegium Verulanum.

Collegium S. Ludovici.

Collegium Cracoviense.

Collegium Angiense.

Quid de veteri Societate?

Probatur 2.ª pars thesis

Critice evidens est non probari evidenter distinctionem formaliter realem a D. Thoma fuisse traditam; sed probari solum traditam fuisse distinctionem fundamentaliter realem, seu rationis ratiocinatae.

20. DECLARATUR ASSERTIO. — In hac thesis parte bina prima fronte videntur asseri; quorum alterum est : Critice evidens esse non probari evidenter distinctionem formaliter realem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque a D. Thoma fuisse traditam; alterum : Critice probari evidenter solum fuisse traditam distinctionem fundamentaliter realem, seu rationis ratiocinatae. Verum uti patebit ex probationibus afferendis ista duo in praesenti controversia sic sunt connexa, ut generatim iisdem ex locis S. Doctoris utrumque stabiliatur ; et prioris negatio ducat ad positionem alterius, ac rursum huius affirmatio ad prius illud concludendum concurrat. Quapropter per modum unius universim probabuntur, iis tamen pro re nata animadversis, quae ad unum aliudve specialius pertineant.

Bina asseruntur inter se connexa.

Probabuntur simul.

Quid distinctio formaliter realis et fundamentaliter realis.

21. Porro ex praeiactis in 1.ª Sectione et ex omnibus huc usque dictis satis patere existimandum est, quid nomine *distinctionis formaliter realis*, et *fundamentaliter realis* intelligamus. Ad priorem illam requiruntur binae entitates reales physica realitate, quarum altera non sit altera, utut utraque possit esse ad aliam ordinata in ratione physicae potentiae et physici actus: unde si istae debeant componi, requiritur physica aut realis unio inter eas, et ex hac unione habebitur proprie dicta compositio physica, et totum ex partibus physicis compositum. Ad alteram vero non requiruntur binae entitates reales, sed res una aut una realis aut physica entitas, quae ex vi suae realitatis efferri possit duplici conceptu aut definitione formali distinctis, praesertim si hi conceptus aut hae definitiones adaequate distinguantur, ita nimirum ut unius conceptus vel nullo modo, vel saltem *in recto* non ingrediatur in definitionem alterius. Sic in praesenti, realis rei cuiuslibet creatae essentiam dicimus esse: *Realem complexum praedicatorum, quibus res quaelibet est id, quod est*, vel *quibus in determinato genere determinataque specie constituitur;* exsistentiam vero esse: *Id, reale utique seu physicum, quo res quaelibet formaliter est extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas, aliquid in rerum natura.* In utraque definitione, iuxta nos, una et eadem res aut realis et physica entitas effertur, sub duplici tamen formali ratione diversa, quarum neutra alteram includit, uti evidens est.

Quae sufficiunt ad distinctionem fundamentaliter realem.

Ad secundam ergo, seu ad *distinctionem fundamentaliter realem* sufficit: — α) vera res, seu terminus primae intentionis: — β) ut habeantur bini conceptus saltem formaliter adaequate distincti: — γ) ut illa res, prout realis est, fundet illos conceptus formales adaequate distinctos. Utrum bini conceptus formaliter inadaequate distincti possent sufficere ad distinctionem fundamentaliter realem necne; omnino est asserendum, quando distinctio inadaequata, uti in praesenti est, habetur ex ipsa re et non ex imperfecto modo cognoscendi nostro; in hoc enim casu semper daretur reale fundamentum.

Assertionis nostrae sensus.

22. Dicimus ergo in assertione nostra: Critice loquendo, ex D. Thoma secundam hanc distinctionem modo declaratam inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque evidenter probari, non probari evidenter primam. In qua assertione fere consentientem habemus Dominicum Soto.

Consentit Sotus.

Scribit enim: « Admonitos esse oportet dialecticos, ne in via S. Thomae decipiantur. Sunt enim apud Doctorem Sanctum tres distinctiones frequentes, quas falso tanquam eandem quis posset confundere. Una est distinctio *esse* ab *essentia*, altera *naturae* a *supposito*, et tertia *universalis* a *particulari*, seu *magis universalis* a *minus universali*. — De prima distinctione nihil certi apud Aristotelem habemus: sed S. Thomas (*de Ente et Essentia c. 5. et II. C. G. c. 52. et 1. p. q. 3. a. 4. et alibi saepe*) hanc costituit differentiam inter Deum et creaturas, quod in solo Deo esse et exsistere sit de quidditate et essentia sua; quia, cum sit prima Causa, si de se non haberet esse, nullo modo posset ab alio habere; sed tamen in creaturis esse non est de essentia, quia essentiae sunt perpetuae, sed tamen esse recipiunt

Prima distinctio *esse ab essentia*.

ex tempore a Deo, quod capite praecedenti, et super prologum Porphyrii q. 1. obiter exposuimus, nec locus est hic latius id disputandi. Sed id solum addiderim, quod *non est res tanti momenti hanc distinctionem aut concedere aut negare...* », uti superius retulimus.

Secunda distinctio *naturae a supposito.*

23. « Nec de secunda distinctione multa hic expendentur plura, quam quae super eundem prologum q. 3. annotavimus : videlicet quod homo et humanitas censentur apud S. Thomam realiter distingui, eo quod seclusa operatione intellectus illa est falsa : *Homo est humanitas*, in sensu formali ; quamvis in sensu identico concedendum sit quod : *Homo est res, quae est humanitas.* Et ideo hanc forsan est disputare de nomine appellare *distinctionem realem aut formalem.* Hic modus loquendi omnibus antiquis philosophis fuit semper receptissimus. Qui fundatur primo in Aristotele, *III. de Anima. text. 9.*, ubi ait quod aliud est magnitudo et aliud magnitudinis esse, et aliud est aqua et aliud aquae esse, id est, quidditas ; et *I. de Anima* dicit quod actiones non sunt formarum, sed suppositorum, ut anima non texit, sed homo. Tandem ratione concedimus quod homo intelligit et ambulat, negamus tamen quod humanitas ambulat aut disputat. Item concedimus quod Christus assumpsit humanitatem, et negamus quod assumpsit hominem. Quae loquutiones videntur insinuare plusquam distinctionem ex natura rei inter humanitatem significatam in abstracto et humanitatem significatam in concreto : quae licet non sit tanta, quanta inter substantiam et accidens ; nihilominus est tanta, quanta sufficit ad negandam propositionem illam in sensu formali ».

Obiectio ex Aristotele.

24. « Quod si quis obiiciat illud Aristotelis, *VII. Metaph. text. 21.*, *In his, quae sunt per se*, id est, *in substantiis, idem est quod quid est, et id cuius est*, respondetur ut ibi respondet S. Thomas, *Lect. 5.*, quod quidditas significata in abstracto distinguitur a supposito, et hoc intendit Aristoteles loco citato *III. de Anima:* quidditas vero in concreto non distinguitur ab illo, et hoc praetendit *VII. Metaph.* Quod est dicere : istae sunt verae in sensu formali: *Homo est animal, homo est rationale ;* sed istae sunt falsae: *Homo est animalitas, homo est rationalitas.* Et ratio est, quia homo dicit id, quod habet humanitatem et omnia accidentia, humanitas vero non est subiectum accidentium : quare non concedimus: *Humanitas ambulat*, aut *humanitas est alba*, sed homo. Et ideo, *1. p. q. 3. a. 3.*, concludit S. Thomas quod in solo Deo, ubi nullum est accidens, Deus et Deitas non distinguuntur realiter, sed solum ratione. Unde *VII Metaph.* infert quod neque humanitas est species, sed principium speciei, nec animalitas est genus, sed principium generis ; quia humanitas non est homo, sed est id, quo Petrus est homo. Atque quod diximus de *esse et essentia*, dicimus de *natura et supposito:* scilicet quod *non est grave peccatum, quantum ad nomen, negare hanc distinctionem realem*, dummodo concedatur quod homo disputat et humanitas non disputat, et quod homo est habens humanitatem, et tamen humanitas non habet hominem. Fateor tamen *optime antiquos vocasse hanc distinctionem realem, postquam seclusa operatione intellectus est haec differentia* ».

Responsio.

Tertia distinctio inter *universale et particulare.*

25. « Tertia distinctio est ad propositum inter universale et particulare, seu inter magis universale et minus universale, quam, super prologum Porphyrii, q. 3., secundum Scotum diximus esse *formalem*, secundum S. Thomam esse solum rationis »[1].

Summa dictorum Soti de essentia et esse quoad distinctionem.

26. Missis tantisper quae Sotus dicit de secunda et tertia distinctione, quae subinde usui erunt et plenius declarabuntur, de distinctione inter creati entis actualem essentiam et esse insinuat sequentia : — α) Pertinere ad doctrinam D. Thomae quod τὸ *esse* sit de essentia Dei, non autem de essentia creaturae, quamvis in creaturis *identice* una et eadem sint res : quod plenius ex iis, quae dicit in secunda distinctione, intelligitur : — β) Non esse rem magni momenti, asserta formali aut essentiali distinctione inter esse et essentiam creaturarum, negare realem : — γ) Recte tamen aut *forsan docte* distinctionem illam formalem aut essentialem fuisse dictam ab antiquis *realem ;* quia ante usum rationis, quoad suum nimirum fundamentum, *in re* est. Enimvero, uti declarat S. Doctor : « Sciendum quod ipsa conceptio intellectus tripliciter se habet ad rem, quae est extra animam. Aliquando enim hoc, quod intellectus concipit, est similitudo rei exsistentis extra animam, sicut hoc quod concipitur de hoc nomine *homo*, et talis conceptio intellectus habet fundamentum in re immediate, in quantum res ipsa ex sua conformitate ad intellectum facit quod intellectus sit verus, et quod nomen significans illum intellectum proprie de re dicatur. — Aliquando autem hoc, quod significat nomen, non est similitudo rei exsistentis extra animam, sed est aliquid, quod consequitur ex modo intelligendi rem, quae est extra animam, et huiusmodi sunt intentiones, quas intellectus noster adinvenit, sicut significatum huius nominis *genus* non est similitudo alicuius rei, extra animam exsistentis, sed ex hoc, quod intellectus intelligit animal ut in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis, et huiusmodi intentionis licet proximum fundamentum non sit in re, sed in intellectu, tamen remotum fundamentum est res ipsa. Unde intellectus non est falsus, qui has intentiones adinvenit ; et simile est in omnibus aliis, quae consequuntur ex modo intelligendi, sicut est abstractio mathematicorum, et huiusmodi. Aliquando vero id, quod significatur per nomen, non habet fundamentum in re, neque proximum, neque remotum, sicut conceptus chimaerae ; quia neque est similitudo alicuius rei extra animam, neque consequitur ex modo intelligendi rem aliquam naturae, et ideo illa conceptio est falsa »[2]. Ex qua D. Thomae doctrina licet *colligere* non solum dici posse veram et realem distinctionem illam, quae in re naturae invenitur habetque in re naturae fundamentum proximum ; sed etiam illam, quae consequitur ex modo intelligendi rem naturae, quaeque in re naturae solum habet fundamentum remotum, uti intelligitur ex illis verbis : *Et simile est in omnibus*

Declaratio ex D. Thoma.

Quid, ex S. Doctore, sint intentiones.

Collectio ex D. Thoma.

[1] Sotus, *In Dialecticam Aristotelis, De praedic. Substantiae, q. 1. § ad quaestionem respondetur.*

[2] D. Thomas, *In I. Dist. 2. q. 1. a. 3. corp.*

aliis, quae consequuntur ex modo intelligendi, sicut est abstractio mathematicorum, et huiusmodi. Inter haec abs dubio etiam distinctio rationis ratiocinatae potest numerari. Age vero, ex Soti sententia, hoc altero sensu veteres saltem plures, ac ipse D. Thomas, realem appellarunt distinctionem, quae inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque intercedit. Haec autem distinctio illa est, quam nos diximus *fundamentaliter realem*, dum prior illa proprie est *formaliter realis.*

Monitum quoad argumentum ab extrinseca auctoritate derivatum.

27. Monemus tandem in assertione probanda nos ab argumento ex extrinseca auctoritate derivato omnino temperaturos, consulturos autem Doctorem Sanctum. Neque vero exinde aliquid nobis timendum. Quamvis enim multo abhinc tempore sententia docens distinctionem formaliter realem ceu D. Thomae sententia a pluribus fuerit tradita; tamen quos in prima thesis parte laudavimus, sive ex veteribus sive ex recentioribus, alii aut clare docent aut vehementer insinuant oppositam D. Thomae fuisse sententiam; alii de ea dubitant; alii transmittendo permittunt. Scribit Molina: « Licet Doctores citati conveniant in rebus creatis exsistentiam ex natura rei distingui ab essentia; D. Thomas tamen (ut eum interpretatur Caietanus, Ferrariensis, Capreolus et multi alii) affirmat distinctionem illam esse realem..... »[1]. Suaresius item: « Prima (*sententia*) est, *inquit*, exsistentiam esse rem quandam distinctam omnino realiter ab entitate essentiae creaturae. *Haec existimatur esse opinio D. Thomae*, quam in hoc sensu sequuti sunt *fere* omnes antiqui Thomistae »[2]. Uterque ergo permissive ex aliorum, non ex propria sententia loquitur. Imo hunc loquendi modum implicare saltem dubium de mente D. Thomae ex aliis locis potest satis ostendi. Sic Molina postquam dubium movit de mente D. Thomae circa motionem divinam, subdit: « Quidquid autem sit de loco illo paulo ante citato, *forte neque D. Thomas a nobis dissentit.* Caietanus namque, qui modum loquendi Divi Thomae servat, ita ad hunc decimum tertium articulum suam ac Divi Thomae sententiam interpretatur, ut prorsus nobiscum consentiat, ut disputatione trigesima quarta videbimus »[3]. Molina heic, non obstante Caietani interpretatione sibi favente, circa mentem D. Thomae dubius haeret, non eam ratam habet. Quidni idem de loco nostro dicatur? — Suaresius vero, post illa quae ex ipso retulimus, subinde in eadem disputatione loca, in quibus D. Thomas dicit animam rationalem communicare suum esse corpori, iuxta suam sententiam optime declarat. Ultimo vero addit: » Quod si quis tandem contendat D. Thomam sensisse illud ipsum esse immateriale, quod manet in anima separata, esse integrum et totale esse, quo totus homo exsistit, quod citatis locis et aliis insinuat....., dicere consequenter debet D. Thomam procedere in ea sententia, quod esse sit res

[1] Molina, *In 1.am p.em D. Thomae. q. 3. a. 4. Disp. 2.*
[2] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 1. n. 3.*
[3] Molina, *In 1.am p.em D. Thomae, q. 14. a. 13, Disp. 26.*

distincta ab essentia, quam nos nunc non defendimus »[1]. Ergo neque Suaresius in re praesenti ratam habet D. Thomae sententiam, sed eam interpretationibus variis patere satis innuit, in quibus discutiendis sibi non immorandum esse arbitratur. De Lugo vero scribit: « Ultimo potest obiici S. Thomas, quem Thomistae indubitanter censent stare pro sua sententia; alii indubitanter stare pro contraria. Ego credo rem esse satis dubiam, quod fatentur aliqui acerrimi sectatores, inter quos est Antonius de Rubio[2] »[3]. Tandem, ex recentioribus P. Kleutgen dubius haeret[4]. — Nihil demum moramur quod Scotus et eius schola distinctionem realem Aquinati tribuerunt. Tenebantur enim, ut notum est, praeiudicio quodam D. Thomam impugnandi, nec consequenter subtilius inquirebant, quaenam eius hac in re esset sententia.

Conclusio.

28. Quae cum ita sint, argumentum ex extrinseca auctoritate petitum, in re praesenti, haudquaquam nobis debet esse terrori; praesertim cum illa auctoritas, magnam partem, ex iis confletur qui, ut dictum est, hereditario quasi iure debitove in illam iverunt sententiam; vel eam ad D. Thomam impugnandum, ut erat animo praeceptum, eidem tribuerunt. Tum illud etiam sequitur minus sane temperate in hac quaestione P. Tiphanum et P. Cornoldi fuisse loquutos; nec exageratione carere quod scripsit P. de Maria: « Ingenue fatemur *mirabile* videri et *ostento* simile, homines eruditos et, ut supponimus, in pervolutandis Aquinatis voluminibus sane versatos, tam confidenter ac libere affirmare S. Thomam nullo in loco docuisse aperte distinctionem realem essentiae ab esse in creaturis »[5]: quos tamen adprobat Dr. Rittler in suo opusculo: *Exsistentia et essentia in creaturis iuxta doctrinam S. Thomae Aquinatis*[6]. Sed enim ad demonstrationem transeamus.

§ I.

Probatur assertio negative.

Argumentum generale.

29. Distinctio formaliter realis inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque, critice loquendo, evidenter probaretur vel: — α) ex iis locis, in quibus Angelicus Doctor videtur eam senten-

---

[1] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 11. n. 13.*

[2] Rubio, *I. Physic. Tract. 2. de materia prima.*

[3] Lugo, *Methaph. De Essentia et exsistentia, Disp. 2. Sect. 4.*

[4] P. Iosephus, Kleutgen, La Filosofia antica, Tratt. 6. n. 578. « Da una parte, *inquit*, non può negarsi, che una reale distinzione dell' esistenza dall'essenza sia molto ardua a concepirsi, e che la mente facilmente può essere indotta in errore, se non procede con grande cautela: dall' altra parte pare, che tutto quello che di sopra con S. Tommaso venne detto riguardo alla potenzialità dell' essere finito, non richiegga altra distinzione nelle cose esistenti, salvo quella, ch' è chiamata virtuale..... Volentieri lasciamo ad altri il chiarire, se è possibile, pienamente una questione così oscura ».

[5] De Maria, *S. Thomae Aquinatis Opuscula, Opusc. 1. c. 2. p. 23. — Nota.*

[6] D.r Alois Rittler, *Wesenheit und Dasein in den Geschöpfen nach der Lehre des hl. Thomas von Aquin, Einleitung, 1. Geschichtlicher Uberblick.*

tiam explicite tradere; vel: — β) ex iis, in quibus illam videtur tradere aequivalenter; vel: — γ) ex iis, in quibus argumenta rationesque profert ad suam sententiam stabiliendam confirmandamque; vel tandem: — δ) ex iis, in quibus doctrina distinctionis inter actualem essentiam et esse creati entis utitur tanquam principio ad veritates alias demonstrandas; praeter haec enim nihil aliud dici posse videtur, nihil certe dicitur de facto ab adversariis, quod ad unum ad aliudve ex memoratis capitibus non commodissime referatur. Atqui, critice loquendo, evidens est ex memoratis capitibus non probari evidenter distinctionem formaliter realem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque a D. Thoma fuisse traditam, sed solum distinctionem fundamentaliter realem. Ergo. — Maior et consequentia sunt evidentes. Probanda est quadripartita minor.

I.

Ex locis, in quibus Angelicus Doctor videtur explicite tradere distinctionem realem, critice loquendo, non probatur evidenter distinctio formaliter realis, sed solum fundamentaliter realis.

30. Misso dubio, quin certo certius spurio textu: « In creaturis esse essentiae et esse actualis exsistentiae differunt realiter, ut duae diversae res » [1]; quo tamen maxime nituntur Ioannes a S. Thoma [2], Goudinius [3], aliique; loca indubia S. Doctoris, in quibus distinctionem illam explicite tradere videtur, illa sunt quae, loco modo laudato, recenset P. De Maria. Haec igitur disquisitioni subiicienda sunt. Seponitur textus spurius.

Discutitur Angelici textus in librum Boetii de Hebdomadibus Lect. 2.

31. Primus locus est, quem legimus in Commentario Boetii: *De Hebdomadibus*, qui sic habet: « Diversum est esse, et id quod est. Ipsum enim esse nondum est: at vero id quod est, accepta essendi forma, est atque consistit. Quod est, participare aliquo potest; sed ipsum esse (*al. deest* ESSE) nullo modo aliquo participat. Fit enim participatio, cum aliquid iam est. Est autem aliquid, cum esse susceperit. Id quod est, habere aliquid praeterquam quod ipsum esse (*al.* EST) potest; ipsum vero esse nihil aliud praeter se habet admixtum. Diversum est tamen esse aliquid in eo quod est, et esse aliquid (*al.* DIVERSUM EST TANTUM ESSE ALIQUID, ET ESSE ALIQUID IN EO QUOD EST); illic enim accidens, hic substantia significatur. Omne quod est participat eo, quod est esse, ut sit: alio (*al.* ALIA) vero participat, ut aliquid sit; ac per hoc id, quod est, participat eo, quod est esse, ut sit; est Textus controversus. Textus Boetii.

[1] *Summa totius Logicae Tract. 2. c. 2. inter Opusc. D. Thomae*, Edit. Rom. Opusc. 48.

[2] Ioannes a S. Thoma, *Philosophia naturalis, q. 7. a. 4.*

[3] Goudin, *Metaphysica, q. 2. a. 3.*

vero, ut participare alio quolibet possit (*al.* EST VERO, UT PARTICIPAT ALIO QUOLIBET). Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est. Omne simplex esse suum et id quod est unum habet »[1].

32. Hunc Boetii locum S. Doctor quoad singula fere verba sententiasque omnes latissime et concinne declarat; atque omnes possunt eius declarationem totam continenter legere in commodissima editione Opusculorum D. Thomae, quam adornavit P. De Maria[2]. Primus locus genuinus. Quae directius in rem nostram faciunt, sequentia sunt: « Deinde cum dicit: *Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est*, ponit conceptiones de composito et simplici, quae pertinent ad rationem *unius*. Est autem considerandum quod ea, quae supra dicta sunt de diversitate *ipsius esse* et *eius quod est*, est secundum ipsas intentiones; hic autem ostendit quomodo applicentur ad res: et primo ostendit hoc in compositis, secundo in simplicibus, ibi: *Omne simplex esse suum et id quod est unum habet.* Est ergo considerandum quod, sicut *esse* et *quod est* differunt in simplicibus secundum intentiones; ita *in compositis differunt realiter*: quod quidem manifestum est ex praemissis. Dictum est enim supra, quod ipsum esse neque participat aliquid, ut eius ratio constituatur ex multis; neque habet aliquid extraneum admixtum, ut sit in eo compositio accidentis: et ideo ipsum esse non est compositum. Res ergo composita non est suum esse: et ideo dicit quod in: *Omni composito aliud est esse, et aliud ipsum compositum*, quod est participatum (al. *participandum*) ipsum esse ».

33. « Deinde cum dicit: *Omne simplex esse suum et id quod est unum habet*, ostendit qualiter se habet in simplicibus, in quibus est necesse quod *ipsum esse* et *id quod est* sit unum et idem realiter. Si enim esset aliud realiter *id quod est* et *ipsum esse*, iam non esset simplex, sed compositum. Est tamen considerandum quod, cum simplex dicatur aliquid ex eo, quod caret compositione, nihil prohibet aliquid esse secundum quid simplex in quantum caret aliqua compositione, quod tamen non est omnino simplex: unde ignis et aqua dicuntur simplicia corpora, in quantum carent compositione, quae est ex contrariis, quae invenitur in mixtis; quorum tamen unumquodque est compositum tum ex partibus quantitatis, tum etiam ex forma et materia. Si ergo inveniantur aliquae formae non in materia, unaquaeque earum est quidem simplex quantum ad hoc, quod caret materia, et per consequens quantitate, quae est dispositio materiae; *quia tamen quaelibet forma est determinativa ipsius esse*, nulla earum est ipsum esse, sed est habens esse. Puta, secundum opinionem Platonis, ponamus formam immaterialem subsistere, quae sit idea et ratio hominum materialium, et aliam formam, quae sit idea et ratio equorum; manifestum erit quod ipsa forma immaterialis subsistens, cum sit quid-

[1] Boetius, *De Hebdomadibus, paulo post princ.*

[2] S. THOMAE AQUINATIS, *Doctoris Angelici Opuscula Philosophica et Theologica*..... Editio accurate recognita..... a MICHAELE DE MARIA S. I..... Tiferni Tiberini (Città di Castello) ex officina typographica S. Lapi, 1886.

dam determinatum ad speciem, *non est ipsum esse commune*, sed participat illud : et nihil differt, quantum ad hoc, si ponamus illas formas immateriales altioris gradus, quam sint rationes horum sensibilium, ut Aristoteles voluit. Unaquaeque enim illarum, in quantum distinguitur ab alia, quaedam specialis forma est participans ipsum esse : et sic nulla earum erit vere simplex. Id autem erit solum vere simplex, quod non participat esse, non quidem inhaerens, sed subsistens. Hoc autem non potest esse nisi unum ; quia si ipsum esse nihil habet admixtum praeter id, quod est esse, ut dictum est, impossibile est id, quod est ipsum esse, multiplicari per aliquid diversificans : et quia nihil aliud praeter se habet admixtum, consequens est quod nullius accidentis sit susceptivum. Hoc autem unum simplex et sublime est ipse Deus ». Haec, loco laudato, D. Thomas.

34. Hoc loco S. Doctor manifeste docet : — α) Cum Boetio, *esse et quod est* in rebus compositis *realiter differre :* — β) Contra Boetium, etiam in simplicibus aut in formis immaterialibus creatis, cuiuscumque tandem gradus perfectionis sint, *esse et quod est differre realiter*, et non *secundum solas intentiones*. Declarata enim simplicis compositique in rebus ipsis ratione (de rebus enim et non de solis intentionibus hoc loco disputat), demum subdit : « Unaquaeque enim illarum (*formarum simplicium in sua quidditate*), in quantum distinguitur ab alia, quaedam specialis forma est participans ipsum esse : *et sic nulla earum est vere simplex* ». Quasi diceret : In re composita esse et quod est differunt realiter, quia res composita non est suum esse, sed participat esse. Atqui etiam forma simplex creata quaelibet non est suum esse, sed participat esse. Ergo etiam in qualibet forma simplici creata esse et quod est differunt realiter : — γ) In forma simplici increata esse et quod est nullo modo differre ; quia ipsa est suum esse, et nullo modo participat esse. Huius doctrinae intelligentiam quaerimus. Quid ex Boetio, quid contra Boetium doceat D. Thomas.

35. Ut autem eam assequamur, unaque perspiciamus : Utrum S. Doctor, hoc loco, doceat in creato ente actualem essentiam exsistentiamque distinctione *formaliter* an solum *fundamentaliter reali* inter sese discriminari, bina sunt definienda. Primum est : Quid heic intelligendum sit per id, quod dicitur *esse;* quid per id, quod dicitur *quod est.* Secundum est : Quo sensu ea dicuntur *realiter differre.* Quid *esse?* quid *quod est?*

36. Ad primum quod attinet, certum est prorsus terminum illum : *Quod est* proprie et regulariter significare ipsum suppositum. Non negant hoc adversarii, imo aperte tuentur, uti saepe in superioribus visum est, *esse* et *essentiam* dici et esse entia, *quibus* suppositum est; ipsum autem compositum suppositumque esse *id, quod est.* Ceterum, uti etiam in Soto legimus, Aristoteles saepe, et S. Doctor noster tum alibi, tum etiam hic per *quod est* suppositum intelligit. Loquitur enim de substantiis singularibus subsistentibus sive compositis sive simplicibus, hasque vocat singillatim *quod est.* Substantiae autem illae supposita sunt. — Quod si per *quod est* suppositum intelligitur, per *esse* proprie hoc loco *Quod est* universim significat *suppositum.*

Esse hoc loco proprie significat *essentiam.*

Philosophus.

D. Thomas.

non exsistentia, sed essentia significatur. Hoc sensu dixit Philosophus : *Erat enim dolabrae esse substantia ipsius*, « Id est, forma dolabrae, secundum quam accipitur ratio dolabrae, quam quidem rationem nominat *esse* dolabrae, eo quod secundum eam dolabra dicitur esse dolabra », inquit in hunc Philosophi locum S. Doctor [1]. Rursum Philosophus : *Vivere autem viventibus esse est.* Ac S. Doctor : » Probat quod supposuerat..... Illud est causa alicuius, ut *substantia*, id est, ut forma, quod est causa essendi. Nam *per formam unumquodque est actu.* Sed anima viventibus est causa essendi ; per animam enim vivunt, et ipsum vivere est esse eorum. Ergo anima est causa viventis corporis, ut forma » [2].

37. Ut autem cetera mittam, in hoc loco nostro, ubi varias, iuxta Boetium, edisserit intentiones : « Quia forma, *inquit*, est principium essendi, necesse est quod, secundum quamlibet formam habitam, habens aliqualiter *esse* dicatur. Si ergo forma illa non sit praeter essentiam habentis, sed constituat eius essentiam ; ex eo quod habet talem formam, dicetur habens *esse* simpliciter, sicut homo ex hoc, quod habet animam rationalem. Si vero sit talis forma, quae sit extranea ab essentia habentis eam, secundum illam formam non dicetur *esse* simpliciter, sed *esse* aliquid, sicut secundum albedinem homo dicitur *esse* albus » [3]. Subinde vero : « Deinde cum dicit : *Illic enim accidens, hic substantia significatur*, ponit tres differentias inter praemissa : quarum prima est quod : *Illic*, id est, ubi dicitur de re quod sit aliquid, et non sit simpliciter, significatur : *Accidens ;* quia forma, *quae facit huiusmodi esse*, est praeter essentiam rei : *Hic* autem, cum dicitur esse aliquid in eo, quod est : *Significatur substantia ;* quia scilicet forma *faciens esse constituit essentiam rei* » [4]. Unde forma *facit esse* aut *simpliciter*, aut *secundum quid*, quatenus aut constituit essentiam rei, aut aliquid praeter essentiam, hominem vel album. Atqui homo vel albus non significant exsistentiam, sed essentiam. Ergo esse, quod facit forma, non est esse exsistentiae, sed esse essentiae. — Quapropter ubi subinde, non de intentionibus, sed de rebus ipsis agit, S. Doctor ait : « Res ergo composita non est suum esse : et ideo dicit quod in : *Omni composito aliud est esse, et aliud ipsum* compositum, quod est: *Participatum* (*al. participandum*) *ipsum esse* ». Compositum autem est participatum vel participandum esse essentiae : quod *a fortiori* dicere debent adversarii, ne dicant esse exsistentiae esse realiter idem cum composito, quod maxime oderunt. — Tandem : « Manifestum erit, *subdit*, quod ipsa forma immaterialis subsistens, cum sit quiddam determinatum ad speciem, non est ipsum esse commune, sed participat illud ». Forma autem ad speciem determinata esse essentiae abs dubio innuit. Itaque de esse essentiae, seu de essentia et supposito, hoc loco,

[1] D. Thomas, *In II. de Anima, Lect. 2. fere ab init.*
[2] *Idem. Ibidem, Lect. 7.*
[3] D. Thomas, *Hoc loco.*
[4] *Idem. Ibidem.*

Angelicus loquitur. Ceterum uti ens, nominaliter sumptum, essentiam, quae est vel esse potest ex omnium meminit doctrina; ita *esse*, nominaliter item sumptum, eandem essentiam potest designare et, ex allatis probationibus, hoc loco reipsa designat.

Dictis suppositis, nequit ex hoc loco evidenter demonstrari realis distinctio adversariorum.

38. Hac, quam demonstravimus, terminorum *esse* et *quod est* potestate constituta, non solum patet locum hunc non posse evidenter demonstrare distinctionem formaliter realem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque; sed etiam locum ipsum ad distinctionem illam demonstrandam ab adversariis minus scite prorsus afferri. Quidquid enim *pro reali differentia* intelligendum sit, data illa terminorum significatione, Angelici praeceptoris doctrina est de re alia, non de *esse* et *essentia actuali creati entis*. Videlicet Angelici locus ad quaestionem nostram definiendam est, ut loquuntur Dialectici, *de subiecto non supponente*. Frustra igitur ex eo probatur.

Ex Angelico suppositum et essentia substantialis, singularis, totalis identicum quid sunt.

39. Novi sane, ex Angelici doctrina, suppositum aut *quod est* cum essentia singulari totalique, sive composita sive simplici, *quodammodo* identificari: quod in Disputationibus nostris theologicis *De Deo Uno et Trino* satis constabilivimus [1]. Sit satis meminisse de compositis quidem rebus: « Dicendum quod natura dicitur constituere suppositum etiam in compositis ex materia et forma, non quia *natura sit una res et suppositum alia res* (hoc enim est secundum opinionem dicentium quod natura speciei sit forma tantum, quae constituit suppositum sicut totum); sed quia *secundum modum significandi* natura significatur ut pars, ratione supradicta (nam in significatione naturae includitur solum id, quod est de ratione speciei: suppositum autem non solum habet haec, quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quae ei accidunt, *ut loquitur in corp. art.*), suppositum vero ut totum; natura significatur ut constituens, suppositum ut constitutum » [2]. De substantiis vero simplicibus: « Quia, ut dictum est, *inquit*, intelligentiae quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas vel essentia eius est ipsum, quod est ipsa » [3].

Obiectio.

40. Hinc hoc loco, inquiunt, *quod est* non *formaliter* suppositum, sed essentiam ipsam substantialem singularem aut actualem potest imo debet *denominative* significare, quae per τὸ *esse* exsistentiae aut formaliter constituitur in ratione suppositi, aut non in ratione naturae, sed in ratione suppositi quodammodo determinatur. Unde S. Doctor post verba ultimo laudata immediate subdit: « Et ideo quidditas vel essentia eius (*intelligentiae*) est ipsum quod est ipsa, et esse suum receptum a Deo est id, quo subsistit in rerum natura: et propter hoc a quibusdam huiusmodi substantiae dicuntur componi ex *quo est* et *quod est*, vel ex *quo est* et *essentia*, ut Boetius dicit in *1. Praedicamento* ». In loco autem nostro: « Quia tamen quaelibet forma est determinativa ipsius esse, nulla earum est

---

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, in 1.am p.em D. Thomae, Disp. 1. q. 3. n. 94.*
[2] D. Thomas, *Quodlib. 2. a. 4. Resp. ad Sed contra.*
[3] *Idem, De Ente et Essentia, c. 5.*

ipsum esse, sed est habens esse ». Ubi S. Doctor τὸ *esse* opponit formae, atque adeo naturae aut essentiae.

Responsio.

41. Verum quamvis absolute, imo in aliis etiam D. Thomae locis, *quod est* stare possit aut stet pro essentia singulari, *esse* vero pro esse exsistentiae ; inde non sequitur in loco nostro stare aut posse stare alterum pro essentia singulari, alterum pro esse exsistentiae. Obstant probationes omnes allatae. Qui vero citatur textus id non probat, sed probat oppositum. Loquitur utique D. Thomas de forma, sed de forma subsistente : haec autem dicitur τοῦ *esse* determinativa et habens esse, sed determinativa esse essentiae, et habens esse essentiae, non determinativa esse exsistentiae et habens esse exsistentiae. Sequitur enim S. Doctor : « Puta, secundum opinionem Platonis, ponamus *formam immaterialem subsistere*, quae sit idea et ratio hominum materialium..... : manifestum erit quod ipsa *forma immaterialis subsistens*, cum sit quiddam determinatum ad speciem, non est ipsum esse commune, sed participat illud ». Ergo, quia forma subsistens est determinata ad speciem, habet partem esse communis, et non est ipsum esse commune. Ergo hoc esse commune illud est, cuius pars habetur ex vi naturae specificae. Natura autem specifica quaelibet est pars esse nominaliter sumpti, seu esse essentiae, non esse exsistentiae : vel secus, si esset ipsum esse exsistentiae, hoc ipsum esse sibi identificaret, et ab ipso non realiter distingueretur : quod, utrum placeat adversariis, non est quare pluribus significemus.

Animadversio in eos, qui docent suppositum ipso substantiali esse exsistentiae constitui formaliter.

42. Quod vero obiter ex quorundam, praesertim Neothomistarum opinione insinuatum est, ipsum esse exsistentiae in substantiis formaliter suppositum constituere ; non sine aliqua animadversione transmittendum est. Ut in *Tractatu de Incarnatione* demonstrabitur, id sine ratione ulla et Patrum doctrina, quin contra rationem omnem et ratam certamque Patrum doctrinam a suis patronis affirmatur. Afferamus hic aliquid, non omnia, unice ex D. Thoma. Scribit S. Doctor : « Cuicumque potest aliquid accidere, quod non sit de ratione suae naturae, in eo differt res et quod quid est, sive suppositum et natura. Nam in significatione naturae includitur solum id, quod est de ratione speciei : suppositum autem non solum habet haec, quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quae accidunt : et ideo suppositum significatur per totum, natura autem sive quidditas, ut pars formalis. In solo autem Deo non invenitur aliquod accidens praeter eius essentiam ; quia suum esse est sua essentia, ut dictum est : et ideo in Deo est omnino idem suppositum et natura. Angelo autem non est omnino idem ; quia aliquid accidit ei praeter id, quod est de ratione suae speciei ; quia et ipsum esse Angeli est praeter eius essentiam seu naturam, et alia quaedam ei accidunt, quae omnino pertinent ad suppositum, non autem ad naturam » [1]. Rursum : « Substantiis immaterialibus creatis accidunt quidem

D. Thomas

[1] D. Thomas, *Quodlib. 2. a. 4. corp.*

aliqua praeter rationem speciei, quae non sunt determinativa essentialium principiorum, ut dictum est; non tamen accidunt eis aliqua, quae sunt determinativa essentiae speciei..... Sed, quia non est suum esse, accidit ei aliquid praeter rationem speciei, scilicet ipsum esse, et alia quaedam, quae attribuuntur supposito, et non naturae: propter quod suppositum in eis non est omnino idem cum natura »[1]. Tandem: « Dicendum quod non omne, quod accidit alicui praeter rationem speciei, est determinativum essentiae ipsius, ut oporteat illud poni in ratione eius, sicut dictum est. Et ideo *licet ipsum esse non sit de ratione suppositi; quia tamen pertinet ad suppositum* et non est de ratione naturae; manifestum est quod suppositum et natura non sunt omnino idem in quibuscumque res non est suum esse »[2].

43. Age vero si esse *attribuitur quidem supposito*, et *pertinet ad suppositum*, sed tamen *non est de ratione suppositi*, quomodo potest ipsum *esse* suppositum formaliter constituere? Numquid quod formaliter rem constituit, ut anima humana hominem, potest unquam de eius ratione non esse? — Ad haec, S. Doctor in Quodlibeto modo citato, tum in aliis operibus, ubi de eodem agit[3], distinguit quaestionem de identitate aut distinctione essentiae et esse a quaestione de identitate aut distinctione naturae et suppositi. Si autem suppositum formaliter per ipsum esse exsistentiae in substantiis constitueretur, alterutra duarum quaestionum necessario redundaret. Si enim esse ipsi essentiae identicum esset aut distinctum, suppositum per τὸ esse formaliter constitutum naturae aut essentiae identicum esset aut distinctum; et vicissim. Alterutra igitur duarum quaestionum locum non haberet. Non viderit D. Thomas quod vel caeci viderent? Aut libuit multiplicare quaestiones incassum? Quid quod nunquam suppositum aut personam per τὸ *esse* definit? Non definisset autem per id, quod formalissimum in supposito esset?

44. *Dices:* Angelicus ait: « Esse pertinet ad ipsam constitutionem personae »[4]. Rursum: « Esse est, in quo fundatur unitas suppositi »[5]. Ergo esse exsistentiae est formale constitutivum suppositi. — *Respondeo: Neg. consequentiam*, quae ex neutro loco sequitur. In *primo* enim *loco* S. Doctor non loquitur de *esse exsistentiae*, sed de esse completo et personali, quod in persona quodammodo composita, qualis Christus est, iuxta eius doctrinam resultat ex omnium componentium unione. Quapropter docet ipsum esse, non ab entitatula realiter distinta, sed *a natura* resultare, et se habere *in ratione termini*, seu signare ipsius naturae complementum aut totietatem. En eius verba: « Ad quartum dicendum

---

[1] *Idem, Ibidem, ad 1.um*

[2] D. Thomas, *Quodlibeto 2. q. 2. a. 4.* — Legesis *a. 3.*

[3] Cfr. *Summ. Theol. 1. p. q. 3. aa. 3. 4.* — *Contra Gentes, lib. 1. cc. 21. 22.* — *Compendium Theologiae, cc. 10. 11.* etc.

[4] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 19. a 1. ad 4.um*

[5] *Idem, Quodlibeto 9. a. 3. ad 2.um*

quod esse et operari est *personae a natura;* aliter tamen et aliter. Nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personae; et sic quantum ad hoc se habet *in ratione termini :* et ideo unitas personae requirit unitatem *ipsius esse completi et personalis* ». — In *secundo* vero loquitur de eodem esse personali, resultante ex iis, ex quibus suppositum integratur; quae, quatenus ad substantivam unitatem reducuntur, unicum constituunt suppositum; non constitutura, si remanerent multa. Quare, post verba citata, addit : *Unde esse multiplex praeiudicat unitati essendi.* In corpore vero dixerat : « *Esse* ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti : huic autem attribuitur esse duplex. Unum scilicet esse *resultans ex his, ex quibus eius unitas integratur*, quod proprium est esse suppositi substantiale ». Verum de hoc plenius, ubi de doctrina Incarnationis erit sermo. Redeamus ad nostra.

Quo propriissimo sensu, hoc loco, a D. Thoma τὸ *esse* consideratur.

45. Constitutum est in loco nostro *quod est* suppositum, τὸ *esse* essentiam significare. Permittamus autem illud essentiam singularem aut actualem, hoc praeseferre esse exsistentiae; vel praescindamus ab hac quaestione, inquiramusque quo sensu D. Thomas in hoc loco memoret *esse*, sive demum sit essentiae, sive sit exsistentiae; hoc enim, uti statim intelligetur, omnino necessarium est ad quaestionem nostram ultimo definiendam. Quaerimus ergo: Sive hic sermo sit de esse essentiae, sive de esse exsistentiae, quid per τὸ *esse* hoc loco intelligit S. Doctor, *essene* commune, indeterminatum, abstractum, an *esse* particulare singulisque entibus proprium, determinatum, reale ?

Monitum.

Antequam respondeamus, monendum est, quidquid respondeatur, id relate ad res exsistentes esse intelligendum, seu *quod est* ipsas signare res exsistentes. Monet S. Doctor : « Est considerandum quod ea, quae supra dicta sunt de diversitate ipsius *esse*, et eius *quod est*, est secundum ipsas intentiones; hic autem ostendit (*Boetius*) quomodo applicetur *ad res :* et primo ostendit hoc in compositis; secundo in simplicibus, ibi : Omne simplex..... ».

S. Doctor loquitur non de esse particulari, sed de esse communi.

46. Hoc praeiacto fundamento, ad propositam quaestionem omnino respondendum est S. Doctorem non de *esse*, quod in rebus singulis particulare et proprium, determinatum, reale invenitur, et quatenus in rebus singulis invenitur, sermonem habere; sed de *esse*, quatenus est communissima ratio, eademque indeterminata et abstracta, quae ab inferioribus potest participari. Et, ut nunc praescindamus a Boetio, et D. Thomam partim approbantem, partim complentem quae a Boetio tradita fuerant, audiamus; S. Doctor tradit aperte τὸ *esse* in compositis differre realiter a *quod est*, quia *esse*, ex premissis, simplex est; res autem composita simplex non est. Illud ergo *esse* comparat cum re exsistente, quod in declarandis intentionibus definivit, quodque simplex esse conclusit. Age vero *esse*, de quo in antecessum fuerat praedicata simplicitas, est *esse* non alicui individuo proprium, determinatum, reale; sed commune, indeterminatum, abstractum. *Prob. ant.* « Est ergo, *inquit Aquinas*, primo considerandum quod *esse* et *quod est*..... in compositis differunt realiter : *Quod quidem manifestum est ex*

Demonstratur.

praemissis. Dictum est enim supra quod ipsum esse neque participat aliquid, ut eius ratio constituatur ex multis ; neque habet aliquid extraneum admixtum, ut sit in eo compositio accidentis : et ideo ipsum *esse* non est compositum. Res ergo composita non est suum esse : et ideo dicit quod in : *Omni composito aliud est esse, et aliud ipsum* ». — *Prima item consequentia* est evidens, quia *ex praemissis*, seu ex intentione τοῦ *esse* in antecessum declarata S. Doctor argumentatur. Probanda igitur est subsumpta, videndumque quo pacto τὸ *esse* in intentionibus declarandis ab eo fuerit intellectum.

47. *Prob. subs.* « Circa ens, *ait*, consideratur ipsum *esse*, quasi quoddam *commune* et *indeterminatum*, quod quidem dupliciter determinatur ; uno modo ex parte subiecti, quod *esse* habet ; alio modo ex parte praedicati, utpote cum dicimus de homine, vel de quacumque alia re, non quidem quod sit simpliciter, sed quod sit aliquid, puta album vel nigrum ». Ergo *esse*, de quo sermo est, *commune* est et *indeterminatum*, non proprium et determinatum. — Primo.
Rursum : « Aliud, *inquit*, significamus per hoc, quod dicimus *esse*, et aliud per hoc, quod dicimus id, *quod est ;* sicut et aliud significamus, cum dicimus *currere*, et aliud per hoc, quod dicitur *currens.* Nam currere et *esse* significantur *in abstracto*, sicut et albedo ; sed *quod est*, id est, ens et currens significantur sicut *in concreto*, velut album ». Ergo *esse*, de quo sermo, commune est, indeterminatum, abstractum. — Ad haec : « Praetermisso, *inquit*, tertio modo participandi, impossibile est quod secundum duos primos modos ipsum *esse* participet aliquid. Non enim potest participare aliquid per modum, quo materia vel subiectum participat formam, vel accidens ; quia, ut dictum est, ipsum *esse* significatur ut *quiddam abstractum.* Similiter autem non potest aliquid participare per modum, quo particulare participat universale : sic enim ea, quae in abstracto dicuntur, participare aliquid possunt, sicut albedo colorem ; sed *ipsum esse est communissimum.* Unde ipsum quidem participatur in aliis, non autem participat aliquid aliud. Sed id *quod est*, sive ens, quamvis sit communissimum, tamen concretive dicitur : et ideo participat ipsum *esse*, non per modum quo magis commune participatur a minus communi ; sed participat ipsum *esse* per modum, quo concretum participat *abstractum.* Hoc est ergo, quod dicit quod : *Id quod est*, scilicet ens, *participare aliquo potest ; sed ipsum esse nullo modo participat aliquo:* et hoc modo probat ex eo, quod supra dictum est, scilicet quod: *Ipsum esse nondum est.* Manifestum est enim quod id, quod non est, non potest aliquo participare ». Ergo iterum *esse*, de quo sermo est, est communissimum, abstractum, quodque, qua tale, reale nihil est. — Tandem : « Considerandum est, *subdit*, quod, circa quodcumque *abstracte* consideratum, hoc habet veritatem quod non habet in se aliquid extraneum, quod scilicet sit praeter essentiam suam, sicut humanitas, et albedo, et quaecumque hoc modo dicuntur. Cuius ratio est, quia humanitas significatur ut *quo* aliquid est homo, et albedo quo aliquid est album. Non est Secundo. Tertio. Quarto.

autem aliquid homo, formaliter loquendo, nisi per id, quod ad rationem hominis pertinet; et similiter non est aliquid album formaliter nisi per id, quod pertinet ad rationem albi: et ideo huiusmodi abstracta nihil alienum in se habere possunt..... Quia igitur, sicut dictum est, ipsum *esse* significatur *abstractum;* id autem, *quod est*, ut *concretum;* consequens est verum esse quod hic dicitur quod: *Id, quod est, potest aliquid habere praeterquam quod ipsum est*, scilicet praeter suam essentiam; *sed ipsum esse nihil habet admixtum praeter suam essentiam* ». Ergo rursum *esse*, quod contemplatur Aquinas, est *esse* abstractum, ac porro indeterminatum, commune, non particulare et proprium, determinatum, reale.

Quinto.

48. Possunt haec *confirmari* ex iis, quae ultimo habet S. Doctor: « Id erit, *memorat*, solum vere simplex, quod non participat esse, non quidem inhaerens, sed subsistens. Hoc autem non potest esse nisi unum; quia si ipsum *esse* nihil aliud habet admixtum praeter id, quod est *esse*, ut dictum est; impossibile est id, quod est ipsum esse, multiplicari per aliquid diversificans: et quia nihil aliud praeter se habet admixtum, consequens est quod nullius accidentis sit susceptivum. Hoc autem simplex unum et sublime est ipse Deus ». Itaque de illo *esse* heic loquitur S. Doctor, quod, quatenus totum purum esse est, et subsistens est, est ipse Deus. At *esse* huiusmodi est esse commune, indeterminatum, abstractum, non esse particulare et huic aut illi enti proprium, determinatum, reale; esse enim commune analogice Deo competit et creaturis, sed per prius et simpliciter Deo, ac solum secundum attributionem aut proportionalitatem creaturis, uti vel a vestibulo Ontologiae iuvenes docentur.

49. Ut iam ad secundum, quod ab initio propositum est, transeamus; cum in tuto positum sit quid per *esse* et *quo est* Angelicus intelligat; inquirendum tandem superest quo sensu dicat in entibus realibus creatis, sive compositis sive simplicibus, *esse* et *quod est realiter differre*. Enimvero, ex dictis, ceu ratum haberi debet differentiam aut distinctionem illam non posse dici ab Angelico *realem*, quod intercedit inter *rem et rem positivam* in eodem ordine; neque quod intercedit inter *rem et realem rei modum*, uti stricte et proprie intelligitur *distinctio formaliter realis*. Manifestum est enim omnibus *esse* commune, indeterminatum, abstractum non praeseferre *realem rem* in ordine physico aut realitatis, quamvis eam praeseferat in ordine metaphysico aut intelligibilitatis. Ad haec, S. Doctor cum Boetio, uti saepius legimus, sine ulla dubitatione monent τὸ *esse* commune, indeterminatum, abstractum in ordine physico esse *nihil;* neque praeseferre *realem aut physicum modum*, tum ob allatam modo rationem; tum quia *modus physicus* non est rei ratio simpliciter essendi, uti simpliciter essendi ratio est aliquando in substantiis *esse*. Utrumque D. Thomas complexus est, ubi ait: « Hoc est ergo quod dicit (*Boetius*) quod id, *quod est*, scilicet ens, participare aliquo potest; sed ipsum *esse* nullo modo participat aliquo: et hoc modo probat ex eo, quod supra dictum est, scilicet quod *ipsum esse nondum est*. Manifestum est enim

Quo sensu ait Aquinas: In entibus creatis sive compositis, sive simplicibus, *esse*, et *quod est* realiter differre? Quo sensu non dicit.

Quare.

quod id, *quod non est*, non potest aliquo participare. Unde consequens est quod participatio conveniat alicui, cum *iam est*. Sed ex hoc *aliquid est, quod suscipit suum esse*, sicut dictum est ».

50. Sed enim si a D. Thoma inter *quod est* aut reale ens et *esse* realis asseritur distinctio, non quod sunt binae res, aut res et realis modus : quo tandem sensu asseritur ? Subiectae rei consideratio doctrinaque heic ab Angelico evoluta cogit omnino asserere distinctionem illam ab ipso *realem* dici : — α) quod intercedit inter rem et nihil : — β) inter rem determinatam, seu partem τοῦ *esse*, et rem indeterminatam, seu totam essendi rationem. Sub priori respectu, uti iam praemonuimus, distinctio illa proprie est *realis negativa*, seu *mixta* ex reali et non reali ; utpote quae non utrinque res binas, aut rem et modum realem exhibet ; sed hinc quidem rem, inde vero nihil, et hoc independenter a quolibet mentis aut rationis exercitio. Sub secundo respectu illa distinctio non solum realis negativa seu mixta dicenda est, sed dicenda insuper est *inadaequata*. Res enim quaelibet creata quamvis totam τοῦ *esse* rationem non exaequet, nec quidquid in ipsa est, *esse* sit ; ac propterea, modo loquendi D. Thomae, dici nequeat esse *suum esse*, uti *suum esse* dicitur Deus ; tamen cum partem saltem τοῦ *esse* habeat, secundum hanc partem ab *ipso esse* non distinguitur : et sic illa distinctio non est adaequata, sed inadaequata. Quo sensu dicit.

51. Quod ut plenius intelligatur, addendum est, quamvis *res* et *esse* a parte rei sint independenter a nostris conceptibus ; rem tamen ut *suppositum*, vel ut *essentiam actualem*, vel ut *quod est* inspectam, et *esse abstractum* aut *commune*, inter quae distinctionem realem asserimus, conceptus formales aut intentiones revera esse, quas intellectus in reali ente adinvenit, aut afformat ex fundamento reali, quod extra animam est. Huiusmodi autem distinctio proprie ratione fundamenti *realis* est et dici potest, quemadmodum in superioribus ipse nos docuit Thomas ; per se tamen et formaliter rationis ratiocinatae distinctio est, seu est distinctio non *formaliter*, sed solum *fundamentaliter realis*. Quapropter nostra vel mentis distinctio est, quam in loco, quem prae manibus habemus, inter *quod est* et *esse* D. Thomas agnoscit ; sed quia ex reali fundamento derivatur, realem vocat distinctionem, quae proinde non *formaliter*, sed *fundamentaliter solum realis* est. D. Thomae mens plenius declaratur.

52. Quandoquidem, in loco nostro, *esse* et *quod est* verius essentiam suppositumque significant, iuverit quae diximus de distinctione partim *negativa*, partim *fundamentaliter reali*, eademque *inadaequata* ex aliis D. Thomae locis confirmare : « Dicendum, *inquit S. Doctor*, quod persona aliud significat, quam natura. Natura enim, ut dictum est art. praec., significat *essentiam speciei*, quam significat definitio. Et si quidem his, quae ad rationem speciei pertinent, nihil aliud adiunctum inveniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam a supposito naturae, *quod est individuum subsistens in natura illa ;* quia unumquodque individuum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum sua natura. Contingit autem in quibusdam rebus subsistentibus inveniri aliquid, Confirmatur ex aliis locis.

quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia et principia individuantia, sicut maxime apparet in his, quae sunt ex materia et forma composita. Et ideo in talibus *etiam secundum rem* differt natura et suppositum, *non quasi omnino aliqua separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, et superadduntur quaedam alia, quae sunt praeter rationem speciei :* unde suppositum significatur ut totum habens naturam ut partem formalem et perfectivam sui, et propter hoc in compositis ex materia et forma natura non praedicatur de supposito ; non enim dicimus quod hic homo sit sua humanitas. Si qua vero res est, in qua omnino nihil aliud est praeter rationem speciei vel naturae suae, sicut est in Deo, ibi non est aliud secundum rem suppositum et natura, sed solum secundum rationem intelligendi ; quia natura dicitur secundum quod est essentia quaedam ; eadem vero dicitur suppositum secundum quod est subsistens »[1]. — Eadem doctrina paulo aliter alibi ab Aquinate proponitur : « Sciendum est, *inquit*, quod in rebus compositis ex materia et forma necesse est quod differant natura vel essentia et suppositum ; quia essentia vel natura comprehendit in se illa tantum, quae cadunt in definitione speciei, sicut humanitas comprehendit in se ea, quae cadunt in definitione hominis ; his enim homo est homo, et hoc significat humanitas, hoc scilicet quo homo est homo. Sed materia individualis cum accidentibus omnibus individuantibus ipsam non cadit in definitione speciei ; non enim cadunt in definitione hominis hae carnes et haec ossa, aut albedo vel nigredo, vel aliqua huiusmodi. Unde hae carnes et haec ossa, et accidentia designantia hanc materiam non concluduntur in humanitate ; et tamen in eo, quod est homo, includuntur. Unde id, quod est homo, habet in se aliquid, quod non habet humanitas, et propter hoc non est *totaliter idem* homo et humanitas ; sed humanitas significatur ut pars formalis hominis, quia principia definientia habent se formaliter respectu materiae individuantis. In his vero, quae non sunt composita ex materia et forma, in quibus individuatio non est per materiam individualem, id est, per hanc materiam, sed ipsae formae per se individuantur, oportet quod ipsae formae sint supposita subsistentia : unde in eis non differt suppositum et natura »[2].

Ex locis comparatis aliqua inferuntur.

53. Ex utroque loco comparato, iisque accitis, quae paulo ante ex Quodlibeto 2. corrivavimus, habemus : — α) *naturam* esse ipsam essentiam speciei, a conditionibus individuantibus praecisam : — β) *suppositum* vero, naturae individuum subsistens : — γ) naturam *constitui* complexu praedicatorum aut notarum, quibus constituitur species, aut effertur definitio essentialis : — δ) suppositum *constitui* eo, quo constituitur individuum naturae substantialis, aut individuum subsistens naturae : — ε) in formis subsistentibus naturae individuum subsistens *ipsa sola forma constitui ;* quamvis, si crea-

---

[1] *Idem, Summ. Theol. 3. p. q. 2. a. 2. corp.*
[2] *Idem, Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 3. corp.*

tum sit, (uti supra ex Quodlibetis clarius intelleximus id, quod hic vel supponitur vel solummodo indicatur) ad ipsum pertineat *esse*, ipsique attribuantur accidentia : — ζ) in substantiis compositis ex materia et forma individuum subsistens naturae *constitui per hanc materiam*, utique *signatam*, ut hic supponitur, ad ipsumque rursum pertinere *esse* et alia accidentia : — η) Si ergo in formis subsistentibus creatis natura et suppositum *constitutive* inspiciantur, *realiter* loquendo, sunt omnino idem, sed differunt *ratione ; quia natura dicitur secundum quod est essentia quaedam; eadem vero dicitur suppositum secundum quod est subsistens*, ut hic docetur; si vero suppositum accipiatur *concretive*, uti hic innuitur et clare dicitur in Quodlibeto superius laudato, sic etiam in formis subsistentibus creatis natura et suppositum *realiter differunt*, quia suppositum aliquid realiter includit, quod ad naturam non pertinet: — θ) In substantiis vero ex materia et forma compositis, suppositum tum *constitutive* tum *concretive realiter differt* a natura, ut natura, nimirum a natura communi ; tum quia suppositum constitutive includit principium individuationis, v. g. in homine *has carnes et haec ossa*, quod non includitur in ratione naturae communis ; tum quia concretive ad ipsum pertinent accidentia omnia sive physica, sive metaphysica aut logica, uti sunt *esse* et proprietates metaphysicae. Haec D. Thomas.

54. Misso supposito creato *concretive* inspecto quod, quatenus includit accidentia physica realiter a physica substantia distincta, extra controversiam est distingui distinctione formaliter reali inadaequata a substantiali natura reali, cum non sit *totaliter* idem cum ipsa; si quaeratur quomodo *suppositum constitutive* distinguatur a natura communi ? Responsio est : 1.° In formis subsistentibus, cum ex doctrina D. Thomae, natura communis non habet communitatem specificam, sed species quaelibet sit necessario singularis aut individua, suppositum *constitutive* et naturam nullo modo *realiter*, sed *sola ratione* distingui : 2.° In compositis ex materia et forma, cum natura communis habeat communitatem specificam, et non sit seipsa singularis, sed singularis sit per hanc materiam signatam, quae tamen simul cum hac forma in singulis individuis sibi realiter identificat naturam specificam ; haec natura specifica distinguitur a supposito distinctione non *formaliter reali*, sed *fundamentaliter reali*. Primum, quia natura specifica eiusque singularitas in unoquoque individuo non sunt duae res, sed una eademque ; secundum, quia individuum addit naturae specificae *quod sit haec*. Nam hic homo non est anima et corpus ut unita, sed est haec anima et hoc corpus ut unita. Hoc autem pro nobis reale fundamentum est distinguendi in hoc homine naturam a supposito *distinctione fundamentaliter reali*, eademque *inadaequata*. « Sed materia individualis, *inquit S. Doctor*..... non cadit in definitione speciei. Non enim cadunt in definitione hominis hae carnes et haec ossa.....: unde hae carnes et haec ossa..... designantia hanc materiam non concluduntur in humanitate, et tamen in eo, quod est homo, includuntur. Unde id, quod est homo, habet in se ali-

Quomodo in doctrina D. Thomae suppositum *constitutive* differat a natura communi.

quid, quod non habet humanitas; et propter hoc *non est totaliter idem homo et humanitas* ». Rursum: « In talibus (*in his, quae sunt ex materia et forma composita*) etiam secundum rem differt natura et suppositum, *non quasi omnino aliqua separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, et superadduntur quaedam alia, quae sunt praeter naturam speciei* ». — Quod si natura speciei in compositis *abstracta*, atque porro *prout nihil est in ordine physico* inspiciatur; natura vero substantiae simplicis *prout est solummodo possibilis* consideretur; conferaturque utraque cum substantia singulari aut exsistente in ordine physico aut, quod idem est, cum supposito, nulli plane dubium esse potest naturam illam sic consideratam realiter a supposito distingui, sed distinctione reali primo quidem *negativa* aut *mixta*, secundo vero *inadaequata*. Notetur hic obiter D. Thomam nullibi requirere ad suppositi constitutionem *modum illum physicum perseitatis*, quem aliqui comminiscuntur; sed sola totalitate aut totietate substantiae singularis in se suppositum designare. Sed de hoc alibi.

Generalis conclusio contra adversarios.

55. Ex dictis demum colligimus abesse longissime ut, ex loco huc usque discusso, sive absolute sive relative considerato, distinctio formaliter realis inter creati entis actualem essentiam et esse evidenter probetur: quin evidens est prorsus illam distinctionem ex hoc loco evidenter non probari. Nam vel de essentia actuali creati entis eiusque exsistentia, prout nunc de ea disputamus, heic non est quaestio; vel, de quacumque re quaestio sit, in loco nostro non docetur distinctio formaliter realis, sed solummodo realis fundamentaliter; vel demum docetur distinctio realis negativa eademque inadaequata, quae distinctionem fundamentaliter realem aut sibi identificat, aut facillime infert. Liceret iam ex hoc loco ea proferre, quae reali identitati simpliciter dictae inter creati entis actualem essentiam et esse omnino favent. Sed ut methodo inserviamus, haec suo loco, Deo favente, proferentur.

Obiectio.

56. *Dices:* S. Doctor ait: « *Id autem erit solum vere simplex, quod non participat esse, non quidem inhaerens, sed subsistens* ». Ex quo: Esse participatum est esse inhaerens. At esse inhaerens realiter distinguitur ab essentia actuali, ceu a suo subiecto. Ergo esse participatum realiter distinguitur ab essentia actuali. — *Respondeo: Dist. mai.* Est inhaerens *inhaerentia physica*, *Neg. mai. Inhaerentia logica* aut pressius, ut nunc loquimur, *metaphysica*, *Conc. mai. — Contrad. min.* Esse inhaerens *inhaerentia metaphysica* realiter distinguitur ab essentia actuali, *Neg. min. Inhaerentia physica*, *Conc. min.*, sed *Neg. suppositum.* Inhaerentia propria est accidentis. Talis igitur ipsa est, quale est accidens, de cuius ratione est, saltem quoad aptitudinem. Si accidens sit physicum, physica erit inhaerentia; si metaphysicum aut, uti veteres loquebantur, logicum, erit metaphysica aut logica. Iam vero, ex Angelici doctrina, τὸ *esse* participatum non est accidens physicum, sed metaphysicum aut logicum, quatenus τὸ *esse* non est de essentia entis participati, sed ipsi a Deo productione confertur. Ergo etiam inhaerentia, quae ipsi competit, non est physica, sed metaphysica

Responsio.

Declaratur multipliciter.

aut logica. Audiamus D. Thomam : « Cum omne, quod est praeter essentiam rei, dicatur accidens ; *esse*, quod pertinet ad quaestionem : AN EST, est accidens : et ideo Commentator dicit in *V. Metaphys.* quod ista propositio : *Socrates est*, est de accidentali praedicato secundum quod importat entitatem rei, vel veritatem propositionis. Sed verum est quod hoc nomen : ENS, secundum quod importat rem, cui competit huiusmodi esse, sic significat essentiam rei »[1]. Ad difficultatem vero, quam sibi obiecerat : « Nullum accidens cadit in substantialem compositionem substantiae. Sed esse Angeli est accidens..... Ergo Angelus non est *essentialiter* compositus ex essentia et esse ». Respondet : « Dicendum quod esse est accidens, non quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cuiuslibet substantiae ». Docet ergo quod *esse* accidens est non physicum, sed metaphysicum ; et consequenter quod ex ipso et essentia haberi potest *essentialis* seu metaphysica, non *realis*, compositio. Quapropter in responsione *ad primum* eiusdem articuli docet ex essentia et esse resultare *non rem compositam*, sed *rationem compositam ;* et eandem doctrinam tradit in articulo sequenti, uti legenti patet. Scripsit etiam: « *Esse* non dicitur accidens, quod sit in genere accidentis, si loquamur de esse substantiae ; est enim actus essentiae : sed per quandam similitudinem ; quia non est pars essentiae, sicut nec accidens »[2] est nimirum pars essentiae. Atque ita saepe alibi. Quare hac ratione conciliari posse videntur varia D. Thomae loca, in quibus modo videtur τὸ *esse* inter accidentia amandare, modo accidentibus subtrahere, etiam quando de substantiis loquitur, quin opus sit ad abstrusam illam conciliandi rationem, quam prosequitur Auctor Opusculi *De Concordantiis* in re praesenti. D. Thomae τὸ *esse* non est accidens physicum et proprie dictum, sed metaphysicum et similitudinarium ; uti non est forma aut actus physicus ac proprie dictus, sed metaphysicus et dictus similitudinarie. Quapropter ipsi tribuit per similitudinem quandam aliquando *inhaerentiam*, quae accidenti physico attribuitur, uti in loco nostro : aliquando *adhaerentiam*, quae ad formam informantem dependentemque a materia pertinet, uti in Quodlibeto laudato videre est : aliquando aliter loquitur, uti obvium notumque est. Sic in *lib. Dist.* docet τὸ *esse* subsistere ipsa essentia, ut *quo:* « In omnibus aliis (*a Deo*) esse, *inquit*, est praeter quidditatem, cui esse acquiritur. Sed cum quidditas, quae sequitur compositionem, dependeat ex partibus, oportet quod ipsa non sit subsistens in esse, quod sibi acquiritur ; sed ipsum compositum, quod suppositum dicitur. Et ideo quidditas compositi non est ipsum *quod est*, sed est hoc *quo* aliquid est, ut humanitate est homo. Sed quidditas simplex, cum non fundetur in aliquibus partibus, subsistit in esse, quod sibi a Deo acquiritur. Et ideo ipsa quidditas Angeli est *quo subsistit etiam ipsum suum esse*, quod est praeter suam quidditatem, et est id *quod est*, sicut

Excluditur Auctor Opuscoli : *De Concordantiis.*

Insignis D. Thomae locus.

[1] D. Thomas, *Quodlibeto 2. a. 3.*
[2] D. Thomas, *QQ. DD. De potentia, q. 5. a. 4. ad 3.um*

motus (*exemplum est, quod nota*) est id, quo aliquid denominatur moveri. Et sic Angelus compositus est ex *esse* et *quod est*, vel ex *quo est* et *quod est*. Et propter hoc in *lib. de causis* dicitur quod intelligentia non est *esse* tantum, sicut causa prima; sed est in ea esse et forma, quae est quidditas sua. Et quia *omne, quod non habet aliquid ex se, sed recipit illud ab alio, est possibilis vel in potentia respectu eius; ideo ipsa quidditas est sicut potentia, et suum esse acquisitum est sicut actus; et ita per consequens est ibi compositio ex actu et potentia;* et si ista potentia vocetur materia, erit compositio ex materia et forma, quamvis hoc sit omnino aequivocum dictum. Sapientis enim est non curare de nominibus »[1].

Generalis collectio.

57. Quis, etiam praescindendo ab iis, quae superius legimus, *quo est* et *quod est* differre *secundum modum significandi*, quamvis *re* sint idem; se habere *ut partem formalem* et *ut totum*, ut *constituens* et *constitutum;* etc.: quis, inquam, non videat heic sermonem non esse de rebus, sed de intentionibus aut de rationibus formalibus, quae ex eo derivantur omnes, quod essentia creati entis non exsistit *ex vi sui*, sed *per productionem a Deo?* Hinc enim fit ut, ubi aliquid aliud praeter ipsam in ente producto invenitur, ipsa dicatur esse non id, *quod* exsistit, sed *quo* aliud exsistit; ipsa *pars formalis*, aliud *totum;* ipsa *constituens*, aliud dicatur *constitutum:* ubi in re nihil praeter ipsam *constitutive* est, ipsa, ut *possibilis est*, dicatur *sicut potentia*, ut *actualis est*, seu eius actualitas dicatur *sicut actus;* unde ipsa sit ratione *suae actualitatis* aut *sui esse*, *esse* autem ratione ipsius *subsistat?*

Discutitur locus ex I. Dist. 19. q. 2. a. 2.

D. Thomae textus.

58. Quaerit Aquinas: « *Utrum nunc aeternitatis sit ipsa aeternitas..... Respondeo:* Dicendum quod, secundum Philosophum[2], tempus est mensura ipsius motus, et nunc temporis est mensura ipsius mobilis. Unde sicut est idem mobile secundum substantiam in toto motu, variatur tamen secundum esse, sicut dicitur quod Sortes in foro est alter a seipso in domo; ita nunc est etiam idem secundum substantiam in tota successione temporis, variatum tantum secundum esse, scilicet secundum rationem quam accipit prioris et posterioris. Sicut autem motus est actus ipsius mobilis, in quantum mobile est; ita esse est actus exsistentis, in quantum ens est. Unde quacumque mensura mensuretur esse alicuius rei, ipsi rei exsistenti respondet nunc ipsius durationis quasi mensura. Unde per nunc aevi mensuratur ipsum exsistens, cuius mensura est aevum, et per nunc aeternitatis mensuratur illud ens, cuius esse mensurat aeternitas. Unde sicut se habet quilibet actus ad id, cuius esse est actus; ita se habet quaelibet duratio ad suum nunc. Actus autem ille, qui mensuratur tempore, differt ab eo, cuius est actus, *secundum rem;* quia mobile non est motus; et secundum rationem successionis; quia mobile non habet substantiam

[1] *Idem, In II. Dist. 3. q. 1. a. 1. corp.*
[2] Aristoteles, *VI. Physic. text. 101.*

de numero successivorum, sed permanentium. Unde eodem modo tempus a nunc temporis differt dupliciter, scilicet *secundum rem*, quia nunc non est tempus, et secundum successionis rationem, quia tempus est successivum, et non nunc temporis. Actus autem, qui mensuratur aevo, scilicet ipsum esse aeviterni, differt ab eo, cuius est actus, *re quidem*, sed non secundum rationem successionis ; quia utrumque sine successione est. Et sic etiam intelligenda est differentia aevi ad nunc eius. Esse autem, quod mensuratur aeternitate, est *idem re* cum eo, cuius est actus, sed differt tantum ratione. Et ideo aeternitas et nunc aeternitatis non differunt re, sed ratione tantum, in quantum scilicet ipsa aeternitas respicit ipsum divinum esse, et nunc aeternitatis quidditatem ipsius rei, quae *secundum rem* non est aliud quam suum esse, sed ratione tantum ».

Declaratur Aquinatis doctrina.

59. Responsio igitur S. Doctoris ad quaesitum princeps haec est : *Aeternitas non re, sed ratione sola differt a nunc aeternitatis.*— Probat. Ita se habet aeternitas ad nunc aeternitatis, uti se habet esse aeternum ad ens aeternum : ad eum nimirum modum, quo ita se habet aevum ad nunc aevi, et tempus ad nunc temporis, ut se habent esse aeviterni ad ipsum aeviternum, et esse rei temporaneae aut mobilis ad ipsam rem temporaneam seu mobilem. Nam, uti intelligitur ex doctrina Philosophi de *tempore* et *nunc temporis*, ubique *duratio* est mensura τοῦ *esse* rei, quae durat, et ab ipso non distinguitur ; uti *nunc durationis* est mensura ipsius rei perdurantis, nec ab ipsa distinguitur. Atqui secus ac esse rei mobilis, qua mobilis, id est, ipse motus successivus, qui *re* et *successione* ab ipsa differt ; et secus ac esse aeviterni, quod sin minus *successione*, *re* saltem differt ab aeviterno ; esse rei aut entis aeterni neque *re*, neque *successione*, sed *ratione sola* differt ab ipso. Ergo etiam aeternitas, ad differentiam temporis et nunc temporis, aevi et nunc aevi, ratione sola differt a nunc aeternitatis. — Haec thesis, et haec probatio S. Doctoris in corpore articuli.

In Angelici doctrina sermo non est de aevo et tempore extrinseco ; sed de aevo et tempore intrinseco.

60. Qua in Angelici doctrina primum omnium monendum est sermonem non esse de aevo et tempore, prout extrinseca mensura sunt, alterum aeviternorum, alterum temporalium ; sed prout sunt singulorum sive aeviternorum, sive temporalium intrinseca mensura. Nam cum, ex ipsius Angelici doctrina, mensura extrinseca omnium aeviternorum sit aevum primi aeviterni ; mensura vero extrinseca omnium temporalium sit tempus aut motus, uti tunc dicebant, *primi coeli*, uti nunc loquimur, motus solis [1] ; facillime quidem intelligeretur quomodo tempus aut motus solis *re* et *successione* differret a mobilibus, seu a *nunc temporis ;* et quomodo aevum *re* sed non *successione* differt a *nunc aevi*, seu ab aeviternis ; sed istaec consideratio nullo modo inserviret ad quaestionem de aeternitate et nunc aeternitatis definiendam ; aeternitas enim, ex omnium sententia, proprie dictam extrinsecam mensuram non habet.

[1] Cfr. D. Thomam, *Summ. Theol. 1. p. q. 10. a. 4. seq. ac praesertim 6. et Commentarium nostrum in hos articulos.*

Certe facilius fuisset dictu aeternitatem non differre neque *successione*, neque *re* ab ente aeterno; quia ens aeternum nullam habet extrinsecam mensuram, a qua successione vel re distinguatur. Ceterum actus et esse, de quibus D. Thomas loquitur, ceu quid intrinsecum ipsis rebus durantibus aut mensuratis esse omnino perhibetur. Quae ergo dicit S. Doctor de ipso tempore et aevo intrinseco singulis aeviternis aut rebus temporalibus sunt intelligenda.

Textus controversus.

61. Hisce declaratis, praecipuus S. Doctoris locus, qui in controversiam vocatur, sequens est: « Actus, qui mensuratur aevo, scilicet ipsum esse aeviterni, differt ab eo, cuius est actus, *re quidem*, sed non secundum rationem successionis; quia utrumque sine successione est. Et sic etiam intelligenda est differentia aevi ad nunc eius ». Quaestio vero duplex est. PRIMA: *Quid, hoc loco, per* τὸ ESSE *intelligendum sit.* ALTERA: *Quo sensu, quave ratione illud heic dicatur ab aeviterno realiter distingui.*

Quaestio duplex.

Quid per τὸ *esse* hoc loco intelligatur.

62. Ad primum vero quod attinet, cum, uti constat ex dictis, τὸ *esse* apud D. Thomam possit significare aut *esse essentiae*, aut *esse exsistentiae*, et aliquando unum, aliquando aliud, et quidem aut *praecisive*, aut quodammodo *concretive*, actualem nimirum essentiam significet; non abs re quaeritur: de quo *esse* in hoc S. Doctoris loco sermo sit. Si quis autem animadvertat S. Doctorem opponere: *Esse alicuius rei ipsi* REI EXSISTENTI — et: *Per nunc aevi mensuratur* EXSISTENS, *cuius mensura est aevum, et per nunc aeternitatis mensuratur illud* ENS, *cuius esse mensurat aeternitas* — et: *Ipsum esse aeviterni differt* AB EO, CUIUS EST ACTUS; intelliget profecto τὸ *esse*, de quo heic sermo est, non esse illud, quod opponitur essentiae, sed plane illud, quod opponitur supposito, esse nimirum *quidditativum*, aut generalius *entitativum*. Et certe cum D. Thomas ex Philosophi doctrina de tempore et nunc temporis, seu de motu et mobili argumentetur; motus autem, qui τῷ *esse* respondet, non sit actus exsistentiae, sed actus entitativus ipsius mobilis; neque enim Sortes aliam exsistentiam habet domi, aliam foris, aliam prius, aliam posterius, quamvis secundum entitatem, intrinsece aut extrinsece quod nunc non quaero, mutetur; fit ut τὸ *esse*, quod a S. Doctore consideratur, non ad exsistentiam, sed ad quidditatem aut entitatem sit referendum. Adde quod, uti intelligitur ex articulo praecedenti huius eiusdem quaestionis et ex aliis eius operibus, iuxta S. Doctorem, discrimen inter tempus, aevum et aeternitatem ex eo formaliter habetur, quod tempus est mensura rerum in ipsa essentia physica transmutabilium; aevum, rerum in essentia quidem immutabilium, sed non ex vi suae essentiae, quare possunt accidentaliter et ab extrinseco etiam per annihilationem mutari; aeternitas demum, illius rei, quae est omnino et essentialiter immutabilis. *Esse* igitur, quod tribus illis mensuris a D. Thoma supponitur, non est esse exsistentiae, sed esse essentiae, ut a supposito contradistinctum.

Intelligitur *esse*, prout apponitur supposito, esse nimirum quidditativum aut entitativum Probatur.

Confirmatur.

Praeoccupatur difficultas.

63. Utique S. Doctor ait: « Aeternitas et nunc aeternitatis non differunt re, sed ratione tantum, in quantum scilicet ipsa aeter-

nitas respicit *ipsum divinum esse*, et nunc aeternitatis *quidditatem* ipsius rei, *quae* secundum rem non est aliud quam *suum esse*, sed ratione tantum »: ubi ipsum esse directe opponit non supposito, sed essentiae, adeoque loqui videtur de esse exsistentiae. Attamen immediate ante dixit: « *Esse* autem, quod mensurat aeternitas, est idem re CUM EO, *cuius est actus*, sed differt tantum ratione »; in *Contra* vero: « Aeternitas est ipse Deus. Sed in divina essentia non est aliqua realis diversitas. Ergo »: ubi rursum τὸ *esse* opponit supposito non essentiae. In responsionibus autem ad difficultates, etiam in Deo τὸ *esse* opponit supposito. Dicit etiam: « Esse, secundum rationem intelligendi, consequitur principia ipsius entis, quasi causam ». Huiusmodi autem *esse*, saltem primo et per se, uti super Boetium docuit Angelicus, est esse essentiae. Itaque cum in Deo, ex Angelici doctrina et veritate, concretum et abstractum, essentia et suppositum, essentia et esse, esse et Deus sint non solum realiter, sed etiam formaliter idem, et differant solum secundum conceptus praecisive inadaequatos; S. Doctor, ubi de Deo loquitur, liberiori quadam loquitur ratione, nisi forte ipsa aliud exigat conceptuum praecisio: quod hic certe, ubi de identitate aeternitatis et nunc aeternitatis quaestio est, locum non habet. Ratio ergo illa loquendi in Deo non impedit, quominus dicamus S. Doctorem, hoc loco, proprie esse essentiae supposito opponere, uti res ipsa constansque loquendi modus revera exigunt.

Permittitur hoc loco sermonem esse de *esse* exsistentiae, uti actuali essentiae opposito.

64. Ne tamen morosi nimium videamur, demus hoc loco de actuali essentia et esse exsistentiae sermonem esse. Addendum etiam est huiusmodi esse a D. Thoma non *praecise* aut abstracte, sed *concretive* aut in reali essentia reapse considerari. Considerat enim ipsum ut rei durationem constituens. Duratio autem nonnisi in reali ente de facto obtinet. Atque sic S. Doctor in articulo praecedenti ait: « Sciendum est quod tria praedicta nomina (*aeternitas*, *aevum*, *tempus*) significant durationem quandam. Duratio autem omnis attenditur secundum quod aliquid est in actu; tamdiu enim res durare dicitur, quamdiu in actu est, et nondum est in potentia »[1].

Quo sensu realiter distingui dicantur.

65. His constitutis, ut ad secundum transeamus, principio quidem repetendum est quod superius monuimus, si de esse essentiae deque aeviterni supposito, uti verius est, S. Doctoris verba in textu controverso sunt intelligenda, textum ad probandam distinctionem formaliter realem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque minus apte afferri. Quocumque enim sensu realis distinctio aut differentia a S. Doctore asseratur, non asseretur, hoc loco, distinctio formaliter realis inter actualem essentiam et esse, sed ad summum realis distinctio, quaecumque ea sit, inter naturam et suppositum: praesertim cum in superioribus satis probatum fuerit, ex D. Thoma suppositum formaliter ipso substantiali esse exsistentiae, uti quidam contendunt, haudquaquam constitui.

[1] D. Thomas, *In I. Dist. 19. q. 2. a. 1. corp.*

Ceterum quo sensu realem distinctionem naturam inter suppositumque creati entis S. Doctor agnoscat, ex dictis, in confesso est.

Natura et suppositum.

Realiter distinguit suppositum a natura ad eum modum, quo natura communis substantialis ab individuo naturae distinguitur, distinctione nimirum reali plane, sed primo quidem *inadaequata*, quatenus individuum naturam ipsam communem includit eique aliquid aliud superaddit; secundo vero *negativa* aut mixta, quatenus natura illa communis, secundum suam communitatem inspecta, non est terminus positivus, sed solummodo negativus; est enim, realiter loquendo, non-ens. Atque hinc si natura illa communis, non ut abstracte concipitur, sed in individuo ipso consideratur, realiter a supposito distingui dicitur a S. Doctore, non quasi natura communis sit una res et individuatio res alia, sed quatenus fundamentum in re est, ut naturam ipsam a naturae individuatione praescindamus, distinctisque conceptibus efferamus. Adde quod, iuxta D. Thomam, ad suppositum pertinent reliqua, quae in substantiali individuo sunt, ipsum nimirum esse seu essendi actualitas, quidquid hoc sit, accidentia operationesque omnes, quae ad naturam communem proprie non pertinent, et ratione quorum suppositum etiam dicitur a natura realiter distingui, uti in superioribus declaravimus.

Hac facta hypothesi D. Thomae obvia doctrina.

66. Huiusmodi data intelligentia, Angelici doctrina est obvia, facilis ac tota sibi cohaerens. Est enim: Ita se habet *duratio* ad *nunc durationis*, uti se habet realis rei quidditas ad rem, quae durat; realis enim rei quidditas, de qua intelligi potest quod persistit in rerum natura, est *duratio;* res autem ipsa, quae durat, *nunc* exhibet *durationis.* Si enim res est, aliquod nunc aut instans sibi vindicat. Atqui quidditas rei temporaneae aut essentialiter mutabilis differt re et successione a supposito aut a re temporanea; quidditas aeviterni differt re, sed non successione ab ipso aeviterno; quidditas rei aeternae nec re nec successione, sed ratione sola differt a re aeterna. Ergo eodem modo differunt singulae durationes a suo nunc relativo. — Qui sensus et quae expositio, si recte intelligant, adversariis ipsis deberet esse praeprimis cara, ne in re praesertim temporanea *suum esse*, quod fingunt *universalissimum*, *simplicissimum*, *uniforme*, *actualissimum*, faciant simul *successive transmutabile*, atque fictis illis omnibus perfectionibus repente spolietur.

Deberet etiam esse adversariis acceptissima.

Quo sensu realiter distingui dicantur τὸ *esse* et actualis essentia.

67. Sed enim gradiamur ad secundum sensum, supponamusque τὸ *esse* in loco controverso stare pro esse existentiae, prout ab actuali essentia immediate et directe contradistinguitur. Quaerimus quo sensu sequentia S. Doctoris verba sint in hac hypothesi intelligenda: *Actus, qui mensuratur aevo, scilicet ipsum esse aeviterni, differt ab eo, cuius est actus, re quidem, sed non secundum rationem successionis; quia utrumque sine successione est.* Hoc loco S. Doctor nullam aperte innuit rationem, quare τὸ *esse* aeviterni *re* differat ab *aeviterno.* Ex iis vero, quae dicit de motu et mobili, nimirum: *Quia mobile non est motus*, videtur haberi posse ratio: *Quia aevilernum non est suum esse.*

68. Si quaeramus: Quare aeviternum a D. Thoma dicitur non esse *suum esse?* Adversarii ex Capreolo referunt: Quia *esse*, quod est ultima creaturae perfectio: « Ut ponit Aegidius [1], nihil est aliud, quam quaedam actualitas impressa omnibus entibus a primo ente; nulla enim essentia creaturae est tantae actualitatis, quod possit actu exsistere, nisi ei imprimatur actualitas quaedam a primo ente, et illa actualitas impressa vocatur *esse*. Sicut ergo res corporales, aliae a quantitate, non sunt de se extensae, sed sunt in potentia ut extendantur per quantitatem; sic omnes aliae naturae a primo ente de se non exsistunt actu, sed sunt in potentia ad esse. Haec Aegidius » [2]. — Nos vero ex D. Thoma dicimus aeviternum non esse suum esse, quia *totum, quod in ipso est, non est esse substantiale, nec ipsum est totum esse, sed esse participat;* adeoque non est ex vi suae essentiae, sed ex vi productionis ab alio, seu a Deo. Declaravimus haec in exponendo loco super Boetium. Legimus praeterea in S. Doctore: « Quum in unoquoque sit sua essentia, si nihil in aliquo esset praeter eius essentiam, totum, quod res est, esset eius essentia: et sic ipsum esset sua essentia » [3]. Ergo si totum, quod in re est, esset esse, res illa esset suum esse: non esset autem suum esse, si totum non esset esse. Rursum: « Omnis res est per hoc, quod habet esse. Nulla igitur res, cuius essentia non est suum esse, est per essentiam suam, sed participatione alicuius, scilicet ipsius esse » [4], utique ab ente imparticipato aut Deo. Si staret adversariorum notio, τὸ *esse* dicendum esset entitas aliqua distinctione formaliter reali ab essentia distincta: data autem notione nostra, cum a parte rei nonnisi una daretur in aeviterno substantiva entitas, quae quatenus ex vi sui non est et potest determinato modo esse. dicitur essentia, quatenus per productionem a Deo in actu ponitur, τὸ *esse*, tanquam actualitatem quandam determinatam, a Deo intelligitur recipere; reale fundamentum praebet ut duplici distincto conceptu a nobis efferatur, dicanturque τὸ *esse* et *essentia actualis* aeviterni distinctione fundamentaliter reali inter sese distingui. Tum ad hanc consummandam distinctionem fundamentaliter realem cetera concurrunt, quae ab essentia actuali, qua tali, sive fluunt, sive in ipsa utcumque recipiuntur.

Capreolus. Aegidii positio. Positio nostra.

69. Utra harum responsionum ex mente est D. Thomae? Non responsio adversariorum, sed nostra. Nullibi, quod in exitu totius disquisitionis patebit, S. Doctor illam ingerit notionem; fere ubique sufficienter nostram. Ut autem id in praesenti loco nostro commonstremus, a motu et mobili incipiemus; in doctrina enim Philosophi circa motum et mobile suam Angelicus demonstrationem fundat. Motus aut mutatio in sui conceptu includit subiectum, quod ab aliquo esse ad aliquod esse vel non esse, vel secus, tran-

Utra sit D. Thomae?

---

[1] Aegidius Romanus, *Quodlibeto 1. q. 7.*
[2] Capreolus, *In I. Dist. 8. q. 1. a. 1. Quinta conclusio, sub fin.*
[3] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 1. c. 21.*
[4] *Idem, Ibidem, c. 22.* Videsis Uccellii notam.

Quid motus sive localis, sive ad quantitatem, ad qualitatem, ad substantiam?

seat. Motus ergo realis, quicumque sit, sive translativus, sive ad quantitatem, sive ad qualitatem, sive ad substantiam, nequit esse entitatula aliqua formaliter realiter distincta, quae subiecto imprimatur, ipsumque, quod prius erat mobile, denominet motum; sed necessario est ipsum subiectum prius et posterius ex agentis influxu aliter se habens, aut extrinsece, uti probabilius est in motu translatitio, qua tali, aut intrinsece uti in motu aut augmenti, aut alterationis, aut generationis. Si ergo motus realiter distinguitur a mobili, quia non est ipsum mobile, id non est quasi una realis entitas sit motus, et alia realis entitas sit mobile; sed quia conceptu formali in re fundato motus praecise concipitur definiturque: *Actus exsistentis in potentia, quatenus in potentia*, seu: *Tendentia mobilis in terminum;* mobile vero concipitur tanquam: *Id, quod de potentia transit in actum, non quidem perfectum, sed imperfectum*, seu: *Tanquam id, quod tendit in terminum.* Itaque

Concluditur probatio

quandoquidem ex doctrina D. Thomae motus est ipse actus ipsumque *esse* mobilis, qua mobilis; ac vi ipsius: *Sortes in foro* EST *alter a seipso in domo;* et huiusmodi *esse* tempore mensuratur: τὸ *esse* mobilis, qua mobilis, ab *actuali essentia* mobilis, qua mobilis, non distinctione formaliter reali, quasi sint binae entitates quarum una non est alia, sed distinctione distinguitur fundamentaliter reali, quatenus nos conceptum motus realiter distinctum a conceptu mobilis, qua mobilis, ex reali fundamento informamus. Iam vero ex S. Doctore ita se habet *esse aeviterni* ad *actualem essentiam* ipsius aeviterni, uti se habet esse mobilis, qua mobilis, ad actualem essentiam mobilis, qua mobilis. Ergo uti hic non datur distinctio formaliter realis, sed sola distinctio fundamentaliter realis; ita ibi non datur distinctio formaliter realis, sed sola datur distinctio fundamentaliter realis, atque hoc sensu S. Doctor dicit: *Aeviternum non est suum esse.*

Confirmatur.

70. Quae dicimus, claram confirmationem habent ex iis, quae docet Angelicus in articulo primo eiusdem quaestionis, in quo temporis, aevi et aeternitatis formale discrimen assignat, singulo-

D. Thomas.

rumque propriam determinat rationem. Scribit: « Esse in actu contingit dupliciter. Aut secundum hoc, quod actus ille est incompletus et potentiae permixtus, ratione cuius ulterius in actum procedit, et talis actus est *motus;* est enim motus actus exsistentis in potentia, secundum quod huiusmodi, ut dicit Philosophus [1]. Aut secundum quod actus non est permixtus potentiae, nec additionem recipiens perfectionis; et talis actus est actus quietus et permanens. Esse autem in tali actu contingit dupliciter. Vel ita, quod ipsum esse actu, quod res habet, *sit sibi acquisitum ab alio;* et tunc res habens tale esse est potentialis respectu huius actus, quem tamen perfectum accepit. Vel esse actu est rei *ex seipsa*, ita quod est *de ratione quidditatis suae;* et tale esse est esse divinum, in quo non est aliqua potentialitas respectu huius

[1] Aristoteles, *Physic. lib. 3. text. 6.*

actus. Sic igitur patet quod est triplex actus. Quidam, cui non substernitur aliqua potentia, et tale est esse divinum et operatio eius ; et huic respondet loco mensurae *aeternitas*. Est alius actus, cui *substat potentia quaedam;* sed tamen est actus completus acquisitus in potentia illa; et huic respondet *aevum*. Est autem alius, cui *substernitur potentia*, et *admiscetur sibi potentia ad actum completum secundum successionem*, additionem perfectionis recipiens ; et huic respondet *tempus*. Cum igitur unicuique rei respondeat propria mensura, oportet quod secundum conditionem actus mensurati accipiatur essentialis differentia ipsius mensurae..... In actu autem illo, qui est actus completus, non est intelligere prius et posterius, nec aliqua plura, et ita nec successionem. Unde mensura, quae respondet ei, non est per modum numeri, sed magis per modum unitatis. Sicut ergo prius et posterius temporis, *prout intelliguntur numerata*, complent rationem temporis ; ita permanentia actus, *secundum quod intelligitur in ratione unius*, quod habet rationem mensurae, complet rationem aevi et aeternitatis. Sed *quia esse aeviternorum est acquisitum ab alio ;* ideo aevum mensurat esse, quod habet principium : non autem aeternitas, quae mensurat esse, *quod non est acquisitum ab alio.....* » [1].

71. Quo in loco primum omnium definiendum est, quaenam sit *potentia illa*, quae heic dicitur *aevo substare*. « Est alius actus, *inquit S. Doctor*, cui substat *potentia quaedam* ». Quaenam est diminuta huiusmodi potentia ? Certe non est potentia activa, quae non substat, quamvis praesupponatur, sed potentia passiva. Haec autem abs dubio non est potentia passiva physica, sed obiectiva, seu logica aut metaphysica. Est enim illa, vi cuius : « *Res* habens tale esse est *potentialis* respectu huius actus, quem tamen perfectum accepit ». Illa est, quae excluditur ab esse divino : In quo non est aliqua potentialitas respectu huius actus ». Esse enim aeviterni cum esse divino comparatur ; et ad instar ipsius dicitur esse *quietum*, *permanens*, *perfectum;* atque eo solo proxime et immediate ab ipso distinguitur, quod illud sit *acquisitum ab alio*, hoc : « Est rei ex seipsa, ita quod est de ratione quidditas suae ». Potentia autem huiusmodi diminuta : *quaedam*, non est potentia physica, sed obiectiva, logica aut metaphysica. Vi enim ipsius res tota dicitur *potentialis;* potentia autem physica, utut subiectiva aut passiva, actualitatem quandam entitativam sibi necessario vindicaret, uti saepe in superioribus ex S. Doctore et ex Philosophi doctrina ostensum est. Tum meminisse potentiae physicae passivae, etiam ad ipsam excludendam, ubi de Deo sermo est, oppido fuisset insulsum. Potentia autem obiectiva, ubi de essendi necessitate atque omnimoda actualitate quaerebatur, erat necessario memoranda. Quapropter alibi ait S. Doctor : « Ex hoc ipso, quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est » [2]. Illa ergo est

Declaratur.

[1] D. Thomas, *In 1. Dist. 19. q. 2. a. 1.*
[2] D. Thomas, *QQ. DD. De potentia, q. 3. a. 5. ad 2um.*

potentia, quae substat τῷ *esse* aeviterni, vi cuius antequam esse sit acquisitum, totum ipsum aeviternum eiusve quidditas *nihil sit;* ubi autem sit acquisitum, totum ipsum aeviternum in actu sit *quieto, permanenti, perfecto.* Huiusmodi autem potentia evidenter est potentia obiectiva, logica aut metaphysica.

Ultima demonstratio.

72. Hoc autem posito, *esse* aeviterni ideo dicitur realiter distingui ab eius actuali essentia, et ipsum aeviternum non esse *suum esse*, non quia sit entitas aliqua aut aliqua actualitas distincta et impressa distinctae quidditati aeviterni; sed quia aeviternum prius erat in potentia obiectiva et per creatricem Dei actionem positum est in actu; et quidem ita, ut ipsa positione τοῦ *esse* sit etiam posita eius quidditas in actu limitato quidem, sed *quieto, permanenti, perfecto;* ad eum modum, quo Deus ipse infinite et a se in tali actu est: quare aeviternum divinam aeternitatem dicitur participare: « Aevum nihil aliud est, quam aeternitas quaedam participata »[1]. Ratio vero est, quod in toto articulo nihil omnino de distincta illa entitate aut impressa actualitate dicitur; et tota ratio, qua aevum constituitur et ab aeternitate distinguitur, ex eo derivatur, quod aeviternum prius erat in potentia obiectiva et per creationem esse acquisivit; quae in Deo, cum ex vi essentiae suae sit seu a se sit, locum non habent. Unde cum in corpore de aeviterno dicatur quod sit: *Actus acquisitus in potentia illa, quae substat*, nimirum obiectiva; articulus concluditur: « Ad quintum dicendum quod, quamvis actus, qui mensuratur aevo, sit totus simul sine successione; *hoc esse tamen est ab alio, et in hoc ab aeternitate discernitur, ut prius dictum est* ». Atqui si ita est, distinctio realis, quam D. Thomas asserit, non est distinctio formaliter realis, quae intercedat inter rem et rem, seu inter entitatem et entitatem; sed est solum distinctio negative realis ac porro fundamentaliter realis, quatenus ex reali fundamento una eademque res duplici conceptu formali distincto effertur. Ergo.

Conclusio praecipue intenta.

73. Ex hoc igitur secundo D. Thomae loco evidens est prorsus non probari evidenter ab ipso fuisse traditam inter actualem essentiam et esse creati entis distinctionem formaliter realem; cum, ut minimum dicam, in controversia sint ipsi termini, inter quos realem asserit distinctionem; in controversia quo sensu illam distinctionem asserat. Evidens autem est ab ipso inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque immediate aut mediate distinctionem fundamentaliter realem doceri, cum saltem hoc verba ipsa portendant, hocque exigat tota eius disserendi ratio. Hunc ergo sensum, utpote certum D. Thomae sensum, retinebimus; alterum, utpote Thomistarum et certo certius non D. Thomae, nec cogimur, nec tenemur ulla ratione amplecti.

Discutitur locus ex De Veritate, q. 27. a. 1. ad 8um.

Textus D. Thomae.

74. Obiicit sibi S. Doctor: « Nihil est in genere, nisi compositum. Gratia autem non est composita, sed forma simplex. Ergo

[1] *Idem, In I. Dist. 19. q. 2. a. 1. ad 1um.*

non est in genere. Omne autem creatum est in aliquo genere. Ergo gratia non est quid creatum ». — Respondet : « Ad *octavum* dicendum quod *omne, quod est in genere substantiae, est compositum reali compositione;* eo quod id, quod est in praedicamento substantiae, est in suo esse subsistens, et oportet quod esse suum sit aliud quam ipsum, alias non posset differre secundum esse ab illis, cum quibus convenit in ratione suae quidditatis, quod requiritur in omnibus, quae sunt directe in praedicamento : et ideo omne, quod est directe in praedicamento substantiae, compositum est saltem *ex esse* et *quod est*. Sunt tamen quaedam in praedicamento substantiae per reductionem, ut principia substantiae subsistentis, in quibus praedicta compositio non invenitur ; non enim subsistunt : ideo proprium esse non habent. Similiter accidentia, quia non subsistunt, non est eorum proprie esse, sed subiectum est aliquale secundum ea : unde proprie dicuntur *magis entis, quam entia*. Et ideo *ad hoc, quod aliquid sit in praedicamento aliquo accidentis, non requiritur quod sit compositum compositione reali, sed solummodo compositione rationis ex genere et differentia:* et talis compositio in gratia invenitur » [1].

Ad difficultatem propositam responsio S. Doctoris in forma.

75. In forma responsio S. Doctoris est : Nihil est in genere, nisi compositum, *Dist. mai.* Compositione *aut reali, aut rationis, Conc. mai. Reali, Subd. mai.* Nihil est in *genere accidentis*, nisi *realiter* compositum, *Neg. mai.* In *genere substantiae*, rursum *Subd. mai. Directe, Conc. mai. Reductive, Neg. mai.* Gratia non est composita, *Dist. min.* Compositione *reali, Conc. min.* Compositione *rationis* ex genere et differentia, *Neg. min.* Ergo non est in genere, *Dist. consequens.* In genere *accidentis, Neg. consequentiam.* In genere *substantiae, Conc. consequentiam.* Omne creatum est in aliquo genere, *Dist. Subs.* In aliquo genere *vel substantiae, vel accidentis, Conc. Subs.* In genere *substantiae, Neg. Subs.* Ergo gratia non est quid creatum, sub datis distinctionibus, *Neg. consequentiam.* Consequentia enim staret, si gratia neque esset in genere substantiae, neque in genere accidentis; non autem si gratia est in genere accidentis, quamvis non sit in genere substantiae; sic enim est in aliquo genere, ac proinde quid creatum.

Ex qua responsione quid primum in oculos insiliat.

76. Ex qua praeclarissima D. Thomae responsione primum omnium, quod in oculos insilit, illud est, ab ipso *compositionem illam realem*, de qua loquitur, in omnibus generibus accidentium non agnosci. Aut ergo non loquitur de reali distinctione et consequuta reali compositione inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque, sed de aliqua alia ; et locus inepte affertur, quasi hic S. Doctor illam traderet distinctionem compositionemque: aut non agnosceret in accidentibus proprium esse exsistentiae, quasi ipsa proprie non essent extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas, aliquid in rerum natura ; et tunc saltem maxima Neo-Thomistarum pars et aliqui ex veteribus, qui proprium *esse* tribuunt accidentibus, a D. Thoma ex hac parte recederent : aut

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De Veritate, q. 27. a. 1. Ob. 8. Resp. ad 8um.*

demum agnosceret proprium *esse* in accidentibus, et tamen non diceret realiter distinctum, realemque compositionem cum actuali essentia faciens; et, in hac hypothesi, adversarii deberent fateri saltem non esse generalem D. Thomae doctrinam inter cuiuslibet creati entis actualem essentiam exsistentiamque distinctionem intercedere formaliter realem, seque, dùm id profitentur, ex parte saltem a D. Thoma recedere.

Quid hoc loco D. Thomas intendat?

77. Itaque S. Doctor non opponit hic τὸ *esse* essentiae actuali creati entis, prout essentia universim aliqua ratione dicitur de substantiis et accidentibus; neque opponit directe ipsi actuali creati entis essentiae, prout speciatim essentia de substantiis praedicatur; sed directe τὸ *esse* opponit *supposito* seu individuo substantiae, et inter suppositum eiusque esse agnoscit *realem compositionem*, ac proin praesuppositam etiam *realem distinctionem*. Neque enim esse posset realis compositio, uti ex prima Sectione constat, nisi praecederet realis componentium distinctio. Patent haec ex apertis S. Doctoris verbis. « Omne, quod est, *inquit*, in genere substantiae, est compositum reali compositione, eo quod id, quod est in praedicamento substantiae, est in suo esse *subsistens*, et oportet quod suum *esse* sit aliud, quam *ipsum* ». *Subsistens* autem et *ipsum* innuunt suppositum aut individuum substantiae.

78. Sed enim, cum suppositum aut individuum substantiae differat a natura communi per differentiam individualem, vi cuius quae conveniunt specie possunt differre numero; et species differat a genere per differentiam specificam, vi cuius quae conveniunt genere, possunt differre specie: quare hic S. Doctor, ut aliquid sit in genere substantiae, non meminit differentiae specificae, non meminit ipsius differentiae individualis quam, uti iam vidimus, in Summa Theologica realem distinctionem inter naturam et suppositum seu individuum naturae docuit inducere? Ratio in doctrina D. Thomae est obvia et facilis. Hic de omnibus agit quae in genere substantiae continentur; non de solis corporibus, quorum formae materia signata individuantur et ratione materiae multiplicantur; sed etiam de substantiis spiritualibus, quae seipsis individuantur, propterea quod non sunt natae recipi in materia; quare in specie non multiplicantur, sed quaelibet forma subsistens specialem etiam constituit speciem: « Omne, *inquit*, quod est in genere substantiae ». Assignanda igitur generalis et communis ratio aliqua quare, dum quodlibet individuum est sua propria differentia constitutum, reale quid sit et in reali praedicamento collocetur. Huiusmodi autem ratio est abs dubio τὸ *esse*, aut ipsa actualitas in rerum natura, vi cuius omnia et singula in substantiae praedicamento contenta realia sunt. Hinc autem est, ut D. Thomas individua substantiae seu supposita cum *esse* conferat, atque ex hac collatione inferat id, quod requiritur, ut quodlibet horum individuorum in reali praedicamento substantiae possit directe collocari.

Quare D. Thomas non meminit differentiae specificae aut individualis?

Angelici doctrina.

79. Docet ergo, ut aliquid sit in praedicamento substantiae bina requiri: primum, ut sit reale quoddam individuum substantiae ab

aliis individuis distinctum ; alterum, ut cum aliis individuis univoce conveniat in communi natura generis. Haec autem non possent locum habere, si *esse* et individuum substantiae, seu *esse* et *quod est* non realiter inter sese componerentur, ac proinde realiter etiam distinguerentur. Si quaeras a D. Thoma: Quare hoc? Aperte S. Doctor, hoc loco, eam assignat rationem quod, cum individua in genere contenta conveniant seu unum sint in quidditate aut natura generis, si *esse* non realiter ab ipsis distingueretur, realiterque cum ipsis componeret, non possent differre secundum *esse*, seu esse plura individua distincta : « Oportet, *inquit*, quod esse suum sit aliud quam ipsum, alias non posset differre secundum esse ab illis, cum quibus convenit in ratione suae quidditatis ».

Quo pacto intelligenda.

80. Quaerimus : Quo pacto haec sint intelligenda. Oportetne concipere τὸ *esse* tanquam actualitatem realiter distinctam singulisque individuis impressam, vi cuius singula ab invicem in reali esse differant ; an vero in singulis individuis ipsum esse actu extra nihilum, extra possibilitatem, extra causas, aliquid in rerum natura, non esse de eorum essentia, seu esse extra eorum quidditatem, ac proinde realiter fundamentaliter distingui ab ipsis eorumque quidditate, et sic etiam realiter fundamentaliter componere ? Hoc loco S. Doctor pleniorem huius rei declarationem rationemque non exhibet : ex reliqua tamen eius doctrina res haud difficulter intelligitur.

Declaratur.

81. Principio quidem, uti iam monuimus, S. Doctor nullibi clare illam ingerit τοῦ *esse* creati notionem, sed eam ipsi aliqui ab initio tribuerunt discipuli, quam sequentes non quidem omnes, sed plerique amplexi sunt. Ea vero notio, quocumque alio sensu D. Thomae verba sint intelligenda, hic non habetur. Sermo hic est de aliquo necessario, ut realia individua ab invicem differant: *Oportet quod esse suum sit aliud quam ipsum, alias non posset differre secundum esse ab illis.* Illa autem actualitas realiter distincta individuisque impressa non est necessaria, ut individua realia differant secundum suam realitatem seu secundum suum esse reale ab aliis individuis. Enimvero individua realia differunt realiter ab individuis alterius speciei per realem differentiam specificam ; differunt realiter ab individuis eiusdem speciei, si plura dari possunt in specie individua, per differentiam individualem. Non requiritur ergo aliqua alia realis entitas, ut realiter inter sese differant, seu plura realiter sint. — Dices : Sed non different in *esse;* D. autem Thomas hic vult ut differant in *esse.* — Sed respondetur : Non different in *esse* ficto, seu in ficta illa entitatula, quam adversarii comminiscuntur, conceditur prorsus, sed negatur suppositum. Non different in esse reali, ita ut plura habeantur vel haberi possint individua extra nihilum et extra causas ; id vero penitus negatur, uti iam probatum est, et ex doctrina D. Thomae iam declarata et mox iterum repetenda intelligetur. Quid, quod entitatula illa, in Angelici doctrina, ad individuorum distinctorum multiplicitatem inducendam esset inepta ? Supponamus dari illam entitatulam in creato ente realiter distinctam. Dabitur etiam in Angelis. Et

Aegidiana notio τοῦ *esse* in hoc D. Thomae loco non habetur.

Difficultas.

Responsio.

tamen, iuxta Angelicum ut notum est, dari nequeunt in una specie Angelica plura individua realiter distincta, sed quisque Angelus suam sibi vindicat speciem. Entitatula ergo illa, iuxta Angelicum, nec requiritur nec sufficit, ut plura habeantur individua, quae differant in esse, quamvis in quidditate conveniant, et sic habeatur: *Unum aptum inesse multis et praedicari de multis*, quod naturae universali sive genericae, sive specificae proprium est.

Semotis fictionibus, Angelici mens inquiritur.

Primus D. Thomae locus.

82. Semotis ergo fictionibus, inquiramus: Quaenam Angelici doctrina et mens sit. Non pigeat repetere quae in superioribus fere allata sunt. Legimus ergo: « Respondeo dicendum quod dupliciter aliquid de aliquo praedicatur: uno modo *essentialiter*, alio modo *per participationem*; lux enim praedicatur de corpore illuminato participative; sed, si esset aliqua lux separata, praedicaretur de ea essentialiter. Secundum ergo hoc dicendum est quod ens praedicatur de solo Deo essentialiter, eo quod esse divinum est esse subsistens et absolutum: de qualibet autem creatura praedicatur per participationem; *nulla enim creatura est suum esse, sed est habens esse*..... Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi aliquid esse praeter id, quod participatur: et ideo in qualibet creatura *est aliud ipsa creatura, quae habet esse, et ipsum esse eius*; et hoc est quod Boetius dicit in *lib. de Hebdomad.*, quod: *In omni eo, quod est citra primum, aliud est esse et quo est.* Sed sciendum est quod aliquid participatur dupliciter. Uno modo, *quasi exsistens de substantia participantis*, sicut genus participatur a specie. Hoc autem modo *esse non participatur a creatura*; id enim est de substantia rei, quod cadit in eius definitione. Ens autem non ponitur in definitione creaturae, quia nec est genus, nec differentia: *unde participatur sicut aliquid non exsistens de essentia rei*: et ideo alia quaestio est: *An est*, et: *Quid est*..... Si ergo in Angelo est compositio ex essentia et esse, non tamen est compositio sicut ex partibus substantiae, sed *sicut ex substantia et eo, quod adhaeret substantiae* »[1].

Secundus.

83. Rursum: « Cuicumque, *inquit*, potest aliquid accidere, quod non sit de ratione suae naturae, in eo differt res et quod quid est, sive suppositum et natura. Nam in significatione naturae includitur solum id, quod est de ratione speciei: suppositum autem non solum habet haec, quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quae ei accidunt: et ideo suppositum signatur per *totum*, natura autem sive quidditas, ut *pars formalis*. In solo autem Deo non invenitur aliquod accidens praeter eius essentiam, quia suum esse est sua essentia, ut dictum est: et ideo in Deo est omnino idem suppositum et natura. *Angelo autem non est omnino idem, quia aliquid accidit ei praeter id, quod est de ratione suae speciei; quia et ipsum esse Angeli est praeter eius essentiam seu naturam;* et alia quaedam ei accidunt, quae omnino pertinent ad suppositum, non autem ad naturam ». Et ad 1um. « Substan-

Tertius.

[1] D. Thomas, *Quodlibeto 2. a. 3. corp.*

tiis immaterialibus creatis, *ait*, accidunt quidem aliqua praeter rationem speciei, quae sunt determinativa essentialium principiorum, ut dictum est; non tamen accidunt eis aliqua, quae sunt determinativa essentiae speciei; quia ipsa natura speciei non individuatur per materiam, sed per seipsam ex hoc, quod talis forma non est nata recipi in aliqua materia: unde per se ipsam non est multiplicabilis, neque praedicabilis de pluribus. Sed quia non est suum esse, accidit ei aliquid praeter rationem speciei, scilicet ipsum esse, et alia quaedam, quae attribuuntur supposito et non naturae: propter quod suppositum in eis non est omnino idem cum natura ». Ad 2.um vero: « Non omne, quod accidit alicui, *subdit*, praeter rationem speciei, est determinativum essentiae ipsius, ut oporteat illud poni in ratione eius, sicut dictum est: et ideo licet *ipsum esse non sit de ratione suppositi; quia tamen pertinet ad suppositum et non est de ratione naturae*, manifestum est quod suppositum et natura non sunt omnino idem in quibuscumque res non est suum esse »[1]. Quae autem in Quodlibetis docet Angelicus, una vel alia ratione repetit in Summa Theologica[2], et in aliis operibus, uti partim ex dictis, partim ex dicendis plenius intelligetur. Quartus.

84. Ex hac Angelici Praeceptoris doctrina habemus: — α) τὸ *esse* non praedicari de quacumque creatura *essentialiter*, sed *participative;* et quidem non ea participatione, qua ipsum sit *de substantia creaturae*, uti v. g. genus participatur a specie; sed ea, qua *aliquid participatur sicut non exsistens de essentia rei.* Quapropter dicitur *aliud* esse ab essentia, et facere compositionem cum ea, non quasi ex partibus substantiae, sed quasi ex substantia, et ex eo, quod *adhaeret* substantiae. Rursum: — β) τὸ *esse* dicitur *accidere* naturae: verum *non tanquam determinativum essentialium principiorum*, ad eum nimirum modum, quo differentia specifica est determinativa generis; neque *tanquam determinativum essentiae speciei*, uti in substantiis materialibus differentia individualis est determinativa naturae communis; neque *tanquam aliquid, quod sit de ratione suppositi ipsumque constituat;* sed *tanquam aliquid, quod pertineat ad suppositum et non sit de ratione naturae.* Huiusmodi autem accidens, uti in superioribus probatum est, ex doctrina D. Thomae non est *accidens physicum*, sed accidens logicum aut metaphysicum, quatenus est aliquid in supposito praeter ipsam rationem naturae et suppositi, videlicet naturae communis et individui naturae, plane substantialis. Ex hoc autem quod *esse* pertinet ad suppositum et non est de ratione naturae, infert Angelicus non esse *omnino idem* in creatis suppositum et natura. Colliguntur quae tradit Angelicus.

85. Haec ipsâ verborum Angelici lectione patent. Ex his autem infertur: — α) Ex mente Angelici τὸ *esse* se habere ad suppositum, seu ad *reale* individuum naturae substantialis ad modum Illationes ex dictis. Prima.

---

[1] D. Thomas, *Quodlibeto 2. a. 4.*

[2] *Idem, Summ. Theol. 1. p. q. 50. a. 2. ad 3um, et q. 75. a. 5. ad 4.um, et q. 88. a. 2. ad 4um etc.*

proprii metaphysici. Nam non se habet neque tanquam de essentia, neque tanquam constitutivum suppositi, neque tanquam accidens commune, sed tanquam accidens proprium; resultat enim et fluit necessario ex ipsa reali forma, cum quaelibet forma, uti vidimus super Boetium et constans est apud D. Thomam, det *esse* proportionatum. Huiusmodi autem *proprium* non est *physicum*, sed *metaphysicum;* tum quia quaecumque hic dicuntur, quod *non est rei essentiale — non est de substantia rei — quod rei accidit — quod non est de ratione suppositi, quamvis ad ipsum pertineat — quod est aliud ab essentia — quod, ratione ipsius, suppositum in creatis non est omnino idem cum essentia,* in proprio metaphysico locum habent; tum quia esse formaliter a forma dari ubique docet D. Thomas [1], quod in proprio physico, aut in physica proprietate, v. g. in quantitate, in potentiis animae, si hae ab ipsa realiter distinguuntur, etc., nunquam obtinet; tum quia in actuali essentia et reali supposito, seu individuo naturae τὸ *esse* requiritur, ut utrumque extra nihilum, extra causas, aliquid in rerum natura esse intelligatur. Ad hoc autem oppido sufficit proprium metaphysicum, et proprium physicum, ex omnibus dictis, non requiritur [2]. Quapropter S. Doctor quamvis in laudatis locis distinctionem quandam agnoscat inter *essentiam et esse, interque naturam et suppositum* creati entis substantialis, hanc semper exhibet additis diminuentibus: *est sicut— non est omnino idem.*

Secunda.

86. Infertur: — β) Si essentiae actualis substantialis, et realis naturae totalis aut individui naturae τὸ *esse*, ex D. Thoma, est accidens metaphysicum, ipsum ab reali essentia et supposito non *realiter formaliter* differre et *realiter formaliter* cum essentia aut supposito componere; sed differre essentialiter in ipso ordine reali, seu distingui *realiter fundamentaliter*, et *realiter fundamentaliter* etiam componere. Hoc autem idem est ac dicere nos creati entis actualem essentiam et esse, essentiam et suppositum, suppositum et esse ex reali fundamento distinctis conceptibus formalibus efferre et inter se componere, dum dicimus: *Essentia actualis est — Petrus non est sua essentia — Suppositum est.* Et quidem huiusmodi conceptus nostros esse formaliter distinctos et in compositionem quandam redactos evidens est, nec nova eget probatione. « Non est autem necessarium, *inquit S. Doctor*, quod ea quae distinguuntur secundum intellectum, sint distincta in rebus; quia intellectus non apprehendit res secundum modum rerum, sed secundum modum suum..... Substantiae autem angelicae sunt supra intellectum nostrum. Unde intellectus noster non potest attingere ad apprehendendum eas secundum quod sunt in seipsis, sed per modum suum, secundum quod apprehendit res compositas » [3]. At vero si necesse non est, ut conceptibus illis nostris a parte rei reales entitates realiter inter se distinctae respondeant; cum tamen

---

[1] Cfr. *De Veritate, q. 27. a. 1. ad 3um.*

[2] Relegesis quae supra, n. 56, disputavimus.

[3] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 50. a. 2. corp.*

conceptus illi non sint mera fictio aut mentis ludibrium, sed conceptus sint veri realesque, ex S. Doctore ab initio laudato et ex veritate, fundamentum in rebus realibus habeant opus est. Id autem certissime habetur si *reale esse* non sit neque essentia, neque constitutivum essentiae, neque constitutivum suppositi realis entis substantialis, quamvis *formaliter realiter* a tali ente neque ut res a re, neque ut realis modus a re distinguatur.

87. Age iam huiusmodi compositionem praesuppositamque distinctionem S. Doctor in loco, quem prae manibus habemus, vocat *realem compositionem realemque distinctionem.* Patet hoc. Etenim si loca et verba ipsa conferantur, doctrina quae a S. Doctore traditur in loco controverso eadem est prorsus cum illa, quae traditur in *Quodlibetis* et, ut partim vidimus partim videbimus, etiam alibi. Atqui doctrina tradita in Quodlibetis nonnisi compositionem distinctionemque formalem aut fundamentaliter realem in creato ente quolibet agnoscit. Quod, praeter dicta, patet etiam ex responsione ad primam obiectionem. Obiicit sibi Angelicus: « Videtur quod Angelus substantialiter non compouatur ex essentia et esse. Essentia enim Angeli est ipse Angelus; quia quidditas simplicis est ipsum simplex. Si ergo Angelus componeretur ex essentia et esse, componeretur ex seipso et alio. Hoc autem est inconvenieus. Non ergo substantialiter componitur ex essentia et esse ». Respondet autem: « Dicendum quod aliquando ex his, quae simul iunguntur, relinquitur aliqua res tertia, sicuti ex anima et corpore constituitur humanitas, quae est homo: unde homo componitur ex anima et corpore. Aliquando autem ex his, quae simul iunguntur, non resultat res tertia, sed *resultat quaedam ratio composita;* sicut ratio hominis albi resolvitur in rationem hominis et in rationem albi: *et in talibus aliquid componitur ex seipso et alio, sicut album componitur ex eo, quod est* ALBUM *et ex* ALBEDINE »[1]. Itaque compositio ex essentia et esse aut ex supposito et esse dat solam rationem compositam ad eum modum, quo album, qua album, vel etiam quod est album, componitur cum albedine. Album vero componitur cum albedine non realiter formaliter, sed realiter fundamentaliter, quatenus in ente reali vel ex ente reali illam compositionem consideramus. Quapropter S. Doctor, loco nuper citato, loquendo de Angelis ait *intelligendam esse* in ipsis compositionem ex essentia et esse, sicut ex potentia et actu. Scribit: « Natura composita non est suum esse, sed esse est actus eius. Subtracta ergo materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, *adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse, ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in Angelis.* Et hoc est quod a quibusdam dicitur, quod Angelus est compositus ex *quo est* et *quod est*, vel *ex esse* et *quod est*, ut Boetius dicit »[2].

Quam, in loco controverso, D. Thomas vocat realem compositionem.

Ostensio.

---

[1] D. Thomas, *Quodlibeto, 2. a. 3. ad 1um.* — Lege hunc locum late tractatum in fine probationis huius 2ae partis Thesis.

[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 50. a. 2. ad 3um.*

Reditus ad locum controversum.

88. Verum ut, supposita luce doctrinae huc usque declaratae, ad locum nostrum controversum redeamus, D. Thomas, ut aliquid sit in genere substantiae, realem compositionem, ac praesuppositam realem distinctionem directe inter suppositum et esse, indirecte aut consequenter inter essentiam actualem substantialem et esse requirit, ut possint haberi individua realiter distincta, seu plura individua realia, univoce convenientia in quidditate aut essentia substantiae. Atqui ad hoc non requiritur, nec sufficit compositio distinctioque formaliter realis inter suppositum et naturam, interque essentiam actualem et esse, uti iam probatum est: requiritur vero et sufficit compositio distinctioque fundamentaliter realis. Ergo. *Requiritur* quidem. Nam si non daretur, τὸ *esse*, seu actualitas rei in rerum natura, esset de essentia naturae communis aut individui naturae. Hoc autem posito, repugnaret absolute, ut darentur plura individua realiter distincta et in una quidditate speciei aut generis convenientia. Si enim τὸ *esse* esset de essentia naturae communis aut individui naturae, singularitas esset de utriusque essentia; esse siquidem aut actualitas in rerum natura nequit haberi, nisi in singularibus. Atqui si singularitas esset de essentia naturae speciei aut individui naturae, repugnaret absolute, ut darentur plura individua realiter distincta et in una natura communi convenientia. Tunc enim uti non posset multiplicari singularitas, sic non posset multiplicari natura aut individuum naturae, de cuius ratione esset singularitas. Hac ratione S. Doctor praecipue probat Deum esse unum, inquiens: « Manifestum est quod illud, unde aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile. Illud enim, unde Socrates est homo, multis communicari potest; sed id, unde est hic homo, non potest communicari nisi uni tantum. Si ergo Socrates per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines. Hoc autem convenit Deo. Nam ipse Deus est sua natura, ut supra ostensum est. Secundum igitur idem est Deus et hic Deus. Impossibile est igitur esse plures Deos »[1]. — *Sufficit autem.* Revera si actualitas in rerum natura, seu ipsa realitas essentiae aut suppositi, ac proinde singularitas non est de eorum quidditativa ratione, sub uno genere communi per differentias specificas dari possunt plures species, et sub una specie per differentias individuales plura individua, saltem in illis speciebus, quae admittunt multiplicitatem individuorum: quae, quatenus actu sunt aut realia sunt, different in *esse;* quatenus sunt eiusdem naturae specificae aut genericae, convenient in *una quidditate speciei aut generis.* Atqui si ita est, compositio distinctioque fundamentaliter realis inter naturam interque individuum naturae et esse sufficit omnino,

Ut habeantur plura individua univoce convenientia in quidditate non requiritur realis distinctio inter essentiam et esse.

Requiritur distinctio formalis.

D. Thomas.

Et sufficit

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 11. a. 3. corp.* — Vide hoc argumentum evolutum in nostro Opere: De Deo, *Disputationes Metaphysicae, Disp. 1. q. 2. sect. 2. § 3. n. 179. sqq.*

ut habeatur id, quod D. Thomas requirit, ut aliquid sit in genere substantiae, ut evidens est. Ergo.

89. Quae huc usque diximus, possunt ex iis confirmari, quae S. Doctor in eadem illa responsione de accidentibus subdit. In accidentibus enim non agnoscit realem compositionem distinctionemque inter naturam interque individuum naturae et esse: « Quia non subsistunt, non est eorum proprie esse, *sed subiectum est aliquale secundum ea* ». Haec autem ratio innuit realem illam compositionem distinctionemque *ex esse* et *quod est*, quam S. Doctor in substantiis agnoscit, non esse compositionem distinctionemque formaliter realem, sed solummodo fundamentaliter realem. Habent enim accidentia suo modo essentiam aut naturam, qua collocari possunt in genere et in specie: sunt suo modo individua plura in eodem genere in eademque specie: non quidem *proprie*, sed aliquo modo habent etiam *esse*, quod possunt subiecto communicare ita, ut ratione ipsorum subiectum SIT *aliquale*. Quare inter hanc essentiam et hoc esse negatur a S. Doctore illa realis distinctio compositioque? *Quia non subsistunt.* Haec autem ratio optime valet ad dicendum in accidentibus non dari fundamentum, ut duas illas rationes *quo est* et *quod est* distinguamus componamusque, quia ipsa non sunt *quod est*, sed subiectum est *quod est;* sed non sufficit ad dicendum τὸ *esse* non esse entitatulam realiter formaliter ab eorum quidditate distinctam ipsisque impressam, quamvis subinde haec entitatula aut actualitas, uti ipsa accidentis quidditas sit ordinata ad subiectum, ipsumque *aliquale* constituat. Non intelligebat ergo S. Doctor realem illam compositionem distinctionemque in substantiis ad mentem adversariorum. — Tum ex D. Thoma hic, quod etiam alibi vidimus, forma accidentalis ipsa sui communicatione constituit in subiecto esse accidentale aut *aliquale;* adeoque a tali esse, quo subiectum *aliquale* est, *re* non distinguitur, sed distinguitur *sola ratione formali*, in quantum accidens, quatenus perficit et complet subiectum, dicitur *forma*, quatenus facit ut subiectum illo modo *actu sit*, dicitur *esse.* Nam si accidens *re* distinguitur a subiecto, quod *aliquale* est, non ita distinguitur, quatenus *aliquale* est, sed quatenus *subiectum* est: « *Subiectum enim est aliquale secundum ea* », ac paulo ante legimus: « *Album compositum esse ex albo et albedine, seu ex seipso et alio* ». Quapropter si forma etiam substantialis a subiecto *re* non distinguitur, uti evenit in substantiis spiritualibus completis; aut saltem si rei constituit quidditatem, uti evenit in substantiis materialibus aut in formis informantibus; in eiusmodi substantiis τὸ *esse*, non abstractum, commune, universale, sed concretum, individuatum, particulare, a forma ipsa atque porro a *quod est* realiter formaliter nequit distingui, quamvis distingui possit realiter fundamentaliter, uti saepe declaratum est. Innuit D. Thomas hanc rationem in responsione ad 3.um eiusdem articuli, ex quo habetur locus controversus. Ait enim: « Ad tertium dicendum quod esse naturale per creationem Deus facit in nobis nulla causa agente mediante, sed tamen mediante aliqua causa formali; forma enim

Dicta confirmantur ex iis, quae subiicit de accidentibus.

Confirmantur adhuc.

naturalis principium est esse naturalis : et similiter esse spirituale gratuitum Deus facit in nobis nullo agente mediante, sed tamen mediante aliqua forma creata, quae est gratia ». Tandem si ex doctrina aperta D. Thomae in accidentibus non datur illa realis distinctio compositioque inter actualem essentiam et esse, quam comminiscuntur adversarii, non solum sequitur eandem distinctionem compositionemque neque etiam in substantiis praedicamentalibus dari, uti probatum est ; sed sequitur falsum esse prorsus, ex D. Thoma, sensum, quem recentiores plerique veteri adagio Aristotelico tribuunt : *Potentia et actus dividunt ens et omne genus entis.* Sensus enim esset, contra quidem veteres, sed tamen iuxta ipsos : *Ens, id est, omne et singulum ens, qua late patet per decem praedicamenta, componi ex reali potentia et reali actu inter se realiter distinctis ; et sic omne ens praedicamentale aut esse realem potentiam, aut realem actum; atque hac ratione ens praedicamentale in realem potentiam et realem actum, tanquam in membra opposita et repugnantia realiter dividi.* D. enim Thomas negat illam distinctionem, et consequenter istum sensum *saltem* in novem praedicamentis accidentium. — Sequitur falsum et intolerandum esse, quod aliqui non sine quadam *temeritate* dicunt, cum sine auctoritate et ratione dicant, sensum illorum verborum S. Scripturae : *Ego sum, qui sum* — et : *Qui est, misit me ad vos* [1]. esse : *In solo Deo essentiam et esse non realiter distingui ; distingui autem realiter in omnibus et singulis creaturis.* Ex D. Thoma dici *saltem* deberet : *In Deo et in accidentibus essentiam et esse non realiter distingui, distingui autem realiter in substantiis creatis.* Sed enim haec indigna sunt, et satius longe in praesentem disceptationem non derivanda.

Illatio.

Ex D. Thoma falsus est sensus, quam recentiores tribuunt philosophemati : *Potentia et actus dividunt ens, et omne genus entis.*

Falsus et intolerandus sensus, quem aliqui tribuunt divinis verbis : *Ego sum, qui sum.*

Generalis conclusio.

90. Ex huc usque disputatis liquet, quin ex loco controverso evidens sit D. Thomam inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque realem distinctionem agnovisse, evidens omnino esse id non probari evidenter, imo probari oppositum, cum in omnibus accidentibus aperte illa negetur distinctio; et in substantiis realem compositionem distinctionemque, quam asserit, non possit intelligi esse distinctionem formaliter realem; sed solum fundamentaliter realem. Atque haec possent sufficere ad D. Thomae doctrinam hac in re universaliter constituendam. Improbabile saltem est, ne aliud dicam, ut D. Thomas oppositam alibi tradiderit doctrinam; aut ut maior claritas circa eius mentem habeatur ex locis, ubi aequivalenter aut implicite mentem suam significat, quam ex locis, ubi videtur formaliter et quidem explicite rem dicere. Quaestionis tamen gravitas, et ardens studium quo temporibus nostris disputatur, cogunt nos, ut gravissimo sane indulgeamus labori. Non gravabimur rursum in arenam descendere.

---

[1] *Exod. 3, 14.*

II.

Ex locis, in quibus Angelicus Doctor videtur aequivalenter tradere distinctionem realem, critice loquendo, non probatur evidenter distinctio formaliter realis, sed solum fundamentaliter realis.

91. Ad probandam hanc partem primae minoris assertae loca illa omnia discutienda sunt, in quibus Angelicus Doctor, non quidem *formaliter explicite*, sed *aequivalenter explicite*, inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque realem distinctionem videtur agnoscere. Quandoquidem autem formulae dicendique modi, qui id praeseferre videntur, continentur omnes vel fere omnes in Opusculo: *De Ente et Essentia*, hoc ipsum opusculum directe analysi subiiciemus, ut mentem doctrinamque D. Thomae ex ipso Thoma ediscamus. Id autem eo libentius aggredimur, quod adversarii nostri, non D. Thomam sed Caietanum sequuti, in eo libello, velut in munitissima tutissimaque arce, sese abdunt, ipsumque aliquando, fere depositis aliis armis, adversariis obiiciunt.

Loca controversa sparsim alibi, collectim fere omnia continentur in: *De Ente et Essentia.*

92. Ut quae disceptationi dant locum, in summam conferamus, pro certo statuimus D. Thomam, quidquid sit de accidentibus, in omni saltem substantia creata, sive simplici aut spirituali sive composita, cuius proprium est esse, bina quaedam agnoscere, quae adpellitat: — α) *Formam*, *naturam* aut *essentiam*, et *esse*: — β) Bina haec dicit esse *aliud* et *aliud*: — γ) Essentiam vocat *potentiam receptivam*, esse vero *actum receptum*: — δ) Illam vocat *quod est*, hoc autem *quo est*: — ε) Docet potentiam illam et actum, seu *quod est* et *quo est compositionem* facere: — ζ) Ex huiusmodi compositione in homine resultare *unicum esse compositi unius*, quod tamen in ipsa anima est *independens a corpore.*

Summa doctrinae Angelici.

93. Hisce autem positis, de quibus nequit dubitari, quaestio est: Num ista duo in uno et eodem reali ente substantiali creato, ex mente D. Thomae, praeseferant duas res aut entitates reales, aliam et aliam, an vero unius eiusdemque realis substantiae intentiones binas aut rationes obiectivas, aliam et aliam; et consequenter: Utrum ex earum unione resultet unum ens aut exsistens in ratione entis aut exsistentis realiter compositum, aut una realis intentio, seu realis ratio obiectiva composita.

Quaestio.

94. In qua quaestione Commentator opusculi *De Ente et Essentia* Caietanus, quem praecipue posteriores patroni distinctionis formaliter realis inter illa duo revera sequuntur, asserit tanquam rem omnino certam, mentem D. Thomae esse: inter actualem essentiam et esse creatarum substantiarum dari distinctionem compositionemque formaliter realem; quam distinctionem compositionemque suo modo nititur argumentis iam superius disiectis roborare. Scribit enim: « Circa supradicta duae dubitationes sunt. Prima est: An esse actualis exsistentiae et essentia distinguantur realiter. Secunda est: An intelligentiae sint compositae ex actu et potentia. — Circa primum tria agenda sunt. Primo ponetur opinio Scoti: secundo ponetur opinio S. Thomae: tertio respondebitur

Caietanus.

argumentis in oppositum..... Quoad secundum, opinio S. Thomae, ab eo posita *in II. contra Gentiles c. 52.*, est, quod in omni creatura quidditas et eius esse actualis exsistentiae distinguuntur realiter » [1]. Subinde vero : « Circa secundum dubium sciendum est, *inquit*, communem Philosophorum sententiam esse, intelligentias alias a prima non esse actus omnino puros, sed admixtionem in se potentiae habentes. Verum diversitas inter eos magna est de modo, quo haec duo, actus scilicet et potentia, eis insunt..... S. Thomas ex fundamentis in dubitatione praecedenti positis opinatur intelligentias et quamlibet creaturam esse compositas ex actu et potentia, sicut ex duabus rebus distinctis realiter, esse scilicet et essentia » [2].

Ex ipsa Caietani agendi ratione merito quis dubitat : Utrum quae tradit, D. Thomae sint.

95. Verum enimvero haec indubitanter Commentatoris sunt et illorum Doctorum, qui vel Caietanum praecesserunt, vel ipsum magistrum sequuti sunt sequunturque : an vero etiam D. Thomae sint, ex ipsa Caietani agendi ratione merito quis potest dubitare. Non asserit ipse D. Thomam, in hoc Opusculo, inter creati entis saltem substantialis actualem essentiam et esse, distinctionem formaliter realem tradidisse ; sed ex opinione, quam putat assertam comprobatamque in *Summa contra Gentiles*, conatur hic S. Doctorem intelligere ac declarare. Quid in illa *Summa* D. Thomas doceat, suo loco erit videndum. Hic ex Caietani agendi ratione desumimus illas formulas non esse ex sese evidenter significativas distinctionis formaliter realis, supponendamque esse distinctionem illam ut illis formulis significetur. In quo recte se gessit Commentator. Coniugatae enim loquutiones illae non necessario significant duas res, seu aliam et aliam realem entitatem, realem potentiam physicam passivam realemque physicum actum, physicum receptivum physicumque receptum, physicam demum aut proprie dictam compositionem ; sed, ut id satis in prima huius operis *Sectione* demonstravimus, possunt etiam significare unius eiusdemque rei aliam et aliam intentionem aut rationem obiectivam, metaphysicam potentiam actumque metaphysicum, metaphysicum item receptivum et receptum, atque porro metaphysicam compositionem. Si igitur aliunde sensus non determinetur ad physicas entitates, alias et alias, ex solis formulis nihil revera potest concludi.

Recte tamen se gessit.

Undenam obiectorum locorum sensus posset derivari.

96. In praesenti autem sensus ille posset determinari vel ex modo, quo communiter adhibentur a S. Doctore, vel ex modo, quo adhibentur in hoc Opusculo, ac praesertim in locis obiiciendis. Iam vero si priori nosmet dederimus viae, evidens est prorsus D. Thomam non semper illis formulis ad aliam et aliam realem entitatem significandam usum fuisse ; sed aliquando eas adhibuisse ad adaequatam inadaequatamque rationis ratiocinatae significandam distinctionem, seu ad significandam inadaequatam adaequatamque distinctionem fundamentaliter realem. Loquutiones formulasque illas omnes legimus supra in locis variis ex D. Thoma

Non ex aliis D. Thomae operibus ad mentem adversariorum.

Primo.

[1] Caietanus, *Comment. in Opusc.* De Ente et Essentia, *c. 5. q. 11.*
[2] *Idem, Ibidem, Circa secundum dubium.*

allatis, cum ageremus *de natura et supposito*. Probavimus autem evidenter non esse evidens in illis locis doceri distinctionem formaliter realem, sed solum fundamentaliter realem.

97. Ad haec, loquutiones illae : *Essentia et esse*, *aliud et aliud*, *potentia et actus*, *receptivum et receptum*, *quod est et quo est*, sin minus synonimae sunt, ad idem tamen *re* significandum in hoc loco adhibentur ; tum quia D. Thomas iisdem utitur fere indiscriminatim aut per quandam expolitionem, tum quia saltem unum ex altero infert ; tum demum quia adversarii ipsi, cum quibus disputamus, pro eodem eas accipiunt. Si ergo D. Thomas ipse ostendit unam aut plures coniugatarum illarum loquutionum non significare semper physicas entitates, sed significare *saltem* etiam logicas aut metaphysicas intentiones ; abs dubio in confesso erit omnes illas formulas loquutionesque posse significare solas rationes obiectivas, et consequenter ex iisdem per se inspectis, etiam apud D. Thomam, non haberi evidenter inter eas distinctionem formaliter realem physicamque compositionem ; sed solum distinctionem fundamentaliter realem, compositionemque metaphysicam. Atqui ita est. Audiamus S. Doctorem : « Semper id, *inquit*, a quo sumitur differentia constituens speciem, se habet ad illud unde sumitur genus, *sicut actus ad potentiam*. Animal enim sumitur a natura sensitiva per modum concretionis ; hoc enim dicitur animal, quod naturam sensitivam habet : rationale vero sumitur a natura intellectiva ; quia rationale est, quod naturam intellectivam habet. *Intellectivum* autem *comparatur ad sensitivum*, *sicut actus ad potentiam* »[1]. Rursum : « In omni composito oportet esse *potentiam et actum...* ; quia vel una partium est actus respectu alterius, vel saltem *omnes partes sunt sicut in potentia respectu totius* »[2], quod consequenter erit actus. Notum autem est nec differentiam distingui a genere distinctione formaliter reali, sed solum fundamentaliter reali, seu rationis ratiocinatae, nec totum ab omnibus simul suis partibus : et tamen ex D. Thoma genus et partes omnes sunt *sicut potentia*, differentia et totum *sicut actus*. Praeterea : « Aes, *ait*, non est pars sphaerae aereae aut cubi aerei, sicut *materia*, *in qua species recipitur* »[3] : quod idem repetit in nostro Opusculo, uti subinde videbimus. Species autem corporea, cum essentialiter constet etiam materia ex doctrina Angelici, non recipitur physice, sed metaphysice in materia signata aut designata. Adde quod alias legimus : « Aliquando, *inquit*, ex his, quae simul iunguntur, relinquitur aliqua res tertia, sicut ex anima et corpore constituitur humanitas, quae est homo : unde homo componitur ex anima et corpore. Aliquando autem ex his, quae simul iunguntur, non resultat res tertia, sed *resultat quaedam ratio composita...* et in talibus aliquid componitur ex seipso et alio »[4]. Non autem

Secundo.

D. Thomas.

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 5. corp.*
[2] *Idem, Ibidem, a. 7. corp.*
[3] *Idem, In V. Metaphys. Lect. 21. circa med.*
[4] *Idem, Quodlibeto 2. q. 2. a. 3. ad 1um.*

rem compositam, sed *hanc rationem compositam* inter *Angeli essentiam et esse* agnoscit Aquinas, uti evidens est, si responsio cum obiectione comparetur. Obiecerat enim: « Essentia Angeli est ipse Angelus..... Si ergo Angelus componeretur ex essentia et esse, componeretur ex seipso et alio. Hoc autem est inconveniens ». Ergo.

Neque ex locis obiiciendis.

98. Si secundam ineamus viam, inquiramusque quo sensu in hoc Opusculo loquutiones illas formulasque S. Doctor adhibeat, evidens omnino erit ex illis non probari evidenter inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque distinctionem formaliter realem a D. Thoma fuisse traditam; sed traditam solummodo fuisse distinctionem compositionemque fundamentaliter realem. Primus locus est: « In anima intellectiva et in intelligentia nullo modo est compositio ex materia et forma, ut hoc modo accipiatur materia in eis, sicut in substantiis corporalibus; *sed est ibi compositio formae et esse.* Unde in commento nonae propositionis *libri De Causis* dicitur, quod *intelligentia est habens formam et esse*, et accipitur ibi forma pro ipsa quidditate vel essentia simplici »[1].

Primus locus D. Thomae.

Bina in ipso continentur.

99. Hoc loco in substantiis spiritualibus duo apertissime admittuntur, *forma sive quidditas aut essentia* et *esse*, et eorum dicitur esse *compositio.* Non dicitur autem aperte, utrum illa duo, *forma et esse*, sint binae entitates reales absolutae, vel res et realis modus, vel binae rationes obiectivae intentionesve rei unius eiusdemque; uti neque dicitur, utrum illa compositio sit compositio physica et rerum, an solum metaphysica et rationum obiectivarum. Atqui manifestum est loquutiones illas formulasque posse apud D. Thomam distinctionem utramque compositionemque seorsim significare. Cum ergo hic speciale nihil addatur, utramque etiam hic possunt significare; et consequenter non cogimur distinctionem compositionemque formaliter realem intelligere, sed possumus intelligere distinctionem compositionem solum realem fundamentaliter.

Non cogunt admittere sensum adversariorum.

Praeoccupatur difficultas.

100. Utique in textu allato mentio fit materiae et formae earumque compositionis: quae cum physicae entitates distinctae sint physiceque componantur, opponanturque a S. Doctore formae et esse horumque compositioni, videntur inter formam et esse rerum distinctarum aut rei et modi physicam compositionem innuere. Ast hoc primo necessarium non est neque necessitate consequentiae, neque necessitate consequentis. Ut enim daretur eiusmodi necessitas, deberet supponi hoc principium: Dari debet in rebus creatis distinctio compositioque formaliter realis aut materiae et formae, aut formae et esse, aut utraque. At in substantiis spiritualibus non datur realis compositio ex materia et forma. Ergo datur saltem ex forma et esse. Illud autem principium D. Thomas, hoc loco, neque assumit, neque supponit, uti legenti potest patere. Eo vel magis quod illam compositionem non inferendo probat, sed asserendo statuit, subinde, uti videbimus, probaturus.

Necessaria non est neque necessitate consequentiae, neque consequentis.

[1] *Idem, De Ente et Essentia, c. 5. n. 2.*

Statuit autem in illum finem, ut *proxime* quidem inferat: « Huiusmodi ergo substantiae quamvis sint formae sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiae »[1]; *ultimo* vero ut ostendat eiusmodi substantias a divina substantia discriminari, quod plenius sequenti capite persequitur. Utrumque autem hoc sola compositione metaphysica et rationum obiectivarum satis habetur. Si enim substantiae spirituales sunt metaphysice compositae, *omnimoda carent simplicitate*, et a divini esse puritate infinite distant.

101. Quod si instetur heic comparari quodammodo compositionem ex forma et esse cum compositione ex materia et forma; comparatio autem inter res eiusdem generis instituitur; respondetur: Comparationem, si qua est, non esse positivam, sed negativam. Conveniunt utique in ratione potentiae et actus materia et forma, essentia et esse, et aliquo modo ex iisdem compositio. Sed quoniam comparatio non est positiva, quae requirit in extremis comparatis convenientiam, sed negativa, ad quam satis est in aliquo discrepantia; ex vi comparationis, negato altero extremorum, alterum ponatur necesse non est. Quid vero si comparatio fiat aut intelligatur generica quadam ratione, non univoca et propria, sed analogica et impropria? Et quidem verba S. Doctoris hoc alterum videntur innuere. Ait enim: « In anima intellectiva et in intelligentia nullo modo est compositio ex materia et forma, *ut hoc modo accipiatur materia in eis, sicut in substantiis corporalibus* ». Ergo materia, quae negatur, est materia corporalis, simulque innuitur analogica quadam ratione etiam in substantiis spiritualibus materiam quodammodo haberi. Iam si ita est, verba immediate sequentia: « Sed est ibi compositio formae et esse », sunt expolitio vel plenior declaratio analogicae illius materiae et formae, quae sunt *essentia* et esse, quas in substantiis spiritualibus hic quidem implicite, alibi explicite S. Doctor admittit. Compositio vero, quae analogicae materiae et formae potest competere ex vi comparationis cum propria materia et forma, est vel potest esse metaphysica, saltem non necessario et evidenter debet esse physica.

Instantia.

Disiicitur.

102. Quae diximus, apertissimam in verbis sequentibus inveniunt confirmationem: « Unde in commento nonae propositionis libri *de Causis* dicitur, quod intelligentia est habens formam et esse, et accipitur ibi forma pro ipsa quidditate vel essentia simplici ». Adeamus ergo librum *de Causis*. In loco a S. Doctore laudato haec leguntur: « Et intelligentia est habens yleachim (*al. yliathim*), quod est esse et forma; et similiter anima est habens yleachim; et natura est habens esse yleachim. Et causae quidem primae non est yleachim, quoniam ipsa est tantum esse ». Huiusmodi locum D. Thomas expositurus scribit: « Similiter etiam prosequitur quantum ad *esse*, ostendens quod causa prima habet altiori modo esse, quam alia. Nam intelligentia habet yleachim,

Confirmatur responsio.

Locus ex libro: *De causis* in textu allatus.

D. Thomae expositio.

[1] *Idem, Ibidem. n. 3.*

id est, *aliquid materiale vel ad modum materiae se habens ;* dicit enim yleachim ab yle, quod est materia : et quomodo hoc sit exponit subdens : « *Quoniam yleachim esse et forma* ». Quidditas enim et substantia ipsius intelligentiae est quaedam forma subsistens et immaterialis : sed quia ipsa non est suum esse, sed est subsistens in esse participato, comparatur ipsa forma subsistens ad esse participatum, sicut potentia ad actum, et ut *materia ad formam.* Et similiter anima est habens yleachim, non solum ipsam formam subsistentem, sed etiam ipsum corpus, cuius est forma. Similiter etiam natura est habens yleachim ; quia corpus naturale est compositum ex materia et forma. Causa autem prima nullo modo habet yleachim ; quia non habet esse participatum, sed ipsa est esse primum, et per consequens bonitas pura ; quia unumquodque, in quantum est, bonum est. Oportet autem quod omne participatum derivetur ab eo, qui est pure subsistens per essentiam suam. Unde relinquitur quod esse intelligentiae et omnium entium sit a bonitate pura causae primae » [1].

Collectio ex D. Thomae expositione.

103. Quo in loco, si quis probe animadvertat, id apertissime habetur, in substantiis spiritualibus *esse* et *essentiam* comparari ad potentiam et actum, *ad materiam primam et formam* comparatione quadam generica et analogica, eaque admodum impropria : « Intelligentia, *ait*, habet yleachim, id est, *aliquid materiale, vel ad modum materiae se habens* ». Et rursum : « Quia ipsa (*essentia intelligentiae*) non est suum esse, sed est subsistens in esse participato, comparatur ipsa forma subsistens ad esse participatum, *sicut potentia ad actum, et sicut materia ad formam* ». Itaque cum huiusmodi analogica ac intentionalis comparatio stare optime possit, imo melius stet cum distinctione ac compositione intentionali, seu solum fundamentaliter reali, quam cum distinctione et compositione formaliter reali (debet enim distinctio et compositio inter essentiam et esse respondere extremis, quae hic ceu intentionalia clare exhibentur) ; non solum nequit haec inter huiusmodi extrema evidenter intelligi, sed melius longe non intelligitur ; intelligitur illa e contra, quae ab extremorum natura, ut hic exhibentur, requiritur necessario. Inferius vero in anima distinguit materiam intentionalem a materia reali, inquiens : « Anima est habens yleachim, *non solum ipsam formam subsistentem* (*en materia intentionalis*), sed etiam *ipsum corpus* (*en materia realis*), cuius est forma ». — Quod si inquiras, quare D. Thomas cum auctore libri *de Causis* agnoscat in substantiis spiritualibus aliquid quasi materiale et aliquid quasi formale, aliquid ut potentiam et aliquid ut actum, tota ratio est, quod huiusmodi substantiae non sunt suum esse, sed habent esse participatum. Iam vero in sermone D. Thomae non esse suum esse, uti saepe vidimus, idem est ac totum, quod in re est, non esse τὸ *esse*, nec esse totum *esse*, seu rem non esse quidditatem, cui tota essendi ratio sua sit, ac porro ex vi sui sit; sed esse quidditatem, cui aliqua essendi ratio limitata ac porro

[1] D. Thomas, *In librum de Causis, Lect. 9. lit. 6.*

potentialis competat, atque adeo non ex vi sui sit, sed ex productione alterius. Haec autem, uti modis omnibus in superioribus demonstravimus, praeseferunt metaphysicam conceptuum aut rationum obiectivarum distinctionem compositionemque, non distinctionem compositionemque rerum, ac porro physicam. Quapropter, hoc eodem loco, paulo superius D. Thomas ait: « Causa prima non est intelligentia, nec est anima, nec natura; sed est supra omnia ista, quasi creatrix earum cum quodam ordine. Nam intelligentia causatur immediate a causa prima; anima vero, et natura, et reliquae res mediante intelligentia: quod intelligendum est sicut supra dictum est in tertia propositione, *non quod esse eorum sit causatum ab intelligentia; sed quia ista secundum suam essentiam sunt creata solum a causa prima*, per intelligentiam vero sortiuntur quasdam perfectiones superadditas ». Ergo D. Thomae *esse causari* et *rem creari secundum suam essentiam*, saltem in sensu quodam reali, identica sunt, atque adeo *essentia actualis* et *esse*, iuxta ipsum, distinctione formaliter reali non distinguuntur.

Inspicitur contextus

104. Si non textum, sed contextum inspiciamus, D. Thomas, postquam probavit dari posse aliquam formam sine materia corporali, cuius tota essentia sit esse formam, assignat discrimina tria inde exoritura inter substantiam simplicem et compositam. Horum discriminum secundum est, quod in statu et in sensu reali (de ordine enim reali loquitur), sed tamen intentionali, substantiae simplicis quidditas non potest praedicari, nisi ut *totum* (en secunda quaedam intentio); dum quidditas substantiae compositae praedicari potest ut *totum*, et ut *pars*, utique formalis: « Sed essentia rei simplicis, quae est sua forma, non potest significari, nisi ut *totum*, cum nihil sit ibi praeter formam, quasi formam recipiens: et ideo quocumque modo sumatur essentia substantiae simplicis, de ea (*de substantia nimirum simplici*) praedicatur. Unde Avicenna dicit quod *quidditas substantiae simplicis est ipsummet simplex;* quia non est aliquod recipiens ipsam »[1]. Possumus ergo sic arguere: Substantiae simplicis essentia est a parte rei ipsum simplex. Ipsum simplex a parte rei includit exsistentiam; est enim extra nihilum et extra causas. Ergo essentia substantiae simplicis a parte rei includit exsistentiam. Et non essentialiter. Ergo realiter, seu in statu reali sibi exsistentiam identificat. Fac exsistentiam, tanquam rem omnino aliam, esse coniunctam cum simplici quidditate. In hac hypothesi, illa propositio: *Quidditas substantiae simplicis est ipsum simplex*, non esset vera *in sensu formali aut essentiali*, uti omnes ad unum docemus; non enim ex vi suae essentiae realis est simplex substantia, sed ex vi creationis a Deo: non esset vera *in sensu reali;* quia exsistentia aut realitas sive actualitas essentiae in rerum natura esset res aut entitas realiter alia ab ipsa essentia. Ergo illa propositio affirmans identitatem inter essentiam et realem essentiam substantiae simplicis, quae est ipsum simplex, esset simpliciter falsa. D. autem

Probatur intentum.

[1] Idem, *De Ente et Essentia, c. 5. n. 3.*

Thomas approbat ut veram. Non ergo distinctionem formaliter realem, sed realem identitatem inter essentiam et esse substantiae simplicis agnoscit. Idem dici posset de substantia composita. Sed de ea mox.

105. Subdit S. Doctor: « Huiusmodi ergo substantiae, quamvis sint formae sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiae »[1]. Quaerimus: Quo sensu dicat S. Doctor substantias spirituales creatas non esse *actus puros*, et habere *permixtionem potentiae.* Estne sensus: Sic sunt formae seu actus formales, ut simul habeant rationem *potentiae subiectivae* PHYSICAE, an vero solum METAPHYSICAE? Commentator hic, postquam longa speculatione, quae tota ipsius est et in aliquibus contra D. Thomam uti, si operae pretium esset, facile posset probari: postquam, inquam, longa speculatione convenientias discrepantiasque inter compositionem, quae est ex materia et forma, et illam, quae est ex essentia et esse declaravit, tandem concludit: « In littera igitur hanc secundam compositionem (*ex essentia et esse*) in omni ente citra primum inveniri probatur tali conclusione proposita: *Omne ens, aliud a primo, est compositum ex esse et essentia* »[2]: et intelligit reali compositione ex physica potentia et physico actu.

Quo sensu substantiae spirituales non sunt actus puri.

Caietanus.

106. Haec vero Caietani esse, non D. Thomae, facillime probatur. Laudata enim S. Doctoris verba, uti intelligitur ex modo loquendi illativo: *Huiusmodi ergo substantiae.....*, collectio quaedam sunt ex praecedentibus. Id ergo colligunt, quod in praecedentibus propositum declaratumque est de discrimine inter substantias compositas et simplices seu spirituales. Atqui, ex modo dictis, sic adstruxit Aquinas substantias spirituales, quamvis non constent corporali materia et forma, constare tamen essentia et esse, ut essentia sit non materia, sed ad modum materiae, eademque potentia sit sensu quodam communi et analogico, non stricto et proprio. Ergo eodem sensu nunc asserit substantias illas spirituales habere permixtionem potentiae. At potentia communi quodam sensu et analogico non est potentia subiectiva eademque physica, sed solum metaphysica aut logica. Ergo.

Quae dicit Caietanus, non sunt D. Thomae.

Primo.

107. Tum si assertionis verba ipsa consideramus, haec negant substantias spirituales creatas *omnimoda* gaudere *simplicitate* et esse *actus puros;* asserunt vero eas habere, *permixtionem potentiae.* Tunc ergo potentia istaec, ex vi assertionis, esset necessario potentia subiectiva physica quando, si secus esset, si esset nimirum potentia metaphysica, substantiae spirituales creatae gauderent omnimoda simplicitate essentque puri actus, ac nulla in eis haberetur potentiae permixtio. Atqui potentia metaphysica sufficit, ut in ipsis habeatur potentiae permixtio, excludaturque ab ipsis omnimoda simplicitas, ac purus actus. Omnimoda enim simplicitas et purus actus omnem prorsus potentiam passivam non solum phy-

Secundo.

---

[1] *Idem, Ibidem, n. 3.*

[2] Caietanus, *In hunc locum:* DECIMA DIFFERENTIA.

cam, sed etiam metaphysicam excludat necesse est, ne secus omnimoda in essendo puritas potentialitate aliqua obfuscetur. Supponamus ab aliquo ente non removeri potentiam passivam metaphysicam, sed solum physicam omnem. In ipso in eiusve quidditativis perfectionibus inveniretur ratio inferioris et superioris, ratio naturae alicuius communis et magis vel minus determinatae, ratio subinde generis et differentiae, ipsius saltem perfectiones ex sese seu formaliter alias perfectiones non includerent, nec consequenter essent simpliciter τὸ *esse*, seu tota essendi ratio. His autem positis, a puritate essendi infinite ens illud distaret. — Adde quod loquutiones D. Thomae. *Omnimoda simplicitas* — et: *Permixtio potentiae*, potentiam diminutam, ac porro metaphysicam, seu distinctionem non rerum, sed rationum formalium obvie praeseferunt.

Tertio.

S. Doctoris celebris demonstratio analysi subiicitur.

108. Haec clariori in luce collocabuntur, si probationem ipsam, qua S. Doctor in his substantiis permixtionem potentiae essentiaeque et esse compositionem demonstrat, perlustraverimus. Sequitur enim post verba laudata: « Et hoc sic patet. Quidquid enim non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra, et faciens compositionem cum essentia; quia nulla essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc, quod aliquid intelligatur de esse suo facto; possum enim intelligere quid est homo vel phoenix, et tamen ignorare an esse habeant in rerum natura. Ergo patet quod esse est aliud ab essentia vel quidditate » [1]. — Primum omnium hic inquirendum est: Num D. Thomas loquatur de abstracto et praecisivo ordine intelligibilitatis, an de adaequato ac praesertim physico et concreto ordine realitatis. Atque plane sive loquutiones terminive singuli inspiciantur, sive ratiocinatio tota, prout praemissis et conclusione constat, consideretur, pronum videtur esse D. Thomam in metaphysico ac praecisivo quidem intelligibilitatis ordine versari, adaequatum autem physicumque realitatis ordinem non attingere. Ait enim: *Quidquid non est de intellectu essentiae — Nulla essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest — Omnis essentia... intelligi potest sine hoc, quod aliquid intelligatur de esse suo facto — Possum intelligere quid est homo..... et tamen ignorare utrum esse habeat in rerum natura.* Haec autem praecisivum conceptuum ordinem, non ordinem adaequatum rerumque praeseferunt, uti evidens est. — Praemissae item binae universales sunt, abstractae, analyticae: nihilque obest quominus ipsis respondeat conclusio: *esse est* ALIUD; quod *aliud*, ex doctrina D. Thomae et veritate, *indeterminate* significat [2]. In praecisivo igitur intelligibilitatis ordine, prout a facto adaequatave rerum ratione praescindit, continet sese S. Doctor; minimeque definit: Utrum in una eademque actu exsistente re creata essentia eiusque esse binae sint physicae entitates reales

In quo ordine procedit, intelligibilitatisne, an realitatis?

[1] *Idem, Ibidem.*
[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 31. a. 2. ad 4um.*

absolutae, aut res et realis modus ; sed solum : Utrum in creatis entibus praecisiva essentiae ratio ac praecisiva ratio τοῦ *esse* aliam et aliam exhibeant notionem, in unamque confluant rationem compositam : quod aiendo definitum reali utriusque identitati minime officit, ut notum est.

Praeoccupatur difficultas.

109. Verum est S. Doctorem dicère : *Quidquid non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra et faciens compositionem cum essentia.* Ast hoc obvie significat id non haberi ab intrinseco seu essentialiter, sed ab extrinseco agente, uti subinde infert et probat Angelicus, quemadmodum essentia ipsa realis est ab extrinseco agente et non ex vi suimet ipsius ; non autem quod alia res sit realisve modus, qui cum essentia physice componatur. Supponamus mentem D. Thomae non esse, quam dicimus, sed quam dicunt adversarii. Quid tum ? Ratio D. Thomae esset ad probandum inefficax, utpote quae probaret nimium, adeoque nihil. Enimvero illa ratio, in sensu adversariorum, probaret etiam differentiam specificam esse rem aut entitatem realem aliam a genere in una et eadem specie, cum ipsoque physice componere ; realiter distingui inter sese ac physice componere inferiores et superiores gradus metaphysicos ; realiter distingui ac physice componere essentiam communem aut individuam eiusque proprietates metaphysicas. Applicemus principium D. Thomae his rationibus. Quidquid non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra *ut aliquid re distinctum*, et faciens *physicam* compositionem cum essentia. Omnis autem differentia specifica, omnis gradus metaphysicus inferior, omnis proprietas metaphysica non est, *respective*, de intellectu generis, gradus superioris, essentiae communis aut individuae ; possum enim intelligere quid sit vivens, et tamen ignorare utrum sit sensu praeditum ; quid sit animal, et tamen ignorare utrum sit determinate rationale aut irrationale ; quid sit homo, et ignorare utrum sit risibilis. Ergo sensu praeditum, rationale, risibile extra adveniunt viventi, animali, homini, tanquam aliquid realiter distinctum, et physicam faciens cum illis compositionem. — Conclusio autem, etiam ex sententia adversariorum, est certissime falsa.

In sensu adversariorum ratio D. Thomae esset inefficax.

Nimium probaret.

Caietani expositio.

110. Vidit hanc instantiam Commentator, ad eiusque vim suo modo infringendam scripsit : « Decimo (*compositio materiae, et formae, et essentiae et esse*) differunt quoad passiones suas. Compositionem enim primam quantitas, accidentia sensibilia et transmutatio, saltem localis, sequuntur. Compositionem autem secundam neque generatio, neque corruptio, neque transmutatio aliqua physica sequitur, sed tantum recipere et recipi, perficere et perfici ; quia haec sequuntur actum et potentiam, illa vero materiam et formam. — In littera igitur hanc secundam compositionem in omni ente (*etiam in accidentibus ? !*) citra primum inveniri probatur, tali conclusione proposita : *Omne ens, aliud a primo, est compositum ex esse et essentia.* Ratio talis est. Omne ens habens aliquid realiter suae quidditati coniunctum, quod est extra essentiam eius, est compositum ex quidditate et illo additamento, id est, essentia et

esse. Omne ens, aliud a Deo, habet aliquid reale suae quidditati realiter coniunctum extra essentiam eius, scilicet esse. Ergo omne ens, aliud a Deo, est compositum ex esse et essentia. Maior relinquitur a S. Thoma pro manifesta. *Et est modificanda ita, quod illud additum sit extra essentiam rei particulariter sumptam : quod dico propter inferius* (quod), *cum sit extra essentiam superioris, non tamen componit cum illo.* Et etiam deservit sic modificata propositio ; quia esse est extra essentiam Sortis ; non enim poneretur in eius definitione, si definiretur. Relinquitur igitur manifesta maior ; quia duo adunata, quorum neutrum est contrahens alterum, et alterum se habet ut actus, et alterum ut potentia, non nisi per compositionem realiter sunt coniuncta. Minor autem patet ex sexta differentia, et Aristotele *I. Posteriorum* dicente, quod nulla definitio significat esse ». — In sexta vero differentia ait Caietanus : « Sexto differunt, quia extremum illud, quod in prima compositione (*materiae et formae*) se habet ut actus, est de intellectu vel definitione intrinsece ; forma enim, secundum omnes, intrinsece in definitione concipitur. Extremum vero illud, quod in secunda compositione (*essentiae et esse*) se habet ut actus, est extra quidditatem rei ; definitio enim non significat esse vel non esse, ut dicitur *I. Posteriorum* »[1].

Arbitraria est prorsus.

111. In hac Caietani expositione in oculos insilit ipsum non clariorem reddere ratiocinationem D. Thomae, sed arbitrarie prorsus novas proferre propositiones ratiocinationemque ex integro fere suam. S. Doctor ait : *Quidquid non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra, et faciens compositionem cum essentia.* Caietanus vero : *Omne ens habens aliquid realiter suae quidditati coniunctum, quod est extra essentiam eius, est compositum ex quidditate et illo additamento, id est, essentia et esse.* Binae istae propositiones, si presse, ut par est, accipiantur, neque verbis, ut evidens est, neque re identicae sunt. Potest enim aliquid non esse de intellectu essentiae, nec tamen realiter essentiae coniunctum, sed realiter identicum. Sic personalitates in divinis, iuxta veriorem sententiam, non sunt de intellectu divinae essentiae, nec tamen sunt realiter coniunctae cum essentia, sed simplicissime realiter identicae ; sic differentiae specifica et individualis non sunt de intellectu generis aut speciei, et tamen non realiter coniunguntur cum natura generis et speciei, sed sunt realiter identicae ; sic proprietates metaphysicae non sunt de intellectu naturae specificae aut individualis, ac rursum non realiter coniunguntur cum natura specifica aut individuali, sed sunt realiter identicae. *Additamentum* vero illud, cuius meminit Caietanus, ex nullis D. Thomae verbis proprie intellectis potest derivari. Quod ait S. Doctor : *Hoc est adveniens extra*, non significat aliquid realiter extrinsecum essentiae addi ; sed quod in essentia non est de ipsa ratione essentiae, hoc in ipsa esse debet ab extrinseco agente, uti clamant

Comparantur D. Thomas et Caietanus.

[1] Caietanus, *loc. ult. cit.*

verba et tota D. Thomae doctrina. Ab extrinseco autem agente est ut ipsa essentia, quae de se possibilis est, realis sit : haec autem essentiae realis ratio extrinsecum nullum realiterque distinctum additamentum exigit, sed exigit solum ut producatur. Ineptum demum est quod addit : *Essentia et esse*, cum maior illa propositio universaliter abstracte enunciet ; de essentia vero et esse in minori instituatur comparatio. — Subdit rectissime in forma S. Doctor : *Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc, quod aliquid intelligatur de suo esse facto.* Caietanus contra: *Omne ens, aliud a Deo, habet aliquid reale suae quidditati realiter coniunctum extra essentiam eius, scilicet esse.* Quis unquam dixerit, modo recte verba intelligat, secundam hanc propositionem prioris illius expositionem esse ? Numquid idem sunt : *Unum posse intelligi, quin aliud intelligatur ;* et : *Omne ens habet aliquid reale suae quidditati realiter coniunctum ?* Prius illud habere locum potest in re pluribus rationibus formalibus adaequatis, quin etiam inadaequatis, si de conceptu explicito sermo sit, constante ; alterum significat rem et rem, aut rem et rei modum reali unitione coadunata. Quo iure haec in medium afferuntur ? Nimirum ex praeconcepta opinione τὸ *esse*, in sententia D. Thomae, significare entitatulam realiter distinctam essentiaeque impressam, cum tamen ex nullo Angelici loco id habeatur, et primo, ut videtur, ab Aegidio Romano excogitatum sit. Ceterum si verba D. Thomae Caietani intellectum expositionemque paterentur, abstractiones omnes metaphysicas in reales entitatulas distinctas liceret convertere. — Tandem S. Doctor, suppressis conclusione immediata et subsumpta, quae ita haberent : *Ergo esse factum est extra adveniens et faciens compositionem cum essentia. Quod autem huiusmodi est, est aliud ab essentia vel quidditate*, infert : *Ergo patet quod esse est aliud ab essentia vel quidditate.* Caietanus vero : *Ergo omne ens, aliud a Deo, est compositum ex esse et essentia.* Istaec conclusio verbis eadem *fere* est cum prima S. Doctoris illatione ; sensu vero est certo certius alia. Caietanus intelligit : *Est compositum* REALITER ; D. Thomas : FORMALITER, aut saltem ab hoc praescindit. Satis ipsi est, ut substantiae spirituales una vel alia ratione obiectiva compositae sint, ut de eis dici possit : *In eis non est* OMNIMODA SIMPLICITAS, *nec sunt* ACTUS PURI. Quod si aliqua determinata compositio in D. Thomae verbis debet intelligi, haec, ex dictis et ex mox dicendis, nequit esse *physica*, sed solum *metaphysica.*

Procedit ex Aegidiana notione τοῦ *esse*, quae nullibi in D. Thoma habetur.

Quo processu omnes abstractiones metaphysicas in reales entitatulas liceret convertere.

112. Postquam autem suo sensu ac voluntate D. Thomam Commentator exposuit, id addit, quod nemo unus fuisset suspicatus. Contendit argumentationem D. Thomae non probare, atque esse corrigendam, ut efficaciter probet. « Maior, *inquit*, relinquitur a S. Thoma pro manifesta. Et est *modificanda* ita, quod illud additum sit extra essentiam rei particularis : quod dico propter inferius (*quod*), cum sit extra essentiam rei superioris, non tamen componit cum ipsa ». Ergo ex Caietano erravit D. Thomas, inefficaciter et ex falso principio, quod assumpsit, probando. Nonne

Caietanus contendit argumentum D. Thomae non probare et esse corrigendum.

Ergo erravit D. Thomas.

verius, et certe maiori cum reverentia, dicet quis errasse Caietanum verbis D. Thomae sensum appingendo, quem S. Doctor non intendebat? Enimvero si non sensu Caietani de compositione physica, sed sensu D. Thomae de compositione metaphysica illa verba intelliguntur, opus non est propositionem illam modificare; et argumentatio D. Thomae per sese, et quidem efficaciter concludet, uti statim demonstrabimus. Mirum adhuc magis est quod Caietanus, propositionem illam in suo sensu modificando, non eam exhibuit talem, ut suae conclusioni probandae sufficeret. Subdit enim: « Et etiam deservit sic modificata propositio; quia esse est extra essentiam Sortis; non enim poneretur in eius definitione, si definiretur. Relinquitur igitur manifesta maior; quia duo adunata, quorum neutrum est contrahens alterum, et alterum se habet ut actus, et alterum ut potentia, non nisi per compositionem realiter sunt coniuncta ». — Verum propositio illa, etiam a Caietano modificata, non deservit ei rei probandae, quam ipse intendebat; et consequenter maior in suo sensu non relinquitur manifesta, sed relinquitur falsa. Propositio enim modificata esset sequens: *Omne ens habens aliquid realiter suae quidditati singulari coniunctum, quod est extra essentiam singularem eius, est compositum* (realiter) *ex quidditate singulari et illo additamento.* Atqui, subnectimus nos, omne vel aliquod saltem creatum ens habet suae quidditati singulari realiter coniunctas proprietates metaphysicas, quae sunt extra eius singularem essentiam. Ergo proprietates metaphysicae realiter componuntur cum essentia singulari: quod nemo forsan unus, certe non dicet Caietanus. Falsitas autem consequentis falsitatem ostendit antecedentis. Si vero Caietanus diceret proprietates metaphysicas non esse entitates alias ab entitate essentiae, nec proinde, hoc sensu, realiter cum ipsa coniunctas; vel in sua argumentatione falsum supponeret, vel peteret principium. Supponeret enim τὸ *esse* entitatem esse realem aliam ab entitate essentiae, quod vel falsum est, vel praecise in quaestione, tum ontologica tum critica, versatur. Quapropter non in solo inferiori respectu superioris, sed etiam in proprietatibus metaphysicis, et universim ubicumque variae rationes obiectivae essentiam non contrahentes vel, uti recentiores quidam aiunt, essentialia principia non designantes et determinantes, *formaliter* distinctae, *realiter* unum sunt, falleret illa D. Thomae propositio, si sensu Caietani intelligeretur.

Verius erravit Caietanus verbis D. Thomae alienum sensum appingendo.

Neque tamen, quod mirum est, etiam sic intentum obtinet.

113. At vero si prout a D. Thoma proposita est, intelligatur demonstratio illa de sola compositione metaphysica rationum obiectivarum, deque praesupposita distinctione fundamentaliter reali essentiae et esse, nullo modo modificanda est S. Doctoris argumentatio, ut probet intentum. Sit specimen: Quidquid non est de intellectu essentiae vel quidditatis, *hoc non habetur ex vi essentiae*, sed est adveniens extra, et faciens *proportionatam* compositionem cum essentia, id est, physicam aut metaphysicam, prout est id quod extra advenit, res nimirum physica realisve modus, aut ratio quaedam seu formalitas. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc, quod aliquid intelligatur de suo

Invicta demonstratio D. Thomae de compositione metaphysica.

esse facto. Ergo esse factum advenit extra essentiae, et facit *proportionatam* compositionem, physicam nimirum aut metaphysicam, cum ipsa. Quidquid autem huiusmodi est, est physice aut metaphysice aliud ab essentia. Ergo esse factum est physice aut metaphysice aliud ab essentia.—Hoc argumento, quod prima fronte unice probatur, est non omnimoda identitas, realis nimirum et formalis, τοῦ esse facti et essentiae in creatis, et consequenter non omnimoda simplicitas intelligentiarum, uti D. Thomas intendebat. Quandoquidem autem illa non identitas, intellecta in ordine physico et realitatis, illis incommodis subiacet, quae Caietanus et nosmetipsi superius notavimus; intellecta autem in ordine metaphysico et intelligibilitatis praecisivae nullum offendit incommodum, ac satis superque est ad intentum D. Thomae evincendum, valde congruum est asserere hoc altero sensu demonstrationem illam a S. Doctore fuisse intellectam. Incredibile enim est non vidisse D. Thomam, quod vidit Caietanus, quod ipsi nos videmus. Tum *esse factum* ait hic Aquinas non esse de intellectu essentiae. Docuit autem nos superius eo ipso, quod essentia fit, essentiam esse. Realitas proinde ipsa essentiae hic intelligitur per *esse factum*, non entitatula aliqua ab essentia realiter distincta ipsique impressa; et ipsa essentiae realitas est, quae dicitur non esse, et revera non est de creati entis intellectu. Adde demum sensum nostrum et exigi ab iis, quae in antecessum dicta sunt, et dicentur adhuc de obiectis locis et de toto Opusculo *De Ente et Essentia*, et respondere toti D. Thomae sapientiae, quod in fine totius demonstrationis nostrae erit manifestum.

Incredibile est non vidisse D. Thomam, quod vidit Caietanus.

Secundus locus D. Thomae.

114. Secundus locus est: « Res, quae sit suum esse, non potest esse, nisi una. Unde oportet quod in qualibet alia re praeter eam, sit *aliud esse suum*, et *aliud quidditas*, *vel natura*, *seu forma sua*. Unde in intelligentiis oportet quod sit *esse praeter formam:* et ideo dictum est quod intelligentia est *forma et esse* »[1]. Tertius vero locus huic affinis habet: « Patet ergo quod intelligentia est *forma* et *esse*, et quod esse habeat a primo esse, quod est esse tantum: et hoc est prima causa, quae est Deus »[2] — Si quis recte animadvertat, quae duobus his locis continentur, non sunt nisi expolitio et confirmatio eorum, quae de substantiarum spiritualium *esse* et *forma*, *horumque compositione* S. Doctor immediate ante et declararat, et asseruerat, et demonstrarat. Si ergo haec, uti ostensum est, non de distinctis realitatibus deque physica compositione intelligenda sunt, sed sunt intelligenda de distinctis formalitatibus, deque metaphysica compositione; loca etiam obiecta nonnisi hac altera ratione possunt intelligi. — Tum, si speciatim loquutiones ipsas consideremus, heic habemus: *Aliud esse*, *aliud quidditas* — *Esse praeter formam* — *Forma et esse.* Age iam loquutiones hae in solis rationibus obiectivis habent veritatem; nihil autem est, quod eas determinet ad significandas res, aut rem et

Tertius locus S. Doctoris.

Illatio ex dictis.

Quid loquutiones praeseferant.

[1] D. Thomas, *De Ente et Essentia*, c. 5. n. 3.
[2] *Idem*, *Ibidem*, n. 4.

modum realem. Ergo solas rationes obiectivas, non autem res aut rem et modum realem heic significant. Et quidem quod in solis rationibus obiectivis habent veritatem, evidens est. Nam cum: *Aliud* neget identitatem entitativam inter duo vel plura, et quidem indeterminate; eiusmodi negatio habere locum potest tum inter duas vel plures rationes entitativas obiective inspectas, tum inter duas vel plures res aut entitates reales, sive absolutas, sive modales. De duabus ergo rationibus entitativis inter sese differentibus dici potest ex veritate: *Aliud et aliud.* — Item: *Esse praeter formam* potest significare non solum quod: *Esse* est res alia, aut modus realis alius a forma vel natura; sed etiam quod: *Esse* non est de ratione formae aut naturae, seu quod non essentialiter naturae cuilibet, praeter Deum, competit; atque porro quod forma et esse binae sunt rationes obiectivae inter sese formaliter distinctae. — Tandem cum: *Forma* et *Esse* binae rationes sint formaliter distinctae, quamvis realiter identicae, ut huc usque probatum est, saltem sic esse possint; nihil impedit, quominus in sensu formali, sin minus reali, ceu distinctae exhibeantur, et per particulam: *Et* copulentur.

Aliud negat identitatem entitativam inter plura.

115. Quod autem in locis obiectis nihil est, quod determinet loquutiones illas, saltem evidenter, ad significandas res, aut reales entitates sive absolutas, sive modales ex mente D. Thomae; imo quod sensus sit de solis rationibus obiectivis, sequenti pacto declaratur. Loquutiones illae, praeter dicta, inspici possunt vel relate ad assertionem principem, ratione cuius in medium afferuntur, vel relate ad rationem proximam, ex qua inferuntur, vel relate ad illationem, quae ex illis infertur. Sub triplici isto respectu, ex mente D. Thomae, non exigunt res, sed rationes obiectivas formaliter distinctas. Etenim assertio princeps ac praecipuum intentum S. Doctoris in iis proferendis est, ut probet aut declaret in substantiis spiritualibus creatis non dari *omnimodam simplicitatem*, nec *eas esse actus puros*, uti paulo ante legimus. At sola distinctio rationum formalium inter *essentiam et esse* ad hoc ubertim sufficit, uti ostensum est, et distinctio realis, ex hoc ipso, est impertinens. Ergo. — Rursum ratio aut principium, ex quo infert, illud est: *Res, quae sit suum esse, non potest esse, nisi una.* Sensus autem huius principii, uti pluries ex ipso S. Doctore edocti sumus, ille est: *Res, de cuius essentia sit esse, ac proinde sit totum et solum esse, nequit esse nisi una;* non autem: *Res, quae pro statu reali sibi esse identificat, nequit esse, nisi una:* qui sensus et ex se falsus est, uti in *Sectione II.* demonstravimus, et usque adeo videtur abiectus, quemadmodum Sotus, in superioribus laudatus [1], innuit, ut indignus D. Thoma videatur. Si autem sensus illius principii est, quem diximus; ex ipso nonnisi distinctio formalis aut formalitatum, non realis aut rerum infertur, ut evidens est. — Tandem illatio, quam infert, est: *Intelligentia esse habet a primo esse, quod est esse tantum: et hoc est prima causa, quae est Deus.* Haec autem

In locis obiectis nihil est, quod loquutiones ad sensum realem determinet.

Declaratur.

Sensum realem non exigit assertio princeps.

Non exigit ratio proxima.

Non exigit illatio, quae infertur.

[1] *Vide supra, n. 22. huius sectionis III.*

illatio sequitur necessario ex eo, quod esse non est de essentia intelligentiae, sive sit ei realiter identicum, sive non; forsan *absolute* non sequitur, uti alibi notavimus [1], certe non est necesse ut τὸ *esse* realiter ab essentia distinguatur, ut teneat illa consequentia. Primum patet. Nam si τὸ *esse* non est de essentia intelligentiae, haec non est a se, sed ab alio, qui nequit esse, nisi Deus. Non requiritur autem realis distinctio inter essentiam et esse; quia ipsa essentia intelligentiae est ens quoddam producibile; producibile item est, ex sui conceptu, esse limitatum. Si ergo huiusmodi esse identicum sit realiter suae quidditati, hac producta, ipsum esse producetur, habebiturque ex vi productionis ipsa intelligentia realis seu exsistens sine fictione entitatulae non necessariae et rationi minus congruae. Loca proinde illa bina S. Doctoris non probant evidenter ab ipso distinctionem formaliter realem fuisse intentam, sed solum distinctionem fundamentaliter realem: omnimodis evidens ex illis est illam distinctionem non evidenter probari.

Quartus locus S. Doctoris.

116. Quartus locus est: « Omne, quod recipit aliquid ab alio, est in potentia respectu illius; et hoc, quod receptum est in eo, est actus eius. Ergo oportet quod ipsa forma vel quidditas, quae est intelligentia, sit in potentia respectu esse, quod a Deo recipit; et illud esse receptum est per modum actus; et ita invenitur actus et potentia in intelligentiis » [2]. — Quintus vero: « Et quia, ut dictum est, intelligentiae quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas vel essentia eius est ipsum, quod est ipsa, et esse suum receptum a Deo est id, quo subsistit in rerum natura: et propter hoc a quibusdam huiusmodi substantiae dicuntur componi ex quo est et quod est, vel ex quo est et essentia, ut Boetius dicit in *1. Praedicamento* » [3]. In hisce locis rursum habemus *essentiam* et *esse* — illam esse *potentiam*, hoc *actum* — illam *recipere* aut esse *receptivam*, hoc *receptum* — substantiam spiritualem *componi ex quo est* et *quod est*, vel *ex quo est* et *essentia*. Ex his autem non sequitur evidenter D. Thomam inter creati entis actualem essentiam et esse distinctionem formaliter realem agnovisse: quod ex sequentibus evidenter patebit.

Quintus locus.

Quid in iis habeatur?

Non sequitur adversariorum intentum.

Probatur.

117. In *Sectione I.*, cum universim ageremus *de potentia et actu*, ex doctrina Philosophi et D. Thomae constabilitum est potentiam et actum non dici solum de physica potentia et physico actu, sed etiam de potentia metaphysica et logica, et de actu item metaphysico et logico: tum potentiam quamlibet passivam esse receptivam sui actus, actum vero hunc dicendum esse recipi vel receptum in sua potentia proportionata. Ex eo ergo, quod D. Thomas heic essentiam dicit *potentiam*, esse *actum*, illam *receptivam* hoc *receptum*, illam *quod est*, hoc *quo est*, substantiamque spiritua-

---

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino*, *In 1.am p.em D. Thomae*, *Disp. 1. q. 3. Commentarius quaestionis n. 3. 36.*

[2] D. Thomas, *De Ente et Essentia*, *c. 5. n. 5.*

[3] *Idem*, *Ibidem.*

lem dicat *compositam*, tunc evidenter sequeretur D. Thomam distinctionem formaliter realem heic intellexisse, quando evidenter constaret heic potentiam et actum, receptivum et receptum, compositionem denique stare pro physica potentia receptiva et physico actu recepto physicaque compositione, non autem pro potentia metaphysica receptiva, et metaphysico actu recepto, metaphysicaque compositione. Atqui id non solum non constat evidenter, sed potius evidenter constat oppositum. Et plane intellectus aut notio rerum physicarum nequit huc invehi ex aliis D. Thomae locis, cum loca, quae iam discussa sunt, oppositum sat clare praeseferant; quae vero adhuc discutienda sunt, in controversia versentur, non certe, uti subinde patebit, in sensu adversariorum definienda. Sistendum igitur est in iis, quae hic docet Aquinas.

Sistendum in iis, quae hic docet Aquinas.

118. Principio quidem, si loquendi modum inspicimus, potentiae denominationem *essentiae*, denominationem actus τῷ *esse* D. Thomas tribuit; ast non simpliciter, sed modo quodam minuente: *Quod recipit aliquid ab alio, est* IN POTENTIA *respectu illius — Oportet quod ipsa forma... sit* IN POTENTIA *respectu esse, quod a Deo recipit; et illud esse receptum est* PER MODUM ACTUS. Esse vero *in potentia* potius innuit potentiam logicam aut obiectivam, quam realem aliquo modo et subiectivam; et si hoc alterum quis praeferat, unde probabit potentiam hanc esse physicam, et non metaphysicam? Quandoquidem potentia dicit ordinem ad actum ipsique proportionatur, cum D. Thomas de *esse* dicat: *Est per modum actus*, essentiam etiam intelligit esse: *Per modum potentiae*, seu tantumdem valere: *Esse in potentia* ac: *Esse per modum potentiae.* Haec autem potentiam et actum quodantenus, non simpliciter innuunt. Quapropter S. Doctor immediate subiungit: *Et ita invenitur actus et potentia in intelligentiis, non tamen forma et materia, nisi aequivoce.* Quid est: *Invenitur actus et potentia*, nisi quamvis non sit proprie et simpliciter; tamen ratione aliqua potest et debet admitti? Loquutio enim illa non simplicem absolutamque assertionem evidenter continet, sed considerationem intentionemque aliquam obvie significat. Idem enim est: *Invenitur potentia et actus*, ac: *Cognoscitur aut intelligitur potentia et actus:* quod tum primae tum secundae intentionis terminus esse quidem absolute potest; hic autem, id exigente contextu, pro secunda intentione stare verisimilius est.

Loquendi modus non prodit sensum adversariorum.

Non potentia et actus.

119. Utique hic S. Doctor essentiam *recipere* esse, aut esse *potentiam receptivam* clarissime tradit, esse vero in ipsa *recipi* seu esse *actum receptum.* Verum apud D. Thomam *recipere* et *receptivum esse*, *recipi* et *esse receptum* non solum simpliciter et proprie de *physica receptione* dicuntur; sed etiam dicuntur secundum quid et improprie de *receptione* etiam *metaphysica* aut *logica.* Pluribus id confirmavimus ubi egimus de *potentia et actu.* Placet hic aliquid ex propinquioribus loco nostro in medium afferre: « Essentia rei simplicis, *inquit*, quae est sua forma, non potest significari nisi ut totum, cum nihil sit ibi praeter formam, *quasi formam recipiens;* et ideo, quocumque modo sumatur essentia sub-

Non recipere et recipi aut receptum esse.

D. Thomas.

stantiae simplicis, de ea praedicatur : unde Avicenna dicit quod quidditas substantiae simplicis est ipsummet simplex, *quia non est aliquod recipiens ipsam.* Secunda differentia est, quia ex eo quod *essentiae rerum compositarum* RECIPIUNTUR IN MATERIA DESIGNATA, vel multiplicantur secundum divisionem eius, contingit quod aliqua sint idem specie et diversa numero. Sed cum *essentia simplicium non sit* RECEPTA IN MATERIA, non potest ibi esse talis multiplicatio »[1]. Hic S. Doctor innuit *formam substantialem substantiae compositae recipi in materia*, quae *receptio* est *propria et physica :* docet item explicite *essentias rerum compositarum recipi in materia designata :* haec autem *receptio* nequit esse nisi *impropria* et *metaphysica.* Ut enim ipse paulo ante dixit : *Essentia substantiae compositae non tantum formam, nec tantum materiam, sed formam et materiam complectitur.* Nequit autem idem *proprie et physice recipi* in semetipso. — In loco autem nostro postquam dixit : « Oportet quod ..... intelligentia sit in potentia respectu esse, quod a Deo recipit, et illud esse receptum est per modum actus ; et ita invenitur actus et potentia in intelligentiis, non tamen forma et materia nisi aequivoce », subdit : « Unde etiam pati, *recipere*, subiectum esse et omnia huiusmodi, quae videntur rebus ratione materiae convenire, *aequivoce conveniunt substantiis intellectualibus et corporalibus* ». Istaec obiective diversa receptionis ratio, aut *aequivoca*, quae hic agnoscitur et asseritur, si non necessario exigit ut in substantiis spiritualibus receptio sit solummodo obiectiva et logica, aut metaphysica et nullo modo physica; imo possit intelligi aequivocam esse receptionem in utrisque, quod in substantiis spiritualibus sit sine mutatione organica, cum hac autem in corporalibus ; tamen evidenter excludit, ut receptio in substantiis spiritualibus et relate ad *esse* debeat *necessario* intelligi de receptione physica. Cum autem essentia recipiat esse, quatenus aequivoce est materia, et ipsum esse aequivoce actus, id est, secundum quandam considerationem, uti ante innuitur; fit, ut ipsa receptio hic nonnisi secundum eandem considerationem aut intentionem debeat intelligi, et consequenter quod non sit receptio propria et physica, sed impropria et logica, aut certe metaphysica.

Caietanus.

120. Atque ex his potest intelligi longe a veritate Caietanum abesse, quando in assignandis differentiis inter compositiones ex materia et forma, et ex essentia et esse, quasi esset res evidens, aut apud omnes rata, aut saltem certa Angelici doctrina, scribit: « Decimo differunt quoad passiones suas. Compositionem enim primam quantitas, accidentia sensibilia et transmutatio, saltem localis, sequuntur. Compositionem autem secundam neque generatio, neque corruptio, neque transmutatio aliqua physica sequitur; sed tantum *recipere et recipi*, perficere et perfici ; quia haec sequuntur actum et potentiam, illa vero materiam et formam »[2].

---

[1] *Idem, Ibidem, n. 3.*

[2] Caietanus. *In De Ente et Essentia, c. 5. Decimo differunt.*

Quae hic dicuntur de: *Recipere et recipi* relate ad essentiam et esse si, ex eius mente, de physica receptione debent intelligi, ex disputatis in *II. Sectione* patet falso prorsus a Caietano dici, certissime non ex omnium consensione. Tum *transmutatio*, quam negat in secunda compositione, si physica haec esset, et illa deberet intelligi de transmutatione tum *propria* tum *impropria*, falso negaretur. Quamvis enim in supposita physica compositione ex essentia et esse non haberetur: *Transitus subiecti ab aliquo esse vel non esse ad aliquod non esse vel esse, ac vicissim*, et sic non haberetur propria mutatio physica; haberetur tamen: *Transitus rei a non esse simpliciter ad esse simpliciter*, et consequenter haberetur saltem transmutatio impropria, sed tamen physica. Ad D. vero Thomam quod attinet, satis constat ex hoc loco dictis ea non ad ipsius mentem, sed contra ipsius mentem omnino dici. Praesertim cum in textu obiecto iterum repetat compositionem ex essentia et esse in substantiis spiritualibus esse compositionem ex *quod est* et *quo est*, quam in Quodlibetis dixit, uti iam legimus, *ex seipso* et *alio*. Demonstravimus autem pluries ex ipso D. Thoma compositionem ex *quod est* et *quo est* non esse *formaliter*, sed solum *fundamentaliter realem;* legimus etiam in ipso D. Thoma compositionem *ex seipso* et *alio* non dare *rem compositam*, sed solum *rationem compositam.* Urgetur.

121. *Dices:* S. Doctor subdit: « Et quia in intelligentiis ponitur potentia et actus, non erit difficile invenire multitudinem intelligentiarum: quod esset impossibile, si nulla potentia in eis esset »[1]— Respondeo sensum S. Doctoris non esse: *Quia ponitur potentia subiectiva physica et physicus actus*, sed: *Quia ponitur potentia obiectiva seu logica, adeoque etiam metaphysica et actus metaphysicus.* Ratio est: — α) *Quia hunc sensum exigunt antecedentia.* In omnibus enim, quae in hoc eodem capite antecedunt, exclusit ab intelligentiis *omnimodam simplicitatem* et *rationem actus omnino puri*, quod in ipsis τὸ *esse* non est de ratione essentiae; et consequenter, quia habent potentiam obiectivam seu logicam ac porro metaphysicam ad *esse*, quod se habet per modum actus, in ipsis metaphysica datur compositio: non autem, saltem evidenter, quod *esse* est res aut entitas realiter alia ab actuali essentia, quae est *potentia physica*, uti illud *actus physicus*, quaeque proinde *physice* componunt. Non hanc igitur, sed illam potentiam, non hunc, sed illum actum nunc intelligit; loquitur enim ex constabilitis: — β) *Quia eundem sensum necessario exigit textus obiectus*, et alter sensus non requiritur, imo sufficienter excluditur ex eo, quod dicitur *impossibilis* multitudo intelligentiarum, si non daretur in ipsis illa potentia adeoque actus, de quibus hic sermo est. Nam si potentia metaphysica et actus metaphysicus sufficiunt in doctrina D. Thomae ad habendam illam multitudinem, potentia physica et actus physicus ab ipso excluduntur; asserit enim id, sine quo impossibilis esset multitudo intelligentiarum et, quo posito, eadem multitudo Obiectio. Responsio. Probatur primo. Secundo.

[1] D. Thomas, *De Ente et Essentia, c. 5. n. 5.*

potest non difficulter inveniri aut intelligi. Age iam si in intelligentiis non daretur potentia metaphysica ad esse, earum multiplicitas esset simpliciter impossibilis. In hac enim hypothesi τὸ *esse* ac proinde *singularitas* esset de essentia intelligentiarum. Si autem singularitas esset de intelligentiarum essentia; uti singularitas nequit multiplicari, sic non posset multiplicari essentia, uti Angelicum argumentantem in superioribus suspeximus. Itaque in textu ait: *Quod esset impossibile, si nulla* (non physica) *potentia in eis esset.* Contra vero, data in intelligentiis seu in substantiis spiritualibus potentia metaphysica, cum τὸ *esse* ac proinde *singularitas* non esset de earum essentia, intelligi in ipsis poterit natura generice communis, in species saltem varias multiplicabilis, quamvis hae subinde ex S. Doctore in plura non possint multiplicari individua ex absentia materiae, sed quaeque species uno prorsus consistat individuo. Quod qua ratione intelligendum sit, in sequentibus declarat.

Tertio.

122. γ) *Quia eundem sensum exigunt consequentia.* Sequitur S. Doctor: « Est ergo distinctio earum ad invicem secundum gradum potentiae et actus; ita quod intelligentia superior, quae plus propinqua est primo, habet plus de actu et minus de potentia, et sic de aliis (*nimirum intelligentiis*): et hoc completur in anima humana, quae tenet ultimum gradum in intellectualibus substantiis. Unde intellectus potentialis eius se habet ad formas intelligibiles, sicut materia prima, quae tenet ultimum gradum in esse sensibili, ad formas sensibiles »[1]. Ergo *materia prima tenet ultimum gradum in esse sensibili*, ac proinde habet aliquod esse: *anima humana tenet ultimum gradum*, utique τοῦ *esse*, *in intellectualibus substantiis: intelligentia superior* tenet gradum superiorem τοῦ *esse*, seu *habet plus de esse et minus de potentia*, quam intelligentia inferior. Quid hic per τὸ *esse* intelligemus? *Praecisivene* ipsum esse extra nihilum, extra causas, aliquid in rerum natura? In hoc *esse praecisive* inspecto nequeunt dari gradus. Usque adeo est *praecisive* extra nihilum materia prima realis, ac est anima humana et intelligentia quaelibet, cum esse sic intellectum non exhibeat nisi puri nihili relativi negationem; in praecisa autem puri nihili relativi negatione non dentur gradus. Intelligemus entitatulam realiter distinctam ab essentia, ipsamque in ratione exsistendi actuantem? Et neque hoc dici potest. *Esse* enim hoc sensu intellectum, patronorum suorum de sententia, esset *universalissimum*, *simplicissimum*, *unum* etiam *idemque*, iuxta aliquos, *in omnibus*, *mera actualitas*, *quae nullam adderet essentiae perfectionem*, essetque, *cum qua*, non *ex qua exsistens componeretur.* Quomodo autem in huiusmodi esse darentur gradus? Si darentur gradus, daretur plus et minus in forma entitativa, nec proinde omnimoda simplicitas, et simpliciter universalitas, et consequenter daretur entitativa aliqua ratio universalior seu generica, aliqua specialior seu differentialis, cum ens nec genus sit, nec differentias extra se habeat. Tum illud esse

Absurda ex entitatula Aegidiana.

[1] *Idem, Ibidem.*

in compositione cum essentia non meram essentiae probaret actualitatem, sed suam maiorem aut minorem conferret perfectionem; atque essentia et esse essent non solum *cum quibus*, sed *ex quibus* exsistens magis vel minus perfectum resultaret. Haec autem nullo modo congruunt nec principiis adversariorum, nec veritati. Superest ut per *esse* et *actum* in verbis D. Thomae intelligamus id, quod S. Doctor intelligebat, *realem* ipsam entitatem aut quidditatem uniuscuiusque entis, quae, quo imperfectior est in ratione essentiae, minus habet de actu seu de actualitate realis perfectionis, et plus de potentia, seu de negatione ulterioris perfectionis; quo perfectior est, plus habet de essendi actu et minus de essendi potentia obiectiva seu logica, adeoque metaphysica, et sic est plus vel minus propinqua primo *esse*, *quod est esse tantum*. Quapropter D. Thomas potentiam et actum intelligentiarum, ac porro cuiuslibet creati entis, non in fictionibus entitatularum reponit, sed reponit in hoc, quod, cum τὸ *esse* seu actualis realitas in rerum natura nulli creato enti ex vi suae essentiae competat, haec essentia, *etiam dum actu est*, potentialitatem retinet, qua potest esse et non esse, *et quatenus actu est*, prout est magis vel minus perfecta, magis vel minus etiam participat de essendi actu, et sic magis etiam vel minus primo τῷ *esse*, Deo nimirum, propinquat. Haec autem metaphysicam potentiam actumque metaphysicum, distinctionem non *formaliter*, sed *fundamentaliter realem*, compositionem non *rerum*, sed *rationum formalium* solummodo praeseferunt. Commentator igitur et qui ipsum sequuntur, non D. Thomam ex D. Thoma intelligunt et exponunt; sed ex praeconcepta quadam opinione D. Thomam intelligentes exponentesque ea S. Doctori tribuunt, quae Angelicus, fidenter dicam, nunquam intellexit.

Quid per τὸ *esse* in verbis D. Thomae intelligendum sit.

Commentator non D. Thomam intelligit, sed ex Aegidiana notione D. Thomae tribuit, quae S. Doctor nunquam cogitavit.

123. Sextus locus, prout integre in S. Doctore legitur, sequens est: « Quia inter alias substantias intelligibiles (*anima humana*) plus habet de potentia, ideo efficitur in tantum propinqua rebus materialibus, ut res materialis trahatur ad participandum esse suum; ita quod ex anima et corpore resultat unum esse in uno composito; quamvis illud esse, prout est animae, non sit dependens a corpore. Et ideo post istam formam, quae est anima, inveniuntur aliae formae, plus de potentia habentes et magis propinquae materiae, in tantum quod esse earum sine materia non est. In quibus etiam invenitur ordo et gradus usque ad primas formas elementorum, quae sunt propinquissimae materiae: unde nec aliquam operationem habent, nisi secundum exigentiam qualitatum activarum et passivarum, et aliorum quibus materia ad formam disponitur » [1]. Quoniam autem de *unitate* τοῦ *esse* in substantiis etiam compositis nihil huc usque dictum est; eadem autem doctrina, aut saltem idem loquendi modus saepissime in S. Doctoris operibus recurrit; non abs re erit praecipua saltem loca heic exhibere tum ad D. Thomam melius intelligendum, tum ne subinde in idem cum temporis laborisque dispendio cogamur redire. Legimus ergo:

Sextus locus D. Thomae.

Locus diligentius tractandus. Quare.

Varia D. Thomae loca exhibentur.

[1] *Idem, Ibidem.*

Primus locus. « Anima esse suum communicat corpori; quod quidem ita acquiritur animae in corpore, ut secundum ipsum subsistere possit, quod non est de aliis formis: et sic ipsum esse animae fit esse compositi, et tamen manet composito destructo »[1]. — Rursum:

Secundus. « Anima sine dubio habet in se esse perfectum, quamvis hoc esse non resultet ex partibus componentibus quidditatem ipsius, nec per coniunctionem corporis efficitur ibi aliquod aliud esse, imo hoc ipsum esse, quod est animae per se, fit esse coniuncti; esse enim coniuncti non est nisi esse ipsius formae. Sed verum est quod aliae formae materiales, propter earum imperfectionem, non sunt per illud esse, sed sunt tantum principia essendi. Et per hoc etiam patet solutio ad tertium; quia compositio, quae advenit animae post esse completum, secundum modum intelligendi, non facit aliud esse, quia sine dubio illud esse esset accidentale et ideo non sequitur quod homo sit ens per accidens »[2]. — Praeterea:

Tertius. « Constat materiam primam ingenitam et incorruptibilem esse, ut probat Aristoteles[3]. Unde, recedente forma, manet in sua essentia; non tamen forma accidentaliter ei uniebatur, sed essentialiter; uniebatur enim ei secundum esse unum. Similiter autem anima unitur corpori secundum esse unum, ut supra ostensum

Quartus. est »[4]. Tandem, ne nimii simus: « Anima illud esse, in quo subsistit, communicat materiae corporali, ex qua et anima intellectiva fit unum; ita quod illud esse, quod est totius compositi, est etiam ipsius animae, quod non accidit in aliis formis, quae non sunt subsistentes: et propter hoc anima humana remanet in suo esse, destructo corpore, non autem aliae formae »[5].

Doctrinae Angelici summa. 124. Si cui doctrinam in variis huiusmodi locis ab Angelico traditam in capita quaedam placuerit conferre, sequentia habebit: *Anima humana habet esse perfectum, secundum quod, vel in quo subsistit — Aliae formae materiales* non babent esse, in quo subsistunt, *sed sunt tantum principia essendi — Anima humana communicat esse suum corpori, ita ut corpus trahatur ad participandum esse suum.* — Aliae formae materiales non communicant esse suum, in quo subsistunt, composito; sed potius ipsae sunt per illud esse, in quo vel secundum quod compositum subsistit — *Anima humana unitur corpori secundum esse unum, ita quod ex anima et corpore resultat unum esse in uno composito,* seu *ex materia corporali et anima intellectiva fit unum* — Materia, *recedente forma, manet in sua essentia; non tamen forma accidentaliter ei uniebatur, sed essentialiter; uniebatur enim secundum esse unum* — In composito humano *esse, quod est animae per se, fit esse coniuncti, et illud esse, quod est totius compositi, est etiam ipsius animae;* sed *prout est animae, non est dependens a corpore, et propter hoc anima remanet in suo esse, de-*

---

[1] *Idem, Quodlibeto 10. q. 3. a. 6. ad 3um.*
[2] *Idem, I. Dist. 8. q. 5. a. 2. ad 2um.*
[3] *Idem, Contra Gentes, lib. 2. c. 81. ad 4um.*
[4] Aristoteles, *I Physicorum, text. comm. 82.*
[5] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 76. a. 1. ad 5um.*

structo corpore — Aliae formae materiales, propter earum imperfectionem, non sunt per esse, quod sit ipsis per se et fiat esse coniuncti; et illud esse, quod est totius compositi, non est etiam ipsarum formarum materialium: *quod accidit in aliis formis, quia non sunt subsistentes; et propter hoc aliae formae non remanent in suo esse, destructo corpore.*

Huius doctrinae quaerimus intelligentiam.

125. Haec in sententia sunt, quae de esse animae humanae, et aliarum formarum a materia dependentium D. Thomas hic et alibi tradit aperte. Horum quaerimus intelligentiam. Ac primo quidem definiendum est: quid heic per τὸ *esse* intelligat. Intelligitne actualitatem aliquam aut entitatulam realiter distinctam a quidditate ipsius animae humanae et a quidditate ipsius coniuncti aut compositi ex anima et corpore, ex materia et forma; an vero intelligit ipsam *realem* entitatem substantialem animae ac ipsius compositi? Qui Aegidiana notione τοῦ *esse* D. Thomam legerunt subinde et legunt adhuc, uti alibi, sic etiam in hisce locis illam inveniunt entitatulam realiter a quidditate substantiae, sive animae humanae, sive aliorum compositorum distinctam; aut certe illa notione, quae modo collegimus, et intelligunt et declarant. Verum notio illa τοῦ *esse*, quae a Capreolo, ut vidimus, tribuitur Aegidio Romano et nullibi indubitanter a S. Doctore secundum suam rationem profertur, non est necessaria ut, quae Angelicus docet, intelligantur contentque, uti pro discussis huc usque locis evidens est, erit evidens pro discutiendis. Fit hinc, ut non liceat praeconcepta illa notione loca, quae prae manibus habemus, intelligere et utcumque declarare; sed potius inquirendum est quid loca ipsa exigunt, ut subinde pateat, num illa notio retinenda sit ceu ipsius D. Thomae notio, an vero reiicienda.

Quid heic per τὸ *esse* intelligit?

Quid adversarii.

Aegidiana notio non necessaria.

126. Liquidum autem est entitatulam illam realiter a quidditate animae, aliarum formarum et compositi distinctam non esse necessariam, ut D. Thomae doctrina in his locis constet. Ut id declaret Suaresius, scribit post alia: « Neque D. Thomas expresse aliquando docuit *esse* solius animae esse totale et integrum totius humanitatis; sed in citato loco *de Ente et Essentia c. 5.* ait potius ex anima et corpore resultare *unum esse* in uno composito, et loquitur manifeste de esse exsistentiae. At vero si esse hominis non esset aliud, quam ipsummet spirituale esse animae communicatum et quasi extensum ad corpus, non proprie diceretur illud esse *resultare ex anima et corpore.* Quod vero statim addit D. Thomas, illud esse, prout est animae, non esse dependens a corpore, non habet illum sensum, quod totum esse hominis maneat in anima separata, sitque a corpore independens; quia neque verba ipsa hunc sensum praeseferunt, neque est aliquid, quod nos cogat ad ita interpretandum. Optimus enim sensus est: illud esse, *prout est animae*, id est, quantum ad partem illius, quae ad animam spectat, non pendere a corpore. Et in hoc constituit D. Thomas differentiam inter esse animae rationalis et aliarum formarum, quod aliae formae non habent esse, nisi ut informant materiam et pendent ab illa; anima vero habet esse independens, quod

Suarez.

communicat materiae, quando illam informat. Non quia per illud esse ipsa materia formaliter exsistat; sed quia per illud actuatur, perficitur, et fovetur seu conservatur. Quando vero separatur anima, potest illud idem esse in se retinere, quia est spirituale et subsistens, licet non omnino completum in genere substantiae. Atque hac ratione dicere potuit interdum D. Thomas *esse*, quod erat compositi, manere in anima separata, ut patet ex citatis locis [1]: quibus locis nunquam ait esse animae esse *totale esse compositi*, sed solum *quod sit vel est esse compositi*, dum communicatur corpori: potest autem dici esse compositi, tanquam actus et praecipua perfectio eius, quamvis non sit integrum et totale esse eius » [2].

127. Suaresiana haec pro intellectu bene disposito satis essent superque ad D. Thomam in obiectis locis intelligendum declarandumque. At, nostris temporibus, in hac quaestione contentiose agitur. Plenius proinde Suaresiana expositio declaranda est et confirmanda. Ait ergo imprimis S. Doctor animam, ex quo sibi *esse* in corpore, per creationem utique, acquiritur, habere *esse perfectum, completum;* alias vero formas materiales, dum ab initio a Deo simul cum materia concreatae sunt, vel simul cum causis secundis ex materia educuntur, atque sic producuntur, *non habere esse completum, perfectum*, sed *esse essendi principia.* Certum est et notum in doctrina D. Thomae haec non posse intelligi, neque *de esse essentiae*, quia non solum formarum materialium, sed etiam ipsius animae esse essentiae est incompletum, cum omnes sint partes essentiae, et non ipsa aut tota essentia: neque *de esse suppositi aut personae*, tum ob eandem rationem; tum quia de anima humana expresse docet Angelicus ipsam non esse personam: « Non quaelibet substantia particularis, *inquit*, est hypostasis vel persona, sed quae habet naturam completam speciei. Unde manus vel pes non potest dici hypostasis vel persona; et similiter nec anima, cum sit pars speciei humanae » [3]. Intelligenda sunt igitur *de esse exsistentiae.* Hoc autem posito, estne sensus illorum verborum: Anima, natura simul ac creatur ac natura prius quam corpori uniatur, est talis realis entitas substantialis ut, seipsa ac porro etiam sine corpore, est extra nihilum, extra causas, aliquid in rerum natura, non autem aliae formae materiales, quae seipsis ac sine materia nequeunt esse, *saltem connaturaliter*, aliquid in rerum natura, sed sunt solum principia actuantia materiam, compositumque constituentia; quod compositum solummodo est extra nihilum, et aliquid in rerum natura; an vero sensus est: Anima, natura simul ac creatur et natura prius quam corpori uniatur, recipit a Deo quandam actualitatem aut entitatulam, vi cuius ipsa est extra nihilum, extra causas, aliquid in rerum natura; dum aliae formae materiales illam actualitatem non recipiunt, sed solum constituunt subiectum, quod illam demum recipit actualitatem? Planum est

Nostrorum temporum contentio.

Esse, de quo Angelicus loquitur, non est *esse essentiae.*

Neque est *esse* suppositi.

Sed est *esse exsistentiae.*

Quo sensu?

Assertio declaratnr et probatur.

[1] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 2. c. 81.* — *Quodlib. 10. q. 3. a. 6.*
[2] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 11. n. 13.*
[3] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 75. a. 4. ad 2um.*

hunc alterum sensum non requiri; priorem autem tum puram in iis, quae profert, D. Thomae doctrinam exhibere; tum sufficere ad recte intelligenda quae de differentia animae humanae et formarum materialium quoad esse exsistentiae heic tradit Angelicus; tum arbitrarium nihil in medium afferre, ut D. Thomas non ex sententia intelligatur. Non illum ergo, sed hunc D. Thomae sensum esse tenendum est. Eo vel magis, quod huius discriminis ratio nunquam, ac minus multo in his locis, dicitur esse quod anima recipit illam entitatulam, aliae formae materiales illam non recipiunt; sed ex iis, quae praecedunt in *De Ente et Essentia*, ratio est quod anima humana prae aliis formis inferioribus *plus habet de actu entitativo et minus de potentia;* ex aliis vero textibus laudatis, quod *ipsa subsistit*, *aliae vero non subsistunt.* D. ergo Thomas nunquam cogitavit de illa entitatula abs dubio ficta; sed ex varia perfectione entitativa reali animam humanam, ubi creata est, per se constituit esse habere aut exsistere; alias vero formas materiales non habere esse per se, sed esse composito principium essendi.

Confirmatur.

128. Atque huic expositioni consonant reliqua, quae in obiectis textibus traduntur. Quia enim anima humana, natura simul ac creatur, per se aut seipsa habet esse humanum aut rationale, huiusmodi esse communicat materiae corporali aut corpori, quatenus corpus, quod sine forma non posset exsistere aut esse reale quid in rerum natura, ex vi animae et est, et corpus humanum est. Unde dicitur *trahi ad esse animae*, quatenus in ratione illius esse humani nonnisi dependenter ab anima esse potest et conservari. Ediscimus hoc ex D. Thoma aiente: « Illud, quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi: sicut in resurrectione corpus advenit animae praeexistenti, non tamen accidentaliter; quia ad idem esse assumetur, *ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam.* Non est autem sic de albedine; quia aliud est esse albi, et aliud est esse hominis, cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim sive personam; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum esse, prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae; sed ad unum esse, prout est hypostasis vel personae. Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei »[1]. Subinde vero: « Accidens dividitur contra substantiam. Substantia autem, ut patet *5. Metaph. text. 25*, dupliciter dicitur: uno modo pro essentia sive natura; alio modo pro supposito sive hypostasi. Unde sufficit ad hoc, quod non sit unio accidentalis, quod sit facta unio secundum hypostasim, licet non sit facta unio secundum naturam »[2].

Consonant reliqua.

Quid corpus trahi ad esse animae?

D. Thomas.

129. Itaque, ex D. Thoma, aliquid *trahi ad esse substantiale alterius* idem est ac *assumi ad esse, quod hoc habet* et *quo illud caret.*

Determinatur Angelici mens et doctrina.

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 2. a. 6. ad 2um.*
[2] *Idem, Ibidem, ad 3um.*

Cum autem esse substantiale possit esse vel *naturae specificae* vel *subsistentiae* aut *hypostasis*, aliquid trahitur ad alterius esse substantiale, quando assumitur vel ad participandum de ipsius natura, vel de ipsius subsistentia, vel de utraque. Hoc autem fit vel per substantialem unionem *in natura*, seu ad unam naturam constituendam, vel per substantialem unionem *in hypostasi*, seu ad constituendam unam hypostasim, vel per substantialem unionem tum *in natura*, tum *in hypostasi*. Iam anima humana, utut pars hominis, hoc ipso quod spiritualis aut subsistens est, natura simul ac creatur, habet per se esse humanum, et corpus ipsi substantiali unione unitur ad participandum de esse humano, ad constituendamque unam naturam compositam unamque hypostasim : reliquae vero formae materiales neque habent per se esse naturae (sensitivum enim v. g. non habetur ex sola anima sensitiva, sed ex composito animae sensitivae et corporis), neque habent esse subsistentiae ; sunt enim solum utriusque esse formale principium, sed non subsistunt. Ergo anima humana communicat esse suum corpori, et corpus trahitur ad esse animae ; aliae vero formae materiales neque communicant esse suum materiae, neque materia trahitur ad earum esse, sed potius ex ipsis et materia *fit esse tum naturae, tum suppositi ;* quod esse proprie convenit composito et, in composito, materiae et formae, ac praecipue formae, utpote formali principio. Numquid haec non vera sunt simplexque Angelici doctrina ? Ast ubinam hic ficta illa entitatula, aut fictae illius entitatulae necessitas ? Nec verbis, nec rebus haec ratione ulla insinuatur. Perfectionem propriam *excedentem, plus de actu et minus de potentia* in anima humana prae formis inferioribus, et *unionem substantialem* exigit Aquinas, ut anima communicet suum esse corpori, ipsumque ad suum esse trahat; uti perfectionem in subsistendo infinite excedentem in Verbo, unionemque substantialem, vi cuius humana natura in Verbo fit, Verbi fit, a Verbo consequenter in exsistendo pendet in ipsoque subsistit, seu Verbum subsistit in ipsa, unice requirit, ut natura humana ad *unum esse Verbi*, *prout est hypostasis*, trahatur : « In Christo (*anima et corpus*) uniuntur ad invicem, ut adiuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis composita. Ea propter ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona ; sed advenit ipsum coniunctum personae seu hypostasi praecxistenti. Nec propter hoc sequitur quod sit minoris efficaciae unio animae et corporis in Christo, quam in nobis ; quia ipsa coniunctio ad nobilius non adimit virtutem aut dignitatem, sed auget : sicut anima sensitiva in animalibus constituit speciem, quia consideratur ut ultima forma ; non autem in hominibus, quamvis in nobis sit virtuosior et nobilior, et hoc propter adiunctionem ulterioris et nobilioris perfectionis, scilicet animae rationalis, ut etiam supra dictum est » [1]. Rursum nihil hic habet Aquinas de carentia entitatulae, quae sit naturae humanae *esse exsistentiae* aut *modus subsistentiae*, et de alterutrius supple-

Nec verbis, nec rebus entitatula Aegidiana a D. Thoma insinuatur.

D. Thomas.

Notandum.

[1] *Idem, loc. laud. a. 5. ad 1um.*

mento per Verbum. Sola substantialis unio aut adiunctio alteri principaliori, quod subsistit in natura humana, efficit ut haec natura ad illius esse personale tralratur, et consequenter non sit hypostasis aut persona. Sed haec suo loco.

130. Sequitur Aquinas: *Ex anima et corpore resultat esse unum— Anima unitur corpori secundum esse unum — Ex materia corporali et anima intellectiva fit unum.* In substantiis vero corporalibus *materia etiam unitur formae secundum esse unum*, et consequenter etiam *fit unum.* In hac parte nullum videtur S. Doctor discrimen ponere inter unitatem compositi humani et aliorum corporum. Simpliciter et eodem modo de utroque composito unitatem praedicat; huius autem rei eandem prorsus insinuat rationem, quod nimirum anima et corpus, materia et forma materialis essentialiter uniuntur. Hinc autem fit, ut habeatur una simpliciter natura composita, unum suppositum seu una hypostasis aut persona, ac demum unum simpliciter ens. Huiusmodi autem entis aut exsistentis unitas estne, ex D. Thoma, inde repetenda quod quidditati animae tribuatur, simul ac creatur, illa actualitas aut entitatula, quam ipsa corpori communicat; tribuatur composito, simul ac forma materiae unitur? Nullum de hoc verbum in locis obiectis: sola requiritur essentialis unio animae et corporis, materiae et formae, *ut unum esse resultet, ut fiat unum.* Quod autem hic dicit S. Doctor, alibi plenius declarat: « Sicut ex materia et forma, *inquit*, relinquitur esse substantiale, quando componitur; ita ex accidente et subiecto relinquitur esse accidentale, quando accidens subiecto advenit. Et ideo etiam nec forma substantialis completam essentiam habet, nec materia; quia in definitione formae substantialis oportet ut ponatur illud, cuius est forma; et ita definitio eius est per additionem alicuius, quod extra eius genus est, sicut et definitio formae accidentalis: ut etiam in definitione animae ponitur corpus a naturali, qui considerat animam solum in quantum est forma physici corporis. Sed tamen inter formas substantiales et accidentales tantum interest, quia sicut forma substantialis non habet *per se* esse absolutum sine eo, cui advenit; ita nec cui advenit, scilicet materia: *et ideo ex coniunctione utriusque relinquitur illud esse, in quo res per se subsistit, et ex eis efficitur unum per se;* propter quod ex coniunctione eorum relinquitur essentia quaedam. Unde forma, quamvis in se considerata non habeat rationem completae essentiae, tamen est pars essentiae completae. Sed illud, cui advenit accidens, est ens in se completum, consistens in suo esse, quod quidem esse naturaliter praecedit accidens, quod supervenit: et ideo accidens superveniens, ex coniunctione sui cum eo cui supervenit, non causat illud esse, in quo res subsistit, per quod res est ens per se; sed causat quoddam esse secundum, sine quo res subsistens intelligi potest esse..... *Unde ex accidente et subiecto non fit unum per se, sed unum per accidens* »[1]. Ac rursum: « Sunt animae secundum substantias suas formae corporum;

Quo sensu dicit: *Ex anima et corpore fit unum esse.*

D. Thomae declaratio.

[1] *Idem, De Ente et Essentia, c. 7. n. 1.*

alias accidentaliter corpori unirentur, et sic *ex anima et corpore non fieret unum per se, sed unum per accidens.....* Unde licet maneat post corpus, substantialiter tamen ei unitur, non accidentaliter. Quod autem materia prima remaneat actu post formam, non est nisi secundum actum alterius formae; anima autem humana manet in actu eodem, et ex hoc contingit quod anima humana est forma et actus, materia autem prima potentia ens »[1]. Et sic saepe alibi. Ex quibus clarissime habetur D. Thomam ad declarandam unitatem per se entium substantialium numquam meminisse illius unius entitatulae, quam comminiscuntur adversarii, constanterque eam repetiisse ex reali entitate animae et corporis, formae et materiae, ex earumque substantiali unione; ita tamen ut illa extandi realis actualitas et unitas *formaliter* debeatur formae, ex qua, ubi cum materia essentialiter aut substantialiter unitur, quodammodo resultat: *efficienter* autem debeatur Deo, uti in superioribus nos D. Thomas edocuit.

Discrimen ex D. Thoma inter animam humanam et alias formas substantiales.

131. Quamvis autem quoad unitatem τοῦ *esse* compositi humani et aliorum corporum nullum videatur Angelicus discrimen ponere; tamen in modo, quo anima habet esse in composito humano ipsumque communicat toti composito, et in modo, quo aliae formae substantiales in composito sunt, latissimum certe discrimen agnoscit. Anima per se habet esse etiam in composito, quin ipsius esse fit et est quodammodo esse totius compositi; et consequenter, destructo composito, esse retinet et potest perpetuo retinere. Contra vero aliae formae substantiales in composito non habent esse per se, nec illud communicant composito, sed solum concurrunt formaliter ad illud in composito constituendum; quod proinde compositum proprie habet esse, et vi ipsius non solum materia, sed etiam forma est. Quare, destructo composito, forma non retinet esse; materia autem retinet sub alio actu vel alia forma, uti modo legimus. Verum haec, post dicta, difficultatem non habent. Neque hic S. Doctor ad fictam illam entitatulam recurrit, ut haec doceat. Totius doctrinae fundamentum est, quod anima humana per se est subsistens in suo esse humano, seu non solum non est materia, sed etiam est independens a materia in exsistendo, ac prorsus spiritualis; aliae vero formae, utut substantiae simplices, pendent tamen in exsistendo a materia, nec fiunt aut sunt sine concursu subiectivo materiae, ac porro sunt materiales. Hinc autem fit, ut anima possit corpus ad esse suum trahere et, dum ipsa per se subsistit in suo esse humano, possit hoc esse et sibi retinere et corpori communicare atque, destructo composito, in suo esse permanere: quae tria aliae formae materiales, quod subsistentes non sunt, nequeunt praestare. Nec obest quod legitur in *Quodlibetis*: « Quae per creationem fiunt, accipiunt a Deo virtutem, ut sint semper »[2]. Nam huiusmodi virtus evidenter non est virtus *activa*, sed *formalis;* non enim ex actione, sed natura

Doctrinae fundamentum.

Exoriturae difficultati occurritur.

[1] *Idem, Contra Gentes, lib. 2. c. 81.*
[2] Idem, *Quodlibeto 10. q. 3. a. 6. ad 2um.*

sua anima humana exigit semper esse, seu perpetuo conservari, uti adversarii ipsi fatentur. Virtus autem formalis eodem loco, in corpore articuli, ab Angelico declaratur per hoc, quod anima humana neque est: *Composita ex materia et forma contrarietatem habente;* neque est dependens a materia, seu: *Non habet esse per se, sed solum cum alio, sicut est de aliis formis materialibus, quae proprie non habent esse subsistens, sed sunt per se compositorum subsistentium, quorum sunt partes; et sic per accidens corrumpuntur, compositis corruptis.* Ex hoc autem quod immaterialis aut spiritualis est, virtutem habet intellectivam, ex qua eius perpetuitatem *a posteriori* colligimus. Itaque Angelicus hic non entitatulam illam adversariorum, sed substantivam ipsam realemque animae perfectionem vocat *virtutem, ut sit semper*, hancque docet per creationem haberi.

Excluditur ex S. Doctore entitatula Aegidiana.

132. Quae diximus, ab ipso D. Thoma summa perspicuitate traduntur: « Ad hoc, *inquit*, quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur. Quorum unum est, ut forma sit principium essendi substantialiter ei, cuius est forma; principium autem dico non effectivum, sed formale, *quo aliquid est et denominatur ens.* Unde sequitur aliud, scilicet quod forma et materia conveniant in uno esse (quod non contingit de principio effectivo) cum eo, cui dat esse: et hoc esse est in quo subsistit substantia composita, *quae est una secundum esse ex materia et forma constans.* Non autem impeditur substantia intellectualis per hoc, quod est subsistens, ut probatum est *c. 56*, esse formale principium essendi materiae, quasi esse suum communicans materiae. Non est enim inconveniens quod idem sit esse, in quo subsistit compositum et forma ipsa, *cum compositum* NON SIT *nisi per formam*, nec seorsum utrumque subsistat. — Potest autem obiici quod substantia intellectualis esse suum materiae corporali communicare non possit, ut sit unum esse substantiae intellectualis et materiae corporalis; diversorum enim generum est diversus modus essendi, et nobilioris substantiae nobilius esse. — Hoc autem convenienter diceretur, si eodem modo illud esse materiae esset, sicut esse substantiae intellectualis. Non est autem ita. *Est enim materiae corporalis, ut recipientis et subiecti ad aliquid altius elevati; substantiae autem intellectualis, ut principii et secundum propriae naturae congruentiam.* Nihil igitur prohibet substantiam intellectualem esse formam corporis humani, quae est anima humana »[1]. In quem locum Godefridus de Fontibus scribit: « Quia anima intellectiva inter substantias spirituales plus potentialitatis, et inter corporales plus actualitatis habet, ideo potest uniri materiae corporali ratione suae potentialitatis, et per se subsistere ratione actualitatis. Cum enim anima sit in potentia ad corporalia, quae non possunt in ipsam facere suam actualitatem, quia corpus in spiritum immediate agere non potest; ideo unitur corpori, ut saltem specierum (*forsan:* SPECIEBUS) corporalium in sensibus forma ipsa excitata, earum in se

Dicta confirmantur perspicuo D. Thomae loco.

Godefridus de Fontibus.

[1] *Idem, Contra Gentes, lib. 2. c. 68.*

miro modo similitudines rapiat. Nec hoc facit aliquam ignobilitatem in ipsa; quia sic unitur corpori, quod ei esse suum communicat. Communicare autem esse suum alteri nullam dicit imperfectionem » [1].

Collectio.

133. Non est quare ulterius, praesertim post dicta, insignis hic D. Thomae locus declaretur. Interim colligimus: Ex doctrina unitatis τοῦ *esse* in compositis corporalibus ac speciatim in composito humano, prout ab Angelico ipso declaratur, non solum non habetur realis adversariorum distinctio, sed contra habetur oppositum: saltem, ut minimum dicamus, illa adversariorum positio, critice loquendo, evidenter non probatur, quamvis clarissime deducatur distinctio fundamentaliter realis inter creati entis actualem essentiam et esse. Si enim ex unione materiae et formae, corporis et animae unum a parte rei esse resultat, quamvis hoc esse non sit aliud realiter, quam realis ipsa materia et forma, anima et corpus *ad speciem humanam elevatum*, ut unita; fundamentum tamen pro ratione datur, ut illa realitas, quatenus speciem constituit, concipiatur efferaturque, *ut essentia* in suis constitutivis prorsus necessaria; quatenus est extra nihilum et aliquid in rerum natura, *ut esse contingens*, ac porro una vel alia ratione temporaneum.

Septimus locus D. Thomae.

134. Septimus tandem locus est: « Secundo modo invenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, in quibus est aliud esse, quam essentia ipsarum, quamvis essentia sit sine materia: unde esse earum non est absolutum, sed receptum, et ideo limitatum et finitum ad capacitatem naturae recipientis; sed natura vel quidditas earum est absoluta, non recepta in aliqua materia. Et ideo dicitur in libro *de Causis* quod intelligentiae sunt finitae superius et infinitae inferius; sunt enim finitae quantum ad esse suum, quod a superiori recipiunt, non tamen finiuntur inferius, quia earum formae non limitantur ad capacitatem alicuius materiae recipientis eas..... Tertio modo invenitur (*essentia*) in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus et esse est receptum et finitum, propter quod et ab alio esse habent; et iterum natura vel quidditas earum recepta est in materia signata, et ideo sunt finitae et superius et inferius » [2].

Disquirendum unice de sequela finitionis aut infinitatis, quam Angelicus superioribus subnectit.

135. Post dicta de coniugatis loquutionibus: *Aliud et aliud*, *recipiens et receptum*, sequela illa heic est consideranda, qua Angelicus iisdem subtexit substantiarum creatarum sive spiritualium sive corporalium finitionem limitationemque, aut infinitatem et illimitationem. Et quidem ex iis, quae contra omnes et singulos adversarios in *Sectione II.* disputavimus, et ex iis, quibus *Sectione I.* constabilivimus universim limitationem illimitationemque actus per potentiam, vicissimque potentiae per actum, fere potest constare D. Thomam non esse intelligendum de limitatione aut illimitatione τοῦ *esse* per physicam receptionem irreceptionemque in essentia actuali, et de praerequisita formaliter reali utriusque distinctione;

Quid ex dictis in praesenti potest constare?

---

[1] De Fontibus, *Schol. in loc. modo laud.* — Edit. Uccellii.
[2] D. Thomas, *De Ente et Essentia, c. 6. nn. 2. et 3.*

sed de limitatione aut illimitatione τοῦ *esse* per metaphysicam receptionem in essentia actuali, et de praerequisita fundamentaliter reali utriusque distinctione. Si enim illa constant, errasset plane D. Thomas, si hoc loco intendisset quod volunt adversarii. Errasse autem D. Thomam una nobiscum adversarii oderunt maxime. Ut autem directe id ipsum critice ostendamus, disputatisque novum robur accedat, liceat impraesentiarum pauca subnectere.

136. Ex insigni hoc loco primum omnium colligimus *receptionem in alio, ut in potentia quadam*, non esse absolute necessariam, ut aliquid sit simpliciter finitum ac limitatum ; ad hoc autem sufficere *receptionem ab alio.* Quidditas enim substantiarum spiritualium creatarum est simpliciter finita ac limitata, quamvis non sit *recepta in alio*, sed solum *recepta ab alio :* « Intelligentiae sunt finitae quantum ad esse suum, quod a superiori recipiunt ; non tamen finiuntur inferius, quia earum formae non limitantur ad capacitatem alicuius materiae recipientis eas ». — Utique si, praeter receptionem ab alio, daretur etiam receptio in alio, tunc ex duplici capite aut duplici titulo haberetur finitio aut rei receptae limitatio : « Substantiae compositae sunt finitae et superius et inferius ». — Praeterea quamvis *receptio in alio* inferat *receptionem ab alio et limitationem ;* tamen *irreceptio in alio* non infert *irreceptionem ab alio et illimitationem*, secus ac in superioribus P. Sylvester Maurus contendebat : « Tertio modo invenitur (*essentia*) in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus et esse est receptum et finitum, *propter quod* et *ab alio* esse habent ; et natura recepta est in materia signata, *et ideo* sunt finitae et superius et inferius » ; tum : « Natura (*intelligentiarum*) est absoluta, *non recepta in aliqua materia* » ; et tamen etiam ipsa est *recepta a Deo* et limitata. — Cum vero ex ipsis D. Thomae verbis omnino evidens sit S. Doctorem in hoc loco inferre quedammodo limitationem τοῦ *esse* substantiarum creatarum non solum ex ipsius *receptione ab alio*, sed etiam ex *receptione in alio ;* receptio autem in alio possit esse physica, et metaphysica aut logica ; quaestio oritur critica : Ex qua receptione infert de facto, ex physicane an vero ex metaphysica aut logica. Si 1.um ex hoc loco constitueretur, non solum superiores expositiones nostrae nutarent ; sed etiam, quamvis in suo robore maneret doctrina de sufficientia receptionis ab alio, et de receptione in alio solummodo metaphysica, ut aliquid dici posset et esset simpliciter finitum aut limitatum ; tamen cum receptio physica haec non excluderet, sed includeret, exigeret vero distinctionem formaliter realem inter *recipiens* et *receptum ;* haec eadem distinctio ex D. Thomae sententia omnino probaretur. Si vero 2.um, liquidum esset aut D. Thomam distinctionem illam inter creati entis substantialis actualem essentiam exsistentiamque non agnovisse, sed agnovisse solum distinctionem fundamentaliter realem ; aut certe ex hoc saltem loco distinctionem illam non evidenter ostendi.

Prima collectio loco laudato.

Secunda contra P. Maurum.

Tertia.

Quaestio critica.

137. Quaerimus ergo : Ex qua receptione τοῦ *esse* infert de facto S. Doctor eiusdem abalietatem limitationemque, ex physicane an

Ex qua receptione τοῦ *esse* in essentia infert ?

ex metaphysica? Evidens est prorsus ipsum inferre ex receptione saltem metaphysica, cum haec et requiratur et sufficiat, ut ens ab alio sit et finitum sit. Si enim τὸ *esse* saltem metaphysice in essentia non reciperetur, ipsum *esse* esset de ratione essentiae, et consequenter essentia esset a se, necessaria, illimitata: quod non haberetur ex sola identitate reali, uti modis omnibus in superioribus ostensum est. Non est autem evidens ipsum inferre de facto ex receptione physica, sed potius est evidens oppositum: quod patet ex sequentibus: — α) Verbum ipsum: *Recipere*, uti paulo ante demonstravimus, per se et in sermone D. Thomae non significat *necessario* receptionem physicam, sed potest etiam significare solam receptionem metaphysicam, imo etiam logicam aut solorum conceptuum: — β) In textu obiecto vel nullum omnino verbum est, quod *receptionem* determinet ad *receptionem physicam* vel, si quod verbum potest invocari, ex eo infertur potius *receptio metaphysica*. Eiusmodi verbum esset: *Capacitas naturae recipientis:* « Esse earum (*intelligentiarum*) non est absolutum, sed receptum, et ideo limitatum et finitum *ad capacitatem naturae recipientis* ». Verum heic dicitur: Quia *esse* non est *absolutum*, sed quodammodo *respectivum*, respectu sane non praedicamentali sed trascendentali (in nulla enim sententia τὸ *esse* est propria relatio), ad naturam, et quia est *receptum*, ideo est *limitatum et finitum* ad capacitatem naturae recipientis. Limitatio ergo ad capacitatem naturae, ac porro ipsa naturae capacitas ea sit necesse est, cuiusmodi est ipsa receptio. Receptio autem, in sequentibus, a D. Thoma exhibetur non physica, sed metaphysica. Uti enim τὸ *esse* in substantiis sive simplicibus sive compositis dicitur recipi in natura; sic natura substantiarum compositarum dicitur recipi in materia signata: « In substantiis compositis..... et esse est receptum et finitum..... et iterum natura vel quidditas earum *recepta est in materia signata*, et ideo sunt finitae ». Atqui receptio quidditatis compositae in materia signata non est physica, sed metaphysica; non enim in individuis distinctione formaliter reali distinguuntur materia communis et haec materia. Ergo etiam receptio τοῦ esse in natura, in hoc loco D. Thomae, et naturae capacitas ad esse recipiendum non est physica, sed metaphysica.

Infert certo ex metaphysica.

Solum ex metaphysica. Probatur primo.

Secundo.

138. Ad rem vero quod spectat: — γ) Illa receptio a S. Doctore affertur, ut inde inferat limitationem finitionemque τοῦ *esse*. Ad hoc autem inferendum, uti definitum est, sufficit receptio metaphysica, et physica non requiritur. Ergo ius non est plus intelligendi et, si aliunde non excluderetur, incertum esset saltem, num receptionem illam physicam D. Thomas intellexerit. Praesertim quia receptio physica, si daretur, non posset intrinsece et formaliter limitare τὸ *esse*, sed solum extrinsece et connotative, uti suo loco probatum est. Ad inferendum ergo, si daretur, solummodo valeret quodammodo *a posteriori*. S. Doctor autem videtur procedere quodammodo *a priori:* — δ) Tum quamvis intelligentias dicat inferius infinitas, adeoque infinitas *secundum quid;* eas tamen docet esse simpliciter finitas. « Sunt autem finitae quantum ad esse

suum, quod a superiori recipiunt ». Ergo hoc esse est realiter idem, quod ipsae; secus enim non possent ipsae esse simpliciter finitae, nec τὸ *esse* ab ipsis etiam extrinsece et connotative posset finiri. Si enim esse earum esset ab ipsis realiter distinctum, ipsae, non obstante τῷ *esse*, manerent in sua quidditate inferius infinitae, et essent infinitae, nec ab ipsis infinitis infinitum esse posset finiri. Quod si ex vi τοῦ *esse* finitae essent, quia finite actuarentur; tunc non τὸ *esse* finiretur per essentiam, sed essentia per τὸ *esse*, et ipsum *esse* non esset ex se infinitum, nec essentia iuxta suam connaturalem exigentiam infinitam actuaretur: quae absona sunt. Essentiae igitur substantiarum spiritualium ex Angelico finitae aut limitatae sunt, quia secundum suum conceptum sunt limitata seu aliqua imitatio divinae perfectionis infinitae; limitantur superius seu secundum esse, quia a Deo nonnisi in limitata illa perfectione producuntur aut reales fiunt: unde in ipsis τὸ *esse*, abstracte sane conceptum, quia metaphysice quodammodo recipitur in earum conceptu, ab essentia dicitur limitari aut finiri; essentia vero, quia ne metaphysice quidem in alio recipitur, dicitur ab alio non finiri, seu esse quodammodo infinita. Hae vero considerationes abstractae sunt, quamvis in rebus fundatae, seu sunt intentiones, non realitates aut res physicae: — ε) Quae ergo hic docet D. Thomas, optime congruunt cum reliquis, quae in superioribus tradidit, prout non ex praeconceptis opinionibus, sed ex ipso S. Doctore ibi a nobis exposita sunt. Et cum Angelicus consequenter loquatur, fit ut superiora exigant intelligi quae hic dicit de praecisivo ordine intelligibilitatis, seu de intentionibus metaphysicis; et rursum haec, ob consonantiam cum superioribus, illa confirment.

Aperitur D. Thomae mens et eius doctrina colligitur.

Analysis Opusculi: De Ente et Essentia.

139. Ut interpretationem diversorum locorum, quam huc usque tradidimus, penitius intelligamus, simulque tota D. Thomae doctrina de praesenti nostra quaestione perspiciatur, non piguerit Opusculum ipsum totum *De Ente et Essentia* analysi subiicere: ex qua id etiam commodi corrivabimus, ut quae hic ab Angelico docentur, nobis norma sint ad eius doctrinam in aliis etiam operibus facilius securiusque investigandam. Constat autem Opusculum triplici quasi parte: ingressione, tractatu, epilogo. Apposite ingreditur Angelicus et tractationis exhibendo rationem, et definiendo tractatus materiam, et processus ordinem indigitando. Ad errores ergo ab humana cognitione profligandos tria, accomodata humanis mentibus ratione, sibi declaranda proponit Aquinas: « Dicendum est: 1.° quid nomine essentiae et entis significetur: 2.° et quomodo in diversis inveniantur: 3.° et quomodo se habeant ad intentiones logicas, scilicet ad genera, species et differentias »[1].

Quare Opusculi analysis instituatur.

Constat triplici quasi parte.

Ingressio.

Tria sibi proponit.

[1] D. Thomas, *De Ente et Essentia, proem.*

Secundum et tertium simul pertractat in variis entibus.

Sed enim secundum et tertium D. Thomas non disiunctim, sed coniunctim pertractat, primo quidem in substantiis compositis, secundo in substantiis simplicibus, tertio in accidentibus, uti ex dicendis plenius intelligetur. Claudit vero S. Doctor Opusculum sequentibus verbis: « Sic ergo patet quomodo essentia est in substantiis et accidentibus, et quomodo intentiones logicae universales in eis inveniuntur, excepto primo principio, quod est infinitae simplicitatis, cui non convenit ratio generis vel speciei, et per consequens nec definitio propter suam simplicitatem. In quo sit finis et consummatio huius sermonis »[1]. — Ex qua propositione materiae, eiusdemque iam evolutae anacephalaeosi obvie colligimus non sibi proposuisse D. Thomam, aut directe solvisse quaestionem, quam prae manibus habemus: Utrum nimirum in uno et eodem creato ente, sive secundum suam adaequatam intelligibilitatem considerato, sive realiter exsistente, eius quidditas aut essentia actualis sit necne realiter distincta ab eiusdem exsistentia. Fatendum tamen in proposita sibi re pertractanda S. Doctorem plura dixisse, quae ad praesentem nostram quaestionem omnino videantur referri. Videbimus autem quaenam illa sint.

Conclusio.

Collectio pro nostra quaestione.

In c. 1. quaerit: *Quid nomine essentiae et entis significetur.*

140. In capite ergo primo primam ex tribus absovit tractatus partem: *Quid nomine essentiae et entis significetur.* Incipit autem a nomine *entis* quod, utpote concreto modo significans, propius videtur modo intelligendi intellectus humani; per compositorum enim cognitionem in simplicium cognitionem connaturaliter devenimus, imo nulla vel simplicissimorum aliqua nostra cognitio est, in qua non compositio aliqua admisceatur. Docet ergo entis nomine duo significari, aut nimirum id, *quod in re aliquid ponit*, seu entitatem habet; aut *omne illud, de quo affirmativa propositio formari potest, etiamsi illud in re nihil ponat.* Priori modo solae res positivae *ens* sunt: altero, etiam negationes et privationes; dicimus enim: *Negatio est opposita affirmationi — Caecitas est in oculo — Privatio est in subiecto — Chimaera est aliquod impossibile* etc. — Ab *ente* priori modo dicto, seu prout res positivas significat et per decem genera dividitur, derivatur abstractum in ratione significandi *essentiae* nomen, quod ad modum formae praesefert id, quo aliquid est ens, seu: *Aliquid commune omnibus naturis, per quas diversa entia in diversis generibus et in diversis speciebus collocantur.* Essentia autem effertur etiam nominibus. *Quidditatis — Formae — Naturae.* Quia enim per definitionem essentiae respondemus interroganti: *Quid res sit?* essentia dicta est *Quidditas.* Dicta est *Forma: secundum quod per formam significatur perfectio vel certitudo cuiusque rei*, nimirum quia essentia est quasi primo formans et perficiens rem. *Nomen autem Naturae videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem..... Sed essentia dicitur secundum quod per eam et in ea res habet esse.*

Quid doceat de nomine entis.

Primo modo.

Secundo modo.

Ab ente priori modo derivatur essentia.

Quid essentia significet.

Quidditas, Forma, Natura.

Quid pressius essentia?

141. Haec clara et obvia sunt, et a nobis iam inde a vestibulo

[1] *Idem, Ibidem, c. 7. fin.*

totius tractationis plenius fuerunt evoluta. Ultima solummodo verba D. Thomae: *Sed essentia dicitur secundum quod per eam et in ea res habet esse*, aliqua egent declaratione. Quo sensu S. Doctor ait: *Per eam* (per essentiam) *res habet esse?* Sensus certe non est: *Per eam efficienter;* hunc enim sensum Aquinas *c. 5. huius Opusculi* ac alibi etiam [1] directe excludit. Neque sensus est: *Per eam materialiter*, seu tanquam per causam materialem; essentia enim et dicitur *Forma*, et ad modum formae seu perficientis ens significatur. Superest ut dicatur: *Per eam aut formaliter aut finaliter.* Cum autem finalitas necessario dici debeat a D. Thoma significata sequentibus verbis: *In ea res habet esse;* sequitur verba illa: *Per eam*, sensum formalem efficere [2]. Atque quod: *In ea*, habet sensum ablativi finalis, quatenus positio essentiae habeat hunc terminum aut finem, ut res sit, intelligitur ex eo, quod heic loquutio illa nequit significare *subiectum, in quo*, non solum quia ratio causae materialis ab essentia est iam propulsata; sed etiam quia subiectum hic *per rem* aut *per ens* significatur. Sensus ergo est: Res aut ens per essentiam formaliter, et ultime in essentia, seu ratione essentiae est. Hoc autem posito, vel ipsa significatio nominis essentiae, ex D. Thoma, nedum innuat aut exigat formaliter realem eius ab esse distinctionem, respuit eam potius, innuitque utriusque realem identitatem. Ex vi enim Angelicae significationis essentia est: Id, quo formaliter et ultimate res est ens, seu habet esse. Id, quo formaliter et ultimate ens habet esse, ab ipso esse realiter non distinguitur, imo neque potest realiter distingui; forma enim sui communicatione suum causat formalem effectum et, si ultime causat, omnem aliam formalem causam realisque proinde distinctionis principium excludit. Ergo essentia ex Angelica aut Thomistica sui nominis significatione ab ipso esse realiter non distinguitur, imo neque potest realiter distingui.

Declaratur D. Thomae mens.

Collectio pro quaestione nostra.

142. A CAPITE SECUNDO incipit secunda tractatus pars, in qua quod secundo et tertio propositum est, coniunctim, ut diximus, ordinate tamen pertractatur: 1.° in substantiis compositis: 2.° in simplicibus: 3.° in accidentibus. Et ad substantias compositas quod attinet, tria capitibus tribus Aquinas evolvit: capite quidem secundo: *Quid in substantiis compositis essentia sit;* capite tertio: *Quomodo in eis essentia differat;* capite quarto: *Undenam in iisdem intentiones logicae sumantur.* De singulis pauca?

A c. 2. incipit secunda tractatus pars, in qua bina, quae supersunt, ordinate evolvuntur.

143. Monet ergo ab initio secundi capitis Aquinas essentiam inveniri tam in substantiis, quam in accidentibus; sed absolute et primo in substantiis, posterius et secundum quid in accidentibus, prout nimirum sunt entia. Cum autem substantiae aliae simplices sint, aliae compositae, in utrisque habetur *essentia; sed in simplicibus veriori et nobiliori modo.* Quatenus autem substantiae simplices *nobilius esse habent*, compositarum causa sunt, *ad minus*,

Essentia proprie in substantiis.

In simplicibus nobiliori modo, quam in compositis.

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 4. corp.*

[2] *Idem, Ibidem, q. 36. a. 3. corp.*

substantia prima et simplex, quae Deus est. Quia tamen substantiae compositae notiores nobis sunt, quam simplices, in illis primo: *Quid essentia sit*, definiendum est. Docet ergo in substantiis compositis ex materia et forma essentiam non esse neque solam materiam, neque solam formam, neque relationem inter utramque vel aliquid utrique superadditum, sed materiam et formam simul comprehendere. Probat assertum tum ex variis essentiae proprietatibus; tum auctoritate philosophorum, Boetii, Avicennae, Commentatoris: quae omnia in textu clarissima sunt. — Praeoccupat tandem difficultatem, quae ex principio individuationis posset derivari, aiendo: materiam, quae universim essentiam substantiae compositae simul cum forma constituit, non esse materiam quantitate dimensionibusque *signatam*, sed materiam *non signatam:* « Non enim, *inquit*, in definitione hominis ponitur hoc os et haec caro, sed os et caro absolute, quae sunt materia hominis non signata ».

Quid sit essentia in substantiis compositis.

Est simul materia et forma. Probat.

Occurrit difficultati ex principio individuationis.

Notanda duo.

Primum.

144. In singulis, quae asserta sunt, evolvendis bina sunt, quae intentionem nostram exacuant. Primum est: « Per formam, quae est actus materiae, materia efficitur ens actu, et hoc aliquid. Unde illud, quod supervenit, non dat esse actu simpliciter materiae, sed esse actu tale, sicut accidentia faciunt, ut albedo facit actu album ». Hisce verbis continetur ratio, qua D. Thomas seorsim probat substantiae compositae essentiam non constitui *relatione* inter materiam et formam, neque *aliquo alio illis superaddito.* Est autem in forma ratio talis. Relatio et quae materiae et formae superadduntur, sunt accidentia; non enim dant materiae esse actu simpliciter, quod per formam substantialem datur; sed solummodo esse actu *tale*, quod accidentibus proprium est. Nullum accidens potest constituere substantiae essentiam; quia est extra ipsam, et res quidditative et cognitione propria per accidens non cognosceretur, uti cognoscitur per essentiam. Ergo relatio et quae materiae et formae superadduntur, non constituunt substantiae compositae essentiam. Brevis et optima sane probatio. — Sed interim docet Angelicus: *Per formam, quae est actus materiae, materia efficitur ens actu, et hoc aliquid.* Itaque forma substantialis tria praestat, *actuat materiam* et complet *speciei quidditatem;* facit ut materia *sit actu ens*, seu exsistat in rerum natura; constituit *hoc aliquid*, seu individuum naturae substantialis aut suppositum, et quidem non efficienter, sed formaliter, seu sui ipsius communicatione, uti saepius declaratum est. Non ergo, ex D. Thoma, materia et ipsa forma actu sunt per aliquod aliud esse ab ipsis realiter distinctum, cum ipsisque realiter componens, sed ipsarum propria realique entitate. *Prob. consequentia.* Sic sunt, ex D. Thoma, actu ens, uti actu speciem constituunt, uti constituunt hoc aliquid, seu individuum substantiae; eodem enim pacto haec tribuuntur formae cum materia coniunctae, materiamque informante. At sunt natura speciei et hoc aliquid immediate seipsis et nullo alio superadito. Ergo immediate seipsis et nullo alio superaddito sunt actu ens aut exsistunt. Praeterea sic forma substantialis materiam informans constituit actu ens, seu *dat simpliciter esse*, sicut

Tria prestat forma in composito.

Illatio contra entitatulam Aegidianam.

Probatur primo.

Secundo.

forma accidentalis *dat subiecto esse tale.* At forma accidentalis dat subiecto *esse tale* seipsa, et non per aliud esse. Ergo forma substantialis seipsa dat materiae *esse simpliciter*, et non per aliud esse.

Secundum.

145. Ad haec, probaturus S. Doctor partem positivam asserti sui, qua dicebat essentiam substantiae compositae comprehendere simul materiam et formam, sequentem profert rationem: « Esse substantiae compositae non est tantum formae, nec tantum materiae, sed ipsius compositi. Essentia autem est, secundum quam res dicitur esse. Unde oportet ut essentia, qua res denominatur ens, non tantum sit forma, nec tantum materia, sed utrumque, quamvis huiusmodi esse sive essentiae sola forma suo modo sit causa », abs dubio formalis. Est ratio clara et efficax, et quidem explicite in forma syllogistica. — Hanc rationem P. De Maria, in suo Scholio ad hoc caput, sic effert. « Illud in substantia composita designatur nomine essentiae, quod in se recipit essendi actum, ad quem refertur ut subiectum ad ultimam actualitatem. Atqui actus essendi non recipitur proprie neque in materia, neque in forma, sed in composito ex utraque. Ergo in huiusmodi substantiis essentia significat compositum ex materia et forma »[1].— Quidquid sit de valore argumenti P. De Maria, de quo mox, certum est: — α) ipsum non esse argumentum D. Thomae, saltem in hoc loco. D. Thomas arguit ex eo, quod *esse simpliciter* EST ipsius compositi: unde termini syllogismi sunt — *Essentia — Esse — Compositum ex materia et forma*, et conclusio est necessaria: quam necessitatem S. Doctor voluit explicite innuere, aiendo: *Unde oportet etc.* P. De Maria arguit ex conceptu *subiecti receptivi actus essendi:* unde termini syllogismi sunt: *Essentia — Subiectum receptivum actus essendi — Compositum ex materia et forma;* videbimus autem quaenam sit conclusio. Certum est: — β) non esse evidens argumentum, in sensu P. De Maria esse ullibi D. Thomae; sed esse argumentum verbis D. Thomae et intelligentia Aegidiana male sartum. P. De Maria per *subiectum receptivum actus essendi* intelligit *subiectum physice receptivum*, et *actum essendi realiter distinctum* et *physice receptum*, uti ipsemet, omnino nimis fidenter, subinde declarat. Probatum est autem verbis illis D. Thomae hunc sensum non subesse, sed esse sensum appictum verbis D. Thomae ex *positione* Aegidii, uti ex Capreolo didicimus. Certum est: — γ) argumentum P. De Maria esse sophisticum; quia in antecedenti, ex rei veritate et ex D. Thoma uti probavimus, falsum vel supponit vel assumit, et conclusio est vera solum per accidens.

Probatio D. Thomae clara et efficax.

Ut effertur a P. De Maria.

Non est D. Thomae, saltem in hoc loco. Probatur.

Non est evidens esse alicubi D. Thomae.

Est sophistica.

146. Non necessariis ergo huiusmodi tricis omissis, D. Thomas, ut probet essentiam substantiae compositae haberi ipso composito ex materia et forma, arguit: In substantia composita esse est compositi. Per essentiam habetur esse. Ergo essentia est compositi seu ex composito. In qua ratiocinatione τὸ *esse*, absque controversia, non esse essentiae, sed esse refert exsistentiae, quemadmodum adversarii ipsi fatentur; secus enim haberetur petitio prin-

Declaratur ex veritate D. Thomae ratio.

---

[1] P. De Maria, *Opusc. D. Thomae, De Ente et Essentia, c. 2. Scholion.*

cipii et idem probaretur per idem, cum essentia et esse essentiae unum sint prorsus idemque. In minori vero, quoad *esse*, essentiae tribuitur a D. Thoma formalis quaedam causalitas, quatenus essentia est id, quo in rerum natura res est; quamvis, uti subinde dicit: *sola forma suo* (seu speciali) *modo sit causa*, quatenus est formale principium, quo et completur quidditas speciei, et simpliciter est actu. Iam si essentia est formalis causa, qua reale esse simpliciter habetur, essentia substantiae compositae est realiter eiusdem exsistentia; forma enim sui communicatione formalem suum causat effectum. Adde quod in minori D. Thomae: *Essentia est*, *secundum quam* (vel qua) *res dicitur esse;* formalis causalitas essentiae tributa nequit intelligi essentialiter seu in ordine essentiali, sed necessario in D. Thoma debet intelligi realiter seu in ordine reali; primum enim illud S. Doctor uni Deo tribuit, de creaturis autem constanter negat. Ergo ex D. Thoma essentia est, qua realiter res est. Ab esse ergo realiter essentia non distinguitur. Quapropter S. Doctor ait: *Quamvis huiusmodi* ESSE SIVE ESSENTIAE *sola forma suo modo sit causa:* qua loquutione realis essentia et esse pro eodem accipiuntur: *Huiusmodi esse* SIVE *essentiae.* Hic igitur unus ex locis est, in quibus D. Thomas clare tradit essentiam actualem ab esse non distingui realiter. Ex quo sequitur, quae in hoc Opusculo oppositum videntur innuere, necessario intelligenda esse in sensu formali praecisivo; non enim D. Thomas is est, qui sibi contradicat. Ceterum, uti satis ostensum est, peculiaria loca sensum formalem praecisivum ex sese manifestant.

Hoc loco D. Thomas clare tradit essentiam actualem ab esse realiter non distingui.

147. IN CAPITE TERTIO agit D. Thomas de differentia essentiarum in substantiis compositis. Quandoquidem autem in huiusmodi substantiis essentia potest considerari vel prout in genere, vel prout in differentia, vel prout in specie, vel prout in individuo continetur (omnia enim haec *in quid* praedicantur); universim docet essentiam substantiarum compositarum in illis differre *secundum signatam* et *non signatum*, aliter tamen et aliter. Nam essentia individui habetur *per materiam signatam*, dum contra essentia speciei *per materiam non signatam*, si cum individuo conferatur: at si species comparetur cum genere, *designatio speciei* habetur per differentiam constitutivam, quae *designatio* generi deest.

In c. 3. agitur de compositarum substantiarum differentia.

Universim differunt secundum *signatum* et *non signatum*.

148. Omissa individui designatione, qua de, praecedenti capite, actum est, de designatione speciei relate ad genus docet ipsam non fieri per aliquid exsistens in specie, quod nullo modo in genere contineatur; sed fieri per aliquid clare et determinate de specie enunciatum, quod solum obscure et indeterminate in notione generis involvitur. Si enim prius illud diceretur, haberetur quidem pars integralis, sed genus non haberetur: genus enim non essentiae partem, sed totam essentiam cum quadam indeterminatione effert, dum species eandem totam significat essentiam determinate. Declarat hoc exemplis. Si forma, inquit, constituens v. g. corpus, talis sit, ut materiam reddat aptam, ut in ea tres dimensiones possint designari cum praecisione ulterioris perfectionis, corpus

Designatio speciei relate ad genus.

Qui fiat?

Ratio.

Declaratur.

relate ad animal erit pars integralis; quo sensu animal dicitur constare ex anima et corpore. At si corporis forma accipiatur sine praecisione ulterioris perfectionis, quatenus eadem forma, quae dat esse tribus dimensionibus mensurabile, dat etiam esse vivum, sensu praeditum, rationale, tunc corpus est genus, et praedicatur de specie: *hoc vivens, sensu praeditum, rationale est corpus.*— Infert hinc quod, si genus indeterminate totam essentiam significat, totam etiam essentiam significat differentia, totam species, totam definitio. Differunt vero quod genus, quamvis totam significet essentiam, denominat tamen quod in re materiale est; quare dicitur sumi a materia: differentia vero denominat quod formale in re est, et *praesuppositive* materiale includit; unde dicitur sumi a forma: sed species et definitio utrumque formaliter includunt et denominant; species quidem sine divisione et minus clare, v. g. *homo*, definitio vero cum divisione conceptuum et clarius, v. g. *animal rationale.*

Illatio quoad differentiam, speciem, definitionem.

149. Ex dictis patet genus, differentiam, speciem se habere proportionaliter ad materiam, formam et compositum, quamvis non sint idem cum illis. Genus enim sumitur a materia, non tamen est materia; differentia item, si sumitur a forma, non tamen est forma; compositum demum, si est ex materia et forma, non tamen est materia aut forma, aut corpus et anima seorsim, sed simul aut ut unita. Contra homo dicitur *animal rationale*, et non ex animali et rationali, nisi improprie. Ratio est quod, cum anima et corpus sint partes physicam essentiam constituentes, nequeunt de essentia seorsim praedicari *in recto*, sed solum *in obliquo*, utpote ex quibus essentia constituitur. Cum autem *animal* et *rationale* sint genus et differentia, quae, utut implicite, totam tamen includunt essentiam, debent praedicari *in recto*, quia sunt ipsa essentia, et nequeunt proprie praedicari *in obliquo*, quia non sunt partes, ex quibus essentia constat. Quod si aliquando dicitur homo esse *ex animali* et *rationali*, loquutio, ut monuimus, impropria est, et non significat physicam hominis essentiam, sed essentiam metaphysicam aut rationem hominis, quae ex conceptu animalis et rationalis habetur: « Ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei vel definitionis ». Quapropter sicut partes physicae non praedicantur seorsim de toto; sic partes metaphysicae, genus nimirum vel differentia, seorsim nequeunt de definitione praedicari.

Genus, differentia, species se habent proportionaliter ad materiam, formam, compositum.

150. Ulterius ex eodem principio potest intelligi quomodo genus se habeat ad species, et species ad individuum. Quamvis enim genus totam significet essentiam, opus tamen non est, ut diversarum specierum, quarum unum est genus, una etiam sit essentia. Genus enim est unum, quatenus indeterminato et confuso modo essentiam significat, nimirum quatenus indifferens ex se est ad hanc vel illam differentiam; quae differentia si accedat, indifferentia auferetur, et habebitur duplex species distincta. Ex quo sequitur aliam esse unitatem generis, aliam materiae primae. Materia enim prima una est, quia, ut sic, nullam habet aut exigit

Quomodo genus se habeat ad speciem, species ad individuum.

Alia unitas generis, alia materiae primae.

formam determinatam ; genus vero unum est, quia commune est utrique differentiae, et alterutram exigit ut determinetur. — Praeterea sicut genus est indeterminatum respectu speciei, sic species respectu individui ; sed sicut genus indistincte significat totam speciem aut speciei quidditatem, quare de specie praedicatur, v. g. *homo est animal ;* sic etiam species, quatenus de individuo praedicatur, indistincto modo significat non solum naturam specificam, sed etiam differentiam individualem, quae in ipso est, et sic dicitur v. g. *Sortes est homo.* Quod si quidditas speciei significaretur nomine praescindente a differentia individuali, quae est materia signata, et sic diceretur v. g. *humanitas*, species hoc nomine significata non posset de individuo praedicari ; dici enim nequit : *Sortes est humanitas.* Ratio est quod, cum humanitas accipiatur a forma, ac significet id, quo homo est homo, et non quo homo est hic homo, humanitas significat non ut totum, sed ut pars formalis. Pars autem formalis nequit praedicari de toto, sed exigit, ut *sit recepta in aliquo, quod est materia signata*, ut totum praeseferat.

Si quidditas speciei significaretur nomine praescindente a differentia individuali, non posset de individuo praedicari. Ratio.

Notanda D. Thomae loquutio.

151. Subsignata haec ultima D. Thomae verba omnino prae oculis habenda sunt, ut intelligatur ex eo solo, quod aliquid dicitur ab ipso in alio receptum, non sequi id esse ab hoc realiter distinctum. Humanitas enim, quae in suo conceptu essentialiter includit materiam praescindentem a notis individuantibus seu, iuxta D. Thomam, ab hoc, quod possint et debeant in tali materia hae dimensiones designari, prout sunt in hoc individuo, ratione materiae non distinguitur realiter ab illa materia, in qua recipi dicitur ; sed solum ratione, quatenus significatur ut exigens recipi in materia signata, in qua unice reale esse consequitur.

Notula P. De Maria in quaedam D. Thomae verba.

152. Sed enim P. De Maria sequentibus D. Thomae verbis : « Materia autem signata non est illud, unde homo est homo, et ita nullo modo continetur inter illa, ex quibus homo habet quod sit homo », hanc subiicit notulam : « Ex hoc loco cuilibet veritatem quaerenti in promptu est, S. Thomam procul dubio profiteri principia individuantia in substantiis materialibus *differre realiter* a principiis essentialibus ac quidditativis, et consequenter unitatem numericam aliquid addere unitati formali, nimirum id, quod essentiam ad esse in hoc vel illo singulari determinat : secus contra doctrinam ab Aquinate traditam principia individuantia inter ea continerentur, ex quibus homo habet quod sit homo. Neque proficit hilum, qui ad virtualem distinctionem recurrit; cogeretur enim propugnare quantitatem dimensivam ex mente S. Doctoris virtualiter tantum discriminari a substantia corporea : quod esset lepide dictum » [1]. — Verum si *realis distinctio* non sit illa *fundamentaliter realis* vel *realis negativa*, quam de supposito ex D. Thomae doctrina agentes in superioribus declaravimus ; sed sit distinctio *formaliter realis* Patri De Maria in deliciis ; quae hic dicit, revera sunt lepide dicta, et plus quam lepide. Nonne enim lepidum est

Refellitur

Exhibetur lepida eius conceptio.

[1] De Maria, *Op. laud. ad c. 3. Nota.*

in Petro v. g. fingere realem humanitatem communem omnibus hominibus ; realem subinde aliam materiam dimensionibus instructam, quae realiter recipit illam realem humanitatem communi materia constantem, et cum hac realiter componentem ; post haec, hanc individuam quidditatem recipere realiter *esse*, et realiter componere ; ante vel post esse recipere subsistentiam etc. ? Nempe haec lepida revera sunt dubio procul. Illa vero realis communis humanitas esset plus quam lepidum quid : esset universale a parte rei, si superis placet, a D. Thoma propugnatum. Nec si sola distinctio virtualis aut fundamentaliter realis admittitur, opus est *propugnare quantitatem dimensivam, ex mente S. Doctoris, virtualiter tantum discriminari a substantia corporea.* Materia enim signata, de qua S. Doctor loquitur, uti pluries in hoc ipso capite repetit, neque est ipsa *quantitas*, neque est materia *accidentali quantitate actu instructa*, sed est materia aut substantia corporea entitative partibus constans, ac proinde apta ut quantitativis dimensionibus instruatur, ac exigens quantitate instrui : « Corpus, *ait*, secundum quod est in praedicamento substantiae, dicitur ex eo, quod *habet talem naturam, ut in eo designari possint tres dimensiones ;* ipsae autem tres dimensiones designatae sunt corpus, quod est in genere quantitatis ». Individuatio autem hominis sumitur a corpore non secundo, sed primo sensu acceptum. Primum ergo illud corpus cum D. Thoma dicimus non distingui distinctione formaliter reali in Petro a natura communi, non secundum. Rursum : « Similiter etiam et super hanc perfectionem, quae est habere talem formam, *ut in ea* POSSINT *tres dimensiones designari* ». Et : « Potest hoc nomen : *Corpus*, rem quandam designare, quae habet talem formam, ex qua sequitur in ipsa *designabilitas trium dimensionum cum praecisione*, ut scilicet ex illa forma nulla ulterius perfectio sequatur..... quae quidem perfectio est, ut materialis se habens ad perfectionem sequentem » etc. Quomodo P. De Maria, qui abs dubio ista et alia similia legit, potuerit illa scribere, revera non intelligitur.

Quid in illa plusquam lepidum ?

Dissipatur eius ratio.

Quid apud D. Thomam *materia signata* ?

153. IN CAPITE QUARTO definit S. Doctor quomodo se habeat natura substantiarum compositarum ad intentiones logicas, seu quomodo ipsi competat intentio aut notio generis, speciei, differentiae. Docet ergo : — α) huiusmodi notiones non competere quidditati substantiarum compositarum, quatenus ipsa ad modum partis significatur v. g. ut *animalitas*, ut *humanitas*, ut *rationalitas*. Ratio est, quod genus, species et differentia praedicantur de singulari signato : *Sortes est animal, est homo, est rationalis.* Pars autem formalis nequit praedicari de toto, nec dici potest : *Sortes est humanitas* etc. Itaque essentia ad modum partis significata est principium generis, speciei et differentiae, non genus, species aut differentia : — β) Ratio generis, speciei et differentiae non competit essentiae secundum quod est res quaedam exsistens extra singularia, uti volebant Platonici ; secus enim, praeter falsitatem hypothesis, nequiret de singulari signato praedicari, nec ad eius cognitionem conferre. Non enim dici posset : *Sortes est homo*, si homo esset aliquid a Sorte separatum : — γ) Ratio generis, speciei,

In c 4. definit D. Thomas, quomodo se habeat natura substantiarum compositarum ad intentiones logicas.

Intentiones logicae non competunt naturae ad modum partis significatae.

Non competunt naturae separatae in sensu Platonicorum.

Competunt naturae ad modum totius significatae.

differentiae competit essentiae, quatenus significatur per modum totius, v. g. nomine *hominis*, vel *animalis*, prout implicite et indistincte continet totum hoc, quod in individuo est.

Quid de natura, tertio hoc modo inspecta, potest secundum se praedicari?

154. Age iam essentia tertio hoc modo accepta inspici potest dupliciter, vel nimirum *secundum se* et *absolute*, vel *prout est in alio* et *relative*. Primo modo nequit de ipsa praedicari, nisi quod ipsi, *ut sic* seu *qua tali*, convenit; secus enim esset falsa praedicatio. Sic de homine, qua tali, praedicari potest quod est animal, rationale, et universim quod eius definitione continetur, non autem quod sit albus, vel niger. De essentia autem absolute inspecta neque dici potest quod sit una, neque quod sit multiplex, unitate nimirum et multiplicitate numerica; utrumque enim hoc est extra conceptum v. g. *humanitatis*, ut sic, et utrumque potest ipsi extra

Quid prout est in alio?

intellectum accidere. — Secundo autem modo, praeter id quod ipsi competit ratione sui, de ipsa praedicatur aliquid per accidens ratione eius, in quo est: sic dicitur: *Homo est albus*, quia *Petrus est albus*.. Essentia autem in subiecto considerata potest habere duplex esse, unum in singularibus, alterum in intellectu; et secundum utrumque ipsam sequuntur quaedam accidentia, v. g. in singularibus habet esse multiplex, quod ipsi, qua tali, non competit. Ex quo fit naturam v. g. *hominis* absolute et, ut sic, consideratam abstrahere a quolibet esse, non tamen negare aliquod eorum: et haec natura sic considerata est quae praedicatur de omnibus individuis.

Naturae absolute, seu secundum se, inspectae non competit sine alio intentio universalitatis.

155. Hisce positis: — δ) Naturae huiusmodi, seu absolute consideratae, non competit, sine alio, intentio universalitatis, ut dici possit species, genus, aut differentia. Ratio est, quod de ratione universalitatis est unitas et communitas quae, ex dictis, ipsi desunt: — ε) Naturae eidem non competit intentio universalitatis

Neque secundum esse, quod habet in individuis.

secundum esse, quod habet in individuis; sic enim quamvis haberet multiplicitatem aut communitatem, careret unitate, quae ad universale requiritur: — ζ) Essentiae substantiae compositae ad modum totius inspectae competit intentio universalitatis, seu intentio generis, speciei, differentiae, secundum esse quod habet in

Sed secundum esse, quod habet in intellectu.

intellectu; sic enim, quia abstracta est a conditionibus individuantibus, una est, et tamen potest uniformiter de omnibus individuis praedicari: quam relationem cognoscens intellectus, invenit rationem generis, speciei, differentiae, et ipsi attribuit.

Duplex S. Doctoris illatio.

Erravit Averroes.

156. Ex dictis bina infert S. Doctor. Primum est errasse Commentatorem, seu Averroem, qui ex universalitate formae intellectus voluit intellectus unitatem concludere. Quamvis enim forma intellecta *relate ad individua*, ut eorum similitudo, universalis sit; tamen tum subiective, seu quatenus est actus et affectio subiecti cogitantis, singularis est, non universalis; tum obiective seu repraesentative est particularis et non universalis; unam enim particularem quidditatem, non omnes quidditates repraesentat, quae consequenter non requirit principium unicum et universale, sed principium particulare. — Alterum est, quod natura universalis praedicatur de individuis, et intentio universalitatis, quae ipsi

Naturae universali praedicatae de individuis non competit intentio universalitatis.

competit, non praedicatur. Dicimus enim : *Sortes est homo ;* sed non possumus dicere : *Sortes est species.* Ratio est, quod essentia, qua talis, habet revera esse, seu realis est in individuis ; dum contra intentio universalitatis illi essentiae formaliter non competit, nisi secundum esse, quod habet in intellectu, seu quatenus ab intellectu cognoscitur tanquam *una apta inesse multis et praedicari de multis*, quod ipsi accidens est.

Doctrina capitis communis nobis et adversariis.

157. Doctrina huius capitis nobis adversariisque communis est, nec quidquam habet, quod *directe et clare* possit sive pro nobis, sive contra nos invocari. Aliqua tamen sunt, quae nobis videntur favere. Primum est, quod D. Thomas in hoc et in praecedenti capite non considerat essentias pro ordine et, dixerim, statu reali et physico, sed secundum praecisam rationem intelligibilitatis, seu secundum praecisos conceptus metaphysicos generis, differentiae, speciei. Hac ratione definit quomodo naturae genericae, specificae, differentiales, prout terminis primae intentionis — *Animal — homo — rationale* — significantur, inter sese differant ; quomodo ipsis competat intentio universalitatis, et dici consequenter possint termino secundae intentionis — *genus — species — differentia.* Ergo sensus formalis seu praecisae intelligibilitatis, quem nos ex locis particularibus in superioribus derivavimus, non modo non repugnat generali agendi rationi, quam S. Doctor in hoc Opusculo servat, sed ipsi potius dici debet congruere, ex eaque quodammodo firmari. — Secundum est quod, uti legenti patet, S. Doctor eodem modo loquitur de esse, quod natura habet in singularibus, et quod habet in anima, seu in intellectu. At nemo dicet naturam vel essentiam v. g. genericam habere in intellectu esse a se realiter distinctum. Ergo. — Tertium est, quod loquutiones quaedam illam distinctionem videntur excludere : « Verum est, *inquit*, dicere quod homo, in quantum est homo, non habet *quod sit in hoc singulari vel in illo.* Patet ergo quod natura hominis abstrahit a quolibet esse ». Ergo natura abstrahit ab esse, quia non habet ex se, ut sit in hoc vel in illo, non autem quia ex se non habet hanc aut illam entitatulam, quae dicitur esse. Rursum : « Si esset una statua corporea repraesentans multos homines, constat quod illa imago vel species statuae haberet esse singulare et proprium, secundum quod esset in hac materia ». Hoc ergo solo, quod est in hac materia, imago habet esse singulare. Ubinam est conceptio Aegidiana de entitatula realiter statuae adiungenda, ut habeatur esse ? Certo certius illa entitatula nunquam D. Thomae in mentem venit.

Favet tamen nobis primo.

Secundo.

Tertio.

In c. 5. definit quomodo essentia sit in substantiis spiritualibus.

158. In capite quinto proponit sibi S. Doctor : « Videre secundum quem modum essentia sit in substantiis separatis, scilicet in anima, intelligentiis et causa prima ». Hic incipit secunda pars secundae partis totius tractatus, et continetur hoc et capite sequenti. Asserit ergo : 1.° Non solum Deus, quod omnes concedunt ; sed etiam intelligentiae et ipsa anima humana simplices sunt, seu non sunt compositae ex forma et materia proprie dicta, sed tantum impropria et aequivoce dicta, id est, ex forma et esse. —

Assertio princeps : Substantiae spirituales non sunt compositae ex materia et forma.

Probat.

Probat, quia substantiae separatae intelligunt. Non possent autem intelligere, si materia constarent. Intelligibile enim non est, nisi quod est separatum a quacumque materia proprie dicta. Ergo intelligens non est, nisi quod ab eadem materia separatum est.— Praeterea quamvis repugnet dari materiam sine forma, non repugnat tamen dari formam materia non indigentem, ut sit; quia forma dat esse materiae, non materia formae. Ergo dari potest forma, quae habeat esse sine materia; non enim forma secundum totum genus suum materia indiget. Huiusmodi autem formae sunt substantiae separatae. — Hinc substantiae compositae a simplicibus differunt tripliciter: 1.° quiae illae constant materia et forma; non autem hae: 2.° Quia illae, ut dictum est, possunt significari ut *totum*, et ut *pars;* hae nonnisi ut *totum:* 3.° Illae possunt multiplicari in individuis ratione materiae; hae, quia materia carent, non possunt.

Discrimina tria inter substantias spirituales et materiales.

Assertio 2ª. Substantiae spirituales creatae non sunt actus puri. Probat.

159. Asserit: 2.° « Substantiae simplices creatae, quamvis sint formae sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiae ». Probat. Quod est metaphysice compositum ex essentia et esse, caret omnimoda simplicitate, nec est actus purus, sed habet permixtionem potentiae; omnimoda enim simplicitas et actus omnino purus excludit omnem compositionem, omnemque potentiam non solum physicam, sed etiam metaphysicam, ac porro potentiam obiectivam, quae a potentia metaphysica necessario supponitur. Substantiae autem simplices creatae sunt metaphysice compositae ex essentia et esse; quia esse non est de ratione aut conceptu substantiae simplicis, atque adeo metaphysice componit. Ergo. — Praeterea res, de cuius ratione aut conceptu sit esse, atque adeo quae sit suum esse, nequit esse, nisi una et prima; quia nequit multiplicari neque per additionem differentiae specificae, neque ratione materiae, uti multiplicantur individua materialia: non hoc, quia non esset esse subsistens; non illud, quia iam non esset esse tantum, sed esse et, praeter hoc, forma aliqua. Ergo in omni alia re, atque etiam in intelligentiis, esse non est de essentia aut de ratione eius. Ergo essentia est metaphysice potentia et cum esse metaphysice componit: *et ideo dictum est quod intelligentia est forma et esse:* quae ultima verba ostendunt, quae in secundo hoc asserto dicta sunt, dicta etiam fuisse ad demonstrandam secundam partem prioris asserti.

Assertio 3ª. Intelligentiae habent esse a causa prima. Probat.

160. Asserit: 3.° Intelligentiae habent esse a causa prima, quae est Deus. Probat. Quod convenit alicui et essentiale non est, est necessario causatum vel a principiis intrinsecis, vel a principio aliquo extrinseco. Esse convenit intelligentiis et non est essentiale, uti probatum est. Ergo est causatum vel a principiis intrinsecis, vel a principio aliquo extrinseco. Esse autem nequit esse causatum a principiis intrinsecis; quia sic aliqua res esset causa *suipsius*, et aliqua res *seipsam in esse* produceret, quod est impossibile. Ergo a principio extrinseco. Huiusmodi autem principium aliud esse nequit, nisi causa prima, quae Deus est; quia

quod est per aliud, necessario reducitur ad id, quod est per se et primum, cum in infinitum non liceat abire. Ergo.

Assertio 4ª. Intelligentiae metaphysice constant potentia et actu, adeoque possunt specifice multiplicari.

161. Asserit: 4.° Dicendum est intelligentias metaphysice componi ex potentia et actu, atque adeo dari posse specificam multitudinem intelligentiarum. Probat 1.um, quia si intelligentiae non habent esse essentialiter, sed illud recipiunt a Deo, sunt in potentia respectu esse, quod recipiunt, et esse est per modum actus. At si hoc, metaphysice componuntur ex potentia et actu. Ergo. Quapropter, quia quidditas intelligentiae est ipsamet intelligentia, intelligentiae dicuntur componi ex *quod est* et *quo est*, vel ex *quo est* et *essentia*, vel, ut alibi ait, ex *seipso* et *alio*, quae, ex S. Doctore, non dant *rem compositam*, sed *rationem compositam*. — Probat 2um. Si in intelligentiis datur potentia et actus, quo minus datur de potentia et plus de actu, plus dabitur perfectionis in ipsa forma, seu in perfectione quidditativa in una, quam in alia, quatenus una plus quam alia accedet primo principio, quod est simpliciter actus. At ubi datur plus perfectionis quidditativae in uno, quam in alio, ibi dantur plures species, aut specifica multitudo. Ergo si in intelligentiis datur potentia et actus, dari potest specifica multitudo intelligentiarum. — Hinc varii gradus specifici in intelligentiis usque ad animam humanam, quae tenet infimum gradum, et ita propinqua est rebus materialibus, ut res materialis trahatur ad participandum esse suum, ita quod ex anima et corpore resultet unum esse in uno composito, quamvis illud esse, prout est animae, non sit dependens a corpore. Post istam formam aliae formae sunt plus de potentia in perfectione quidditativa, seu de non esse habentes usque ad primas formas elementorum, quae sunt propinquissimae materiae, ut patet ex eo, quod non aliam operationem habent, nisi illam, qua materia ad formam disponitur.

Probat 1um.

Probat 2um.

Difficultates huius capitis iam dissipatae sunt

Quid habeatur ex totius capitis analysi.

162. Quae in hoc capite difficultatem aliquam poterant ingerere, iam in superioribus dissipata sunt. Ex analysi vero totius capitis id evidenter habetur, sensum quem ex specialibus locis derivavimus, pro doctrina totius capitis esse necessarium et sufficientem; sensum vero adversariorum non esse necessarium, sed voluntarie appictum, et assertione quarta necessario excludi, uti in illo loco declarando commonstravimus. Non solum ergo ex hoc capite non habetur distinctio formaliter realis adversariorum, sed potius ex hoc capite distinctio illa notioque τοῦ *esse* Aegidiana satis clare et solide excluduntur.

Scopus c. 6.

163. In capite sexto, quamvis directe agat de substantiis separatis, intendatque ostendere quomodo hae differant inter se, et quomodo se habeant ad intentiones logicas; tamen, ut hoc ipsum plenius et clarius praestet, triplicem modum, quo essentia se habet in substantiis, nimirum in Deo, in intelligentiis et anima humana, in substantiis compositis, concinne demonstrat.

In Deo essentia est suum esse.

164. Et ad Deum quod attinet, docet: — α) Essentiam in ipso esse ipsum *esse* eius, cui *esse* sit de ratione aut essentiali eius conceptu, uti apud omnes ratum est. Hinc: — β) Deus in genere non

Deus non est in genere.

est. Eo ipso enim, quod in Deo τὸ *esse* est de essentia aut est ipsa essentia, haec essentia est essentialiter singularis, non communis. Quod autem essentialiter singulare est et non commune, nequit esse in genere: « cum quidditas aut natura generis aut speciei non distinguatur secundum *rationem naturae* in illis, quorum est genus vel species », id est, communis sit, non essentialiter singularis: « sed *esse* est in diversis diversimode », nimirum eius realitas in rerum natura est in diversis distincta et singularis: —

Deus est esse tantum, non esse commune. sed esse, cuius individuatio est pura bonitas.

γ) Deus proinde est *esse* tantum: non esse illud commune, quo omnia dicuntur entia; sed *esse* individuum, cuius individuatio sit pura eius bonitas. Nam esse divinum est esse, cui fieri nequit additio. Esse autem commune sicut ex se non requirit additionem, ita neque additionem excludit; secus enim nonnisi cum illa aut additione aut praecisione additionis posset intelligi. Ad haec:—

Quamvis Deus sit esse tantum, nulla ei deest perfectio.

δ) Quamvis Deus sit esse tantum; nulla tamen ei deest perfectio, sed contra perfectiones omnino omnes in eo simpliciori et nobiliori modo continentur.

In substantiis spiritualibus creatis essentia non est suum esse.

165. « Secundo modo invenitur essentia in substantiis intellectualibus creatis, in quibus est aliud esse, quam essentia ipsarum », nimirum in quibus esse non est de ratione essentiae, : « quamvis essentia sit sine materia ». Harum substantiarum : —

Unde earum esse non est absolutum, sed respectivum.

α) Esse non est absolutum, sed quodammodo respectivum, ac porro in essentia determinata receptum, et ideo limitatum et finitum ad capacitatem naturae recipientis; sed natura vel quidditas earum est absoluta, non recepta in aliqua materia. Quae receptio in materia, si daretur, non posset esse, nisi metaphysica; et eiusdem rationis est receptio τοῦ *esse* in essentia. Quare intelligentiae, quae realiter sunt esse et essentia seu essentia realis, qua parte aut quatenus a Deo habent τὸ *esse* essentiae proportionatum commensuratumque, seu producuntur in determinata perfectione quidditativa, dicuntur superius finitae; qua parte vero aut quatenus earum essentia non recipitur in materia, seu non producitur ut commensurata materiae signatae, dicuntur inferius infinitae, seu non finitae. Hinc: —

In ipsis dari potest multitudo specifica, sed non numerica, nisi in anima humana.

β) In talibus substantiis dari potest multitudo specifica, ut dictum est; sed non datur multitudo individuorum in una specie, nisi in anima humana, propter corpus cui unitur: —

Individuatio animae pendet occasionaliter, non formaliter a corpore.

γ) Individuatio vero animae humanae pendet a corpore occasionaliter et quodammodo *in fieri*, non autem formaliter et quasi *in facto esse*. Primum, quia nonnisi ratione huius corporis informandi haec anima producitur et acquirit esse seu realis est. Alterum, quia hoc esse aut haec realitas, cum sit independens a materia, si semel productum est, ex se erit semper tale, etiam sine materia: —

Sunt ordinabiles in praedicamento.

δ) Eo ipso vero, quod in intelligentiis *esse*, aut realitas singularis non est de ratione essentiae, possunt habere et habent essentiam communem, et consequenter ordinabiles sunt in praedicamento, et in ipsis possunt

Differentiae earum nobis occultae.

inveniri genus, differentia, species. Differentiae tamen earum nobis occultae sunt. Si enim in rebus ipsis sensibilibus differentiae essentiales saepe saepius nos latent; quare ad eas designandas utimur accidentibus propriis, quae ex essentialibus differentiis oriun-

tur ; *a fortiori* id esse debet in intelligentiis, quarum ne ipsa quidem accidentia propria nobis innotescunt.

Quomodo in ipsis sumuntur intetiones logicae.

166. De ratione vero se habendi harum substantiarum ad intentiones logicas sciendum est non eodem modo sumi genus et differentiam in substantiis intellectualibus creatis, et in substantiis materialibus. In his enim, ex dictis, sumitur genus ab eo, quod materiale est, et differentia ab eo quod est formale : unde earum differentia, cum sumatur a forma, dicitur *simplex*. Sed in intellectualibus genus et differentia sumuntur a tota quidditate secundum perfectionis gradus inferiores et superiores, seu secundum recessum a potentialitate et accessum ad actum purum : sic immaterialitas, et ex ea consequens intellectivitas, quae intelligentiis omnibus communis est, generis locum in eis obtinet ; ultimus vero perfectionis gradus locum habet differentiae, nobis tamen ignotae. Neque vero hinc sequitur huiusmodi differentias esse accidentales. Differentia enim accidentalis tunc habetur ex diverso gradu, quando *eadem forma* secundum varios gradus recipitur ; sed gradus in ipsis formis substantialibus dat *aliam formam quidditativam*, et consequenter constituit differentiam essentialem. Aliunde vero necesse non est, ut divisio intellectualium substantiarum sit semper per differentias *veras*, id est, per proprii nominis differentias ; hoc enim impossibile est, ut a nobis in rebus omnibus praestetur.

Quomodo se habeat essentia in substantiis compositis.

167. Tertio modo invenitur essentia in substantiis compositis ex materia et forma quae, quia non a se sunt sed ab alio habent esse aut producuntur secundum limitatam essentiam, atque adeo illud esse aut realitas dicitur recipi in essentia, dicuntur *superius finitae ;* quia essentia ipsa concipitur recepta in materia signata, dicuntur *finitae* etiam *inferius*. In his autem substantiis, uti supra dictum est, possibilia sunt plura individua in una specie ; uti etiam dictum est, qualiter se habeant ad intentiones logicas.

De his recoluntur quae superius dicta sunt.

Quomodo se habent intelligentiae ad Deum, ad corpora, ad seipsas invicem.

168. De substantiis ergo intellectualibus D. Thomas, capite quinto, definit : *Quid sint*, nimirum : Eas esse substantias immateriales, non omnimoda simplicitate praeditas, a Deo productas, metaphysice proinde compositas ex potentia et actu, sin minus ex materia et forma. Capite sexto, huiusmodi substantias differe tum a Deo et inter se, tum a substantiis materialibus. Et a Deo quidem, quia τὸ *esse* est Deo essentiale adeoque illimitate competit ; ipsis autem essentiale non est, sed a Deo productum ad essentiae determinatae capacitatem, quatenus ipsa essentia, quae erat solum possibilis, realis est facta in rerum natura, adeoque τὸ *esse* limitate recepit. A substantiis vero materialibus, quia non sunt compositae ex materia et forma, quamvis utraeque esse limitatum a Deo receperint. Inter se demum, quia una prae alia minus habet de potentia et plus de actu, seu minus de nihilo et plus de ente, atque adeo per recessum a potentialitate et per accessum ad actum purum aut primum. Atque hinc in ipsis desumuntur intentiones logicae ; genus quidem ab illis praedicatis, quibus recedunt a potentialitate, puta ab immaterialitate, vel intellectivitate, vel ab

huiusmodi praedicato alio, in quo omnes conveniunt; differentia vero, ab ultimo praedicato vel gradu perfectionis quidditativae, quo accedunt ad Deum, et inter sese differunt, seu speciem in singulis individuis, ob materiae carentiam, constituunt. Haec autem doctrina absque necessitate ulla Aegidianae illius notionis τοῦ *esse* et absque reali adversariorum distinctione, uti iam declaratum et probatum est, tota intelligitur, et in sua veritate et robore tota consistit. Notio ergo illa realisque distinctio superfluae sunt, et D. Thomae menti non conformes, sed difformes. Ex quo fit, ex hoc capite distinctionem formaliter realem inter creati entis actualem essentiam et esse non solum non probari evidenter; sed contra probari evidenter distinctionem illam non evidenter probari, imo etiam esse a D. Thoma ablegandam.

D. Thomae doctrina absque entitatula Aegidiana et adversariorum distinctione tota vera et firma.

Utraque a D Thoma ablegenda.

169. In CAPITE DEMUM SEPTIMO, in quo habetur tertia pars secundae partis totius tractatus, Angelicus declarat: 1.° qualiter essentia sit in accidentibus: 2.° quomodo accidentia ad invicem differant: 3.° quomodo se habeant ad intentiones logicas. Relate ad 1.um docet: *Accidens, sicut est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet.* Probat. Accidens habet essentiam, sicut habet definitionem; definitio enim essentiam declarat. Habet autem definitionem incompletam, seu secundum quid; quia nequit definiri nisi per subiectum, cui extrinsecum est. Ergo.— Revera si nequit definiri nisi per subiectum, non habet esse absolutum, sed quodammodo respectivum et a subiecto pendens. Quod huiusmodi est, non habet essentiam completam, sed incompletam et secundum quid. Et hoc patet in materia et forma, praesertim a materia dependente, quae, cum egeant ut sint et definiantur alia comparte, non habent essentiam completam seu simpliciter, sed incompletam seu secundum quid: ceterum, cum ordinentur ad efformandam completam essentiam, sunt saltem partes completae essentiae. At vero accidens non solum habet incompletam essentiam, quia pendet a subiecto; sed cum ex ipso et subiecto non constituatur completa essentia, sed ens per accidens, ne quidem est *pars* completae essentiae. Habet igitur ipsis partibus completae essentiae essentiam imperfectiorem, atque adeo non essentiam simpliciter, sed solummodo *secundum quid.*

In c. 7. agit de essentia in accidentibus.

Accidens essentiam habet secundum quid.

Probat.

170. De secundo, quod propositum est, praeiacto principio quod: *Perfectissimum in quolibet genere est causa eorum, quae sunt post in illo genere,* fit ut substantia, quae est perfectissimum in genere entis, maxime et verissime essentiam habens, sit causa accidentium, quae secundario et quasi secundum quid rationem entis participant. Hinc autem inter accidentia varia habetur discrimen, ut vel ex sola consideratione substantiarum compositarum facile intelligetur. Cum enim substantiae hae materia constent et forma:— α) Alia accidentia consequuntur materiam, alia formam. Quae vero formam consequuntur, si forma sit independens a materia, uti est anima humana, : — β) Alia talia sunt, ut non habeant communicationem cum materia, ut intelligere, velle et similia; alia, ut cum materia communicent, ut sentire, videre, cetera. Priora illa

Substantia est causa accidentium.

Diversimode.

Declaratur.

accidentia competunt etiam formis separatis; alia formis etiam aliis anima humana inferioribus, seu in compositis formas etiam inferiores respective sequuntur. Quia vero materia nequit esse sine forma, nullum accidens sequitur materiam sine communicatione formae. Hinc: — γ) Quaedam accidentia consequuntur materiam secundum ordinem, quem habet ad formam specialem, ut masculinum et femininum in animalibus; et haec, remota forma, non remanent in materia, nisi aequivoce: quaedam secundum ordinem ad formam generalem, quae proinde, remota etiam anima, remanent univoce in materia, uti nigredo cutis in Aethiope. Quoniam autem res quaelibet individuatur per materiam, et collocatur in genere vel specie per suam formam; ideo: — δ). Accidentia, quae materiam sequuntur, propria sunt individui; quae vero formam, propria sunt generis vel speciei, ac toti generi vel speciei communia v. g. risibile in homine. Rursus ex principiis essentialibus: — ε) Alia accidentia causantur secundum actum perfectum, uti color; alia secundum actum imperfectum, et consequenter egent compleri a principio extrinseco, uti diaphaneitas, quae per corpus lucidum exterius completur. In postremis his aptitudo est inseparabilis a subiecto, actualitas contra est separabilis.

171. De tertio demum, ut nimirum definiat modum, quo accidentia se habent ad intentiones logicas, monet imprimis genus, differentiam, speciem aliter se habere in substantiis compositis, aliter in accidentibus. In substantiis enim compositis, quia ex unione substantiali materiae et formae resultat unum per se, seu una natura substantialis composita, concretum huius naturae *directe* in praedicamento ponitur, v. g. *animal*, *homo;* materia autem vel forma, utpote principia illius naturae, in praedicamento ponuntur solum *reductive.* Ast ex accidente et subiecto non resultat unum per se, seu una natura. Quare concretum v. g. *album*, *musicum* etc. in praedicamento ponitur *reductive;* abstractum vero, ut *albedo*, *musica* etc., quia naturam innuit, ponitur *directe.* — Ad haec, quia accidentia non constant ex materia et forma, nequit in ipsis, sicut in substantiis compositis, sumi genus a materia, differentia a forma; sed oportet, ut primum genus sumatur ex ipso modo essendi, secundum quod ens diversimode per prius aut posterius de decem generibus praedicatur: sic quantitas genus est, quatenus universim est *mensura substantiae; continuum* vero aut *discretum* — *bicubitum* aut *tricubitum*, quae per posterius se habent, quantitatis notas constituunt differentiales; et idem est de qualitate, quae est *substantiae dispositio*, quaeque subinde determinatur *quoad esse* vel *operari* — *bene* vel *male* etc. Differentiae vero sumuntur ex diversis principiis, a quibus causantur. Itaque cum propriae passiones ex subiecti propriis principiis causentur, in definitione passionum subiectum ponitur loco differentiae et accidentalis forma loco generis, quando *in abstracto* accidentia definiuntur, v. g. *Simitas et curvitas nasi.* At si definiuntur *concretive*, quandoquidem tunc non definiuntur ad modum accidentium, sed ad modum substantiarum compositarum, subiectum ponitur

Intentiones logicae aliter se habent in substantiis compositis, aliter in accidentibus.

Ibi concreta *directe* in praedicamento sunt, abstracta *reductive.*

Hic, contra, abstractum *directe*, concretum *reductive.*

Quomodo intentiones logicae in accidentibus sumantur.

loco generis, et accidentalis forma loco differentiae, v. g. *Simum est nasus curvus.* Atque idem dicendum est, ubi unum accidens est principium alterius, uti actio, passio et quantitas sunt principia relationum, v. g. *Aequalitas est eadem duarum quantitatum mensura — Aequale est quantitas eiusdem mensurae ac altera.* — Tandem cum non omnia propria accidentium principia sint nobis semper manifesta, multoties sumimus ex effectibus accidentium differentias: sic, prout est congregativus aut disgregativus lucis, colorem distinguimus.

Doctrina huius capitis nobis adversariisque communis.

172. Rursus doctrina huius capitis nobis adversariisque communis est. In eo tamen legimus: « (*Accidentia*) non habent in se esse absolutum (id est, *non respectivum seu independens*) per se a subiecto; sed, sicut ex forma et materia relinquitur esse substantiale, quando componitur; ita ex accidente et subiecto relinquitur esse accidentale, quando accidens subiecto advenit ». Praeterea: « Inter formas substantiales et accidentales tantum interest, quia sicut forma substantialis non habet per se esse absolutum sine eo, cui advenit, ita nec cui advenit, scilicet materia et ideo ex coniunctione utriusque relinquitur illud esse, *in quo res per se subsistit*, et ex eis efficitur unum per se; propter quod ex coniunctione eorum relinquitur essentia quaedam..... Sed illud, cui advenit accidens, est ens in se completum, consistens in suo esse; quod quidem esse naturaliter praecedit accidens, quod supervenit; et ideo accidens superveniens ex coniunctione sui cum eo, cui supervenit, non causat illud esse, *in quo res subsistit*, per quod res est ens per se, sed causat quoddam esse secundum, sine quo res subsistens intelligi potest esse..... Unde ex accidente et subiecto non fit unum per se, sed unum per accidens; et ideo ex eorum coniunctione non resultat essentia quaedam, sicut ex coniunctione formae cum materia ». Itaque, ex D. Thoma, ut in re qualibet composita habeatur esse, vel in quo res subsistit, vel esse aliquod secundum, praeter causam efficientem quam hic supponit, quamvis non memoret, nihil aliud requiritur, nisi ut vel forma substantialis cum materia coniungatur, vel forma accidentalis coniungatur cum subiecto; et ex prima coniunctione habetur esse, in quo res subsistit, quia ex ea relinquitur essentia quaedam; ex secunda habetur esse aliquod secundum, quia ex ea relinquitur solum ens per accidens. Notio ergo illa τοῦ *esse* Aegidiana, seu entitatula realiter distincta ab essentia nullo modo erat in mente D. Thomae, quando haec scribebat, et alia his parilia alibi dictabat.

Quid de ipso *esse* D. Thomas doceat.

Conclusio generalis contra adversarios.

Quapropter ex hoc capite, et ex toto Opusculo, et ex specialibus locis superius discussis, praesertim si in luce totius Opusculi inspiciantur, non solum non probatur evidenter distinctio realis adversariorum, idque evidens omnino est; sed potius ex hoc Opusculo deducitur entitatulam illam Aegidianam adversariorumque distinctionem formaliter realem inter creati entis actualem essentiam et esse longe a Doctoris Angelici mente abfuisse.

III.

Ex locis, in quibus Angelicus Doctor probat distinctionem inter creati entis essentiam et esse, critice loquendo, non probatur evidenter distinctio formaliter realis, sed solum fundamentaliter realis.

173. Quod nobis tertio erat propositum, a formalibus et aequivalentibus loquutionibus gradus faciendus est ad doctrinam ipsam a S. Doctore propositam probatamque, ut ex ipsius assertionibus et argumentis: *Quaenam eius sit mens*, clarius intelligamus. Etsi autem S. Doctor doctrinam suam de distinctione inter creati entis essentiam et esse pluribus in locis proponit ratiocinandoque confirmat; nullus tamen operum eius locus est, in quo uberius ac data prorsus opera eam tradit, quam in *Summa contra Gentiles*. Locum hunc pro praesenti quaestione classicum habent quotquot in ea versati sunt, comprimisque Caietanus, P. Cornoldi, ac recentissime Del Prado [1]. Hic igitur D. Thomas quaerendus est: hic, si unquam alibi, eius mens pressius vestiganda. Tractationis ratio. In *Summa Contra Gentiles* quaerendus Thomas.

174. *II. Contra Gentiles* a c. 46. incipit S. Doctor peragere de substantiis intellectualibus. Constituit primo, capitibus tribus, exsistentiam substantiarum intellectualium, volitivarum, liberarum. Inquirit secundo in earum naturam et, capitibus item tribus, ostendit eas non esse *corpus quantum*, non esse *compositas ex materia et forma*, non esse *formas dependentes a materia* in suo nimirum esse et operari proprio. Tandem tertio, aliis tribus capitibus, docet: 1.° *Quod in substantiis intellectualibus creatis differt esse et quod est:* 2.° *Quod in substantiis intellectualibus creatis est actus et potentia:* 3.° *Quod non est idem compositio ex substantia et esse* (litur. cod. autog. potentia et actu), *et ex materia et forma* [2]. — Age iam, si audiamus Caietanum, P. Cornoldi, Del Prado, ac plures alios D. Thomae discipulos tum veteres tum recentiores, quibus accensendus est Ferrariensis, utut hic, secus ac alii faciunt, haud multum asseveranter rem proponat [3]: si ergo hos audiamus, S. Doctor, hoc loco, proponit ac probat distinctionem formaliter realem inter creatarum substantiarum intellectualium, ac porro inter creati

Ingressio. Quid in rem nostram tradat. Caietanus. Cornoldi. Ferrariensis.

---

[1] N. Del Prado, O. P., *In Periodico Placentino:* Divus Thomas, *1905. De veritate fundamentali Philosophiae Christiana.*

[2] D. Thomas, *Contra Gent. lib. 2. cc. 52. 53. 54.*

[3] Ferrariensis, *In laud. D. Thomae locum.* En quomodo Ferrariensis D. Thomae doctrinam brevi tradit compendio: « Postquam determinavit S. Thomas de natura substantiae intellectualis secundum se, nunc determinat de ipsius natura per comparationem ad esse actualis exsistentiae. Circa hoc duo facit. Primo enim agit de distinctione essentiae ab esse: secundo de eius separabilitate, c. 55. Quantum ad primum tria facit. Primo, ostendit essentiam in illis ab esse distingui, et ideo non adaequare eas divinam simplicitatem, quamvis sint incorporeae et immateriales. Secundo, infert corollarium quoddam, cap. sequenti. Tertio, removet unum dubium, cap. 54. Quantum ad primum, ponitur haec conclusio: In substantiis intellectualibus non est idem esse et quod est, id est, suppositum; nam suppositum est id, quod est ».

Godefridus de Fontibus.

Hervaeus. Dominicus Soto.

entis actualem essentiam exsistentiamque intercedere. At vero Godefridus de Fontibus, qui forsan fuit in scholis S. Doctoris auditor, probabiliter Hervaeus, Dominicus Soto, aliique, quos iam ante laudavimus, explicite vel implicite tradunt S. Doctorem, hoc loco, non distinctionem formaliter realem, sed solum fundamentaliter realem, aut formalem, aut rationis ratiocinatae, quae idem pro praesenti meminere, inter duo illa membra docuisse.

Quid veritas?

175. Ex qua parte stat veritas? Non ex prima, sed certo certius ex hac altera: ut minimum dicam, prius illud evidenter non constat. Si quis vel obiter hunc locum perlegat, illud profecto intelliget, locum hunc esse *realiter*, imo etiam *verbaliter* parallelum

Parallelismus huius loci cum: *De Ente et Essentia.*

cc. 5. et 6. *De Ente et Essentia*, ac praesertim c. 5. In utroque loco agit Angelicus de substantiis intellectualibus: in utroque substantiarum intellectualium quidditatem eodem modo definit: in utroque essentiam et esse, actum et potentiam in iisdem agnoscit, compositionemque facere contendit: eodem fere modo loquitur. Si quid discriminis est, id demum eo redit, ut in *Summa* plura dicat de exsistentia et quidditate ipsa substantiarum intellectualium, assertionesque pluribus confirmet rationibus, quam in *De Ente et Essentia:* hic autem plura tangit de distinctione substantiarum creatarum inter sese et de intentionibus logicis, de quibus in nostro loco *Summae contra Gentiles* non movetur quaestio. Eadem igitur in utroque loco D. Thomae mens et doctrina est. Demonstravimus autem modis omnibus, ex verbis, ex textibus, ex contextibus, tum seorsim tum in luce totius operis inspectis, eo loci D. Thomam non distinctionem formaliter realem, sed solum fundamentaliter realem inter substantiarum intellectualium essentiam et esse profiteri; non physicam potentiam et physicum actum compositionemque physicam, sed metaphysicam potentiam et actum metaphysicum metaphysicamque compositionem duos inter illos terminos solum agnoscere; ut minimum, de prioribus illis non evidenter constare. Ergo, dato parallelismo, idem hic dicendum est.

Occurritur difficultati.

176. Video dici posse, etiam dato parallelismo, conclusionem nostram non sequi; sed sequi declarationem illam nostram *De Ente et Essentia* non esse admittendam, si ex hoc loco, ubi uberius de eadem re agitur, oppositum infertur. Fateor non indocte nexum constitui. Mirum tamen esset, si aliud ex hoc loco constaret. Cum enim declaratio illa nostra non contorta, non a longe petita, sed obvia, facilis, plena, verbis rebusque respondens, doctrinis aliis S. Doctoris extra dubitationis aleam positis conformis sit, ipsa D. Thomae sententia mensque est necessario dicenda. Hoc autem posito, nequit ex praesenti loco diversa extundi sententia. Non enim D. Thomas ex iis est qui, diversis in locis, prout imaginatio aut pruritus impulerit, alibi dictorum immemores aut parum curantes diversa loquuntur; sed in locis omnibus unius *fere* labii est, certe est unius sententiae. Quod si, in re opinabili, aliquando sententiam mutavit, id ipsum aperte profitetur [1]; quasi

[1] Cfr. *Summ. Theol. 2. 2. q. 8. a. 6. corp.* — *3. p. q. 12. a. 2. corp.* etc.

voluerit in antecessum Caietanum damnare qui, ubi ipsi D. Thomas non placet, ex eo solum, quod non omnia in locis omnibus dicat Aquinas, statim infert sententiam mutasse. Hoc autem non recte fit. Sed iam locum ipsum consulamus, videamusque possit necne nexus, ab adversariis invocatus, iure in praesenti re nostra invocari. Caietanus.

Cap. 52. Quod in substantiis intellectualibus differt esse et quod est.

177. Quaerimus de qua differentia S. Doctor in titulo loquatur: de formaliter realine, an de fundamentaliter reali, seu de formali obiectiva? Verba tituli nihil docent explicite, et utrumque sensum patiuntur: factum hinc, ut alio et alio sensu fuerint ab aliis intellecta et adhucdum intelligantur. Id unum accipimus, tituli verba illum efficere intellectum, quem S. ipse Doctor in corpore evolvit et confirmat. Incipit Aquinas ab aperienda ratione, quare praesentem agitet quaestionem, simulque alia formula assertionem suam exhibet, aiendo: « Non est opinandum quod, quamvis substantiae intellectuales non sint corporeae, nec ex materia et forma compositae, nec in materia exsistentes, sicut formae immateriales, quod propter hoc divinae simplicitati adaequentur. Invenitur enim in eis *aliqua compositio ex eo, quod non est idem in eis esse et quod est* ». Ad eum ergo fere modum, quo usus est in *De Ente et Essentia*, praesentem quaestionem movet, ut solvat difficultatem quandam, quae ex modo demonstratis derivari poterat contra divinam simplicitatem iam in tuto positam; simulque declarat in quo a divina simplicitate substantiae intellectuales tandem deficiant. Deficiunt autem in eo, quod in ipsis est *aliqua compositio*, quae in Deo non est; et illa compositio ideo in ipsis invenitur, *quod non est idem in eis esse et quod est.* Cum in titulo dixerit: *Differt esse et quod est*, nunc dicit: *Non est idem in eis esse et quod est.* Quare haec duo *compositionem* asserit efficere. Verum tres hi loquendi modi eidem obnoxii sunt difficultati. Uti in priori quaeri potest: Sit necne sermo de formaliter reali, aut de obiective formali differentia; ita in aliis quaeri potest: Sit necne sermo de negata identitate reali, aut solum formali, et de compositione reali et physica, aut solum de formali et metaphysica. Ceterum cum ista a S. Doctore dicantur, ut ostendat creatas substantias intellectuales deficere a simplicitate divina; ad hoc autem requiritur omnino et per se sufficit, ut in ipsis essentia et esse distinctione fundamentaliter reali aut obiective formali *differant*, aut non *sint idem*, ac porro *metaphysice componant;* de huiusmodi distinctione aut non identitate et consequuta compositione illi dicendi modi necessario intelligendi sunt. An vero sic *solum* sint intelligendi, et non *etiam*, ex mente D. Thomae, de distinctione formaliter reali et non reali identitate, atque adeo de reali ac physica compositione, ex ipsis solis non constat. Ex quo ulterius fit ut, nisi hoc alterum ex sequentibus probetur, cum prius illud necessarium sit et sufficiat ad auctoris intentum, illud etiam solum ius erit ex

Quaestio.

Prolepsis.

Movetur quaestio ad quandam difficultatem solvendam contra divinam simplicitatem.

Varii S. Doctoris loquendi modi eidem obnoxii difficultati.

Quî necessario sunt intelligendi? Quid dubium.

Illatio.

eius mente esse indubie affirmandi. Inquiramus ergo quid, probando, S. Doctor tandem significet.

Septem argumentis assertum probat Angelicus. Primum.

178. Septem itaque argumentis suum probat S. Doctor assertum; et PRIMUM quidem huiusmodi est: « Si enim esse est subsistens, nihil praeter ipsum esse ei adiungitur; quia etiam in his, quorum esse non est subsistens, quod inest exsistenti praeter esse eius, est quidem exsistenti unitum, non autem est unum cum esse eius, nisi per accidens, in quantum est unum subiectum habens esse et id, quod est praeter esse: sicut patet quod Socrati, praeter suum esse substantiale, inest album, quod quidem diversum est ab eius esse substantiali; non enim idem est esse Socratem et esse album, nisi per accidens. Si igitur non sit esse in aliqua substantia, non remanebit aliquis modus, in quo possit ei uniri illud, quod est praeter esse. Esse autem, in quantum esse, non potest esse diversum; potest autem diversificari per aliquid, quod est praeter esse, sicut esse lapidis est aliud ab esse hominis. Illud igitur, quod est subsistens, non potest esse nisi unum tantum. Ostensum est autem quod Deus est suum esse subsistens [1]. Nihil igitur praeter ipsum potest esse suum esse. Oportet igitur in omni substantia, quae est praeter ipsum, esse aliud ipsam substantiam, et aliud esse eius » [2].

Unde derivetur argumentum.

Proponitur in forma.

179. Derivatur argumentum ex ipso conceptu τοῦ *esse subsistentis*. Iuverit ipsum, fideliter sane, accommodate ad nostram disquisitionem proponere in hunc modum. Si in substantiis intellectualibus creatis esset *idem*, seu *non differret* esse et quod est, seu esse et essentia actualis, aut esse et suppositum, singulae essent *ipsum esse subsistens*. Ast hoc impossibile est. Ergo in substantiis intellectualibus creatis non est idem, seu differt esse et quod est.— Maior propositio non explicite, sed implicite tantum enuntiatur a S. Doctore illis verbis: *Nihil igitur aliud praeter ipsum* (Deum) *potest esse suum esse.* Ex hoc habetur, si in aliquo alio praeter Deum non differret seu idem esset esse et quod est, illud futurum suum esse seu, uti toties ex S. Doctore audivimus, solum et totum esse. Solum autem et totum esse est necessario ipsum esse subsistens. Ergo si in aliquo alio praeter Deum non differret seu idem esset esse et quod est, illud esset ipsum esse subsistens; et consequenter, si id locum haberet in substantiis intellectualibus creatis, singulae essent ipsum esse subsistens. Ceterum illa maior, quae implicite enuntiatur, nulla fulcitur probatione, sed relinquitur ceu omnino evidens. *Min. prob.* Esse subsistens est unum tantum et, uti demonstratum est, illud Deus est. Ergo impossibile est ut substantiae intellectuales creatae sint singulae ipsum esse subsistens. *Prob. 1.ª ant. pars.* Ut esse subsistens posset esse non unum, sed multiplex, deberet posse aliquid ei adiungi, quod ipsum diversificaret. At nihil potest ei adiungi, quod ipsum diversificet. Adiungeretur enim vel ratione sui, vel

[1] *Supra, lib. 1. cc. 22. 24.*
[2] D. Thomas, *Contra Gent. lib. 2. c. 52.*

ratione subiecti in quo est. Neutrum dici potest. Non 1.um, quia τῷ *esse*, etiam dum subsistens non est, nihil adiungitur ratione sui, sed solum ratione subiecti, uti exemplis fit manifestum. Ergo *a fortiori*, si subsistens sit. Non 2.um, quia τῷ *esse* subsistenti nullum subiectum est. — Adde quod id, quod adderetur, vel esset esse, in quantum est esse, et hoc nequit diversificare, quia non potest esse diversum: vel esset aliquid praeter esse, in quantum est esse, v. g. esse lapidis vel esse hominis; et hoc posset quidem diversificare τὸ *esse*, sed locum nequit habere in ipso esse subsistente, in quo non est nisi esse, in quantum est esse, seu in quantum est summa actualitas. Ergo.

Quid in controversiam veniat.

180. In hac tota ratiocinatione quod unice in controversiam venit, est propositio maior prout a nobis, claritatis gratia, ex ipso D. Thoma in formulam dialecticam est redacta; ex ipsa enim pendet intelligentia S. Doctoris in re praesenti. Itaque dum enuciatur: *Si in substantiis intellectualibus esset idem, seu non differret esse et quod est, singulae essent ipsum esse subsistens*, estne sensus: Si in substantiis intellectualibus esset idem *realiter*, seu non differret *realiter* esse et quod est; an vero si esset idem *formaliter*, seu non differret *formaliter?* Si hic alter sensus admittatur, propositio erit, non dicam, vera, sed omnino evidens. In hac enim hypothesi τὸ *esse* esset de ratione essentiae aut substantiae intellectualis, atque adeo haec exsisteret aut realis esset in rerum natura ex vi suae essentiae, seu essentialiter. Quod autem exsistit aut reale est ex vi suae essentiae, est, ex D. Thoma, suum esse, seu totum, quod in ipso est, esse est et totum esse est: hoc autem est ipsum *esse subsistens*. Ergo. — At vero si admittatur sensus prior, certe propositio, ut minimum dicam, non erit evidens. Quam plurimis illa evidentia, seu veritas motivis ipsam manifestantibus fulta, non apparet. Tum realis identitas inter essentiam et esse non excluderet a substantia intellectuali *abalietatem*. Cum enim τὸ *esse*, in hypothesi, non esset in praedicatis eius quidditativis, essentia ipsa non *a se* esset, sed necessario *ab alio*. Ergo etiam ipsius esse realiter identicum esset ab alio; et consequenter tota substantia esset ab alio, adeoque potentialis, contingens, limitata superius; unde haberetur *essentia quaedam subsistens*, non *subsistens ex vi essentiae*, seu essentialiter: id quod, ex D. Thoma [1], requiritur ad τὸ *esse subsistens* constituendum. Revera falsitas illius propositionis in sensu adversariorum patens est, ut in superioribus fuit a nobis plenissime demonstratum contra PP. De Maria et Remer. Ipse Caietanus in *De Ente et Essentia* docuit nos in gradibus metaphysicis *identitatem realem* stare posse cum *non identitate formali* aut essentiali; atque adeo quod realiter alicui competit, non necessario ipsi competit essentialiter seu ex vi essentiae. Sic res, quae in homine est *sensitivum*, est, saltem radicaliter, *intellectivum*, et *intellectivum* est *realiter sensitivum;* cum eadem omnino anima sit realiter sensitiva et intellectiva. At vero

Si admittatur sensus formalis, propositio evidens.

Si sensus realis, propositio inevidens.

Imo aperte falsa.

[1] D. Thomas, *Quodlibeto, 2. q. 2. a 3. Corp.*

ex vi talis identitatis realis dici nequit sensitivum in homine esse formaliter aut essentialiter intellectivum, et vicissim. Ergo *a pari* etiamsi sint idem realiter *esse* et *quod est*, utique quod substantialiter est, subsistit, sed non necessario exsistit essentialiter aut ex vi essentiae, sed ex vi τοῦ *esse* formaliter distincti, adeoque non haberetur esse per se subsistens, seu *ipsum esse subsistens.*

Quid de D. Thoma sentiendum.

Dicemusne D. Thomam inevidenter absque ulla probatione, aut etiam sophistice ex falso principio fuisse argumentatum; an vero legitime ex principio vero et evidenti? Prudenti lectori iudicium esto.

Verba sensum formalem exigunt.

180. Si non ratiocinationem ipsam totam, sed propositiones terminosque singulos consideremus, clarior erit sensus formalis, et sensus realis excludetur. Nullum verbum est, quod entitatulae illius Aegidianae notionem explicite ingerat; nihil quod eam necessario requirat. Si per τὸ *esse* intelligamus ipsam realitatem actualitatemque substantiae in rerum natura, omnia constabunt. « Si enim esse, inquit Aquinas, (id est, *ipsa realitas aut actualitas*) est subsistens, nihil praeter ipsum esse (*ipsam realitatem actualitatemve*) ei adiungitur; quia etiam in his, quorum esse (*realitas aut actualitas*) non est subsistens, quod inest exsistenti praeter esse eius (*praeter suam realitatem actualitatemve*), est quidem exsistenti unitum, non autem est unum cum esse eius (*cum eius realitate aut actualitate*), nisi per accidens, in quantum est unum subiectum habens esse et id quod est praeter esse (id est, *una realis quidditas, quae habet realitatem actualitatemque, et id quod est praeter suam realitatem*) ».

Realem excludunt.

Sequentia vero non solum non requirunt, sed entitatulam illam realiter distinctam omnino respuunt. « Sicut patet, *inquit*, quod Socrati, praeter suum esse substantiale, inest album, quod quidem diversum est ab eius esse substantiali; non enim idem est esse Socratem et esse album ». Esse autem substantiale, uti legimus in capite ultimo *De Ente et Essentia*, illud est, quod in substantiis compositis reliquitur ex unione materiae et formae; uti esse accidentale est illud esse secundum, quod resultat ex unione accidentis cum subiecto: hic autem Socrati esse substantiale dicitur esse ipse Socrates. Atqui esse quod habetur ex unione materiae et formae, et quod est ipsum compositum ex materia et forma, v. g. Socrates, realiter ab ipso composito non distinguitur, utut conceptu praecisivo distingui possit formaliter. Ergo. — « Si igitur, *concludit Aquinas*, non sit esse in aliqua substantia, non remanebit aliquis modus, in quo possit ei uniri illud, quod est praeter esse ». Si nimirum realitas aut actualitas non intelligatur in aliqua substantia, v. g. homine, bruto, lapide, nihil ei poterit uniri. Non enim *album* v. g. aut *nigrum* unitur aut uniri potest realitati aut actualitati, ut sic, sed rei realitatem aut actualitem habenti; et ratione rei aut quidditatis diversae, uti subdit, ipsa realitas aut actualitas est alia et alia. — Quapropter quod demum ait: « In omni substantia (*praeter Deum*) esse aliud ipsam substantiam, et aliud esse eius », τὸ *Aliud* necessario significat non aliam rem, sed aliam rationem formalem; tum quia id in

D. Thoma potest significare, uti supra probatum est; tum quia hic, ex antecedentibus, nonnisi rationem formalem distinctam potest significare.

181. Secundum D. Thomae argumentum quod, uti ipse tradit Ferrariensis, est prioris confirmatio quaedam, derivatur ex conceptu τοῦ *esse* non solum *subsistentis*, sed etiam *separati*. Est autem: « Amplius, natura communis, si *separata* intelligatur, non potest esse nisi una, quamvis habentes naturam illam plures possint inveniri. Si enim natura animalis per se separata subsisteret, non haberet ea, quae sunt hominis, vel quae sunt bovis; iam enim non esset animal tantum, sed homo vel bos. Remotis autem differentiis constitutivis specierum, remanet natura generis indivisa; quia eaedem differentiae, quae sunt constitutivae specierum, sunt divisivae generis. Sic igitur si hoc ipsum, quod est *esse*, sit commune sicut genus, *esse separatum per se subsistens* non potest esse, nisi unum: si vero non dividatur differentiis, sicut genus, sed (*dividatur*) per hoc, quod est huius vel illius *esse*, iam hoc magis est verum, quod non potest esse per se exsistens, nisi unum. Relinquitur igitur quod, cum Deus sit ens subsistens, nihil aliud praeter ipsum est suum esse ».

Secundum argumentum, quod est prioris confirmatio, undenam derivatum?

182. In forma argumentum est. Esse per se subsistens est esse separatum. Esse separatum nequit esse nisi unum. Ergo esse per se subsistens nequit esse nisi unum: et hoc est Deus. Ergo alia omnia non sunt τὰ *esse* per se subsistentia, et consequenter in eis differt *esse* et *quod est*. — Hoc idem argumentum accommodatius ad disquisitionem nostram sequenti pacto potest proponi. Si in substantiis intellectualibus creatis non differret seu esset idem esse et quod est, ipsae essent singulae non solum ipsum esse subsistens, sed etiam separatum. Ast hoc impossibile est; quia esse separatum unum est, et hoc est Deus. Ergo. — Maior propositio implicite habetur in S. Doctore, et implicite quodammodo probatur. Ratio nimirum est, quod ea in hypothesi substantiae intellectuales creatae essent singulae ipsum esse subsistens, uti argumento praecedenti conclusum est. Ipsum autem esse subsistens, uti quaelibet alia natura communis v. g. *animal*, *homo* etc., si praecisive accipiatur ab omnibus aut specificis differentiis, aut certe individuis, abstractum quid est, ac porro est aliquid ab omnibus separatum. — Minoris vero ratio quoad eam partem, qua Deus dicitur ipsum esse separatum, relinquitur probata ex eo, quod Deus est ipsum esse subsistens: quoad priorem vero partem, quod nimirum esse separatum nequit esse nisi unum, probatur. Esse separatum est esse, quod praescindit non solum ab individuis, uti natura alia specifica, sed etiam a differentiis speciem constituentibus, uti natura generica; est enim τὸ *esse* supremum quoddam genus, utique analogicum, quod neque habet neque includit differentias species constituentes, neque includit differentias individuantes, cum individua sint hoc aut illud esse, non autem ipsum τὸ *esse*. At quod natura specifica ab individuis praescindit, est specifice *una* et nullo modo multiplex; et quod

Argumentum in forma.

natura generica praescindit a specificis differentiis, est generice *una* et indivisa; quia eaedem differentiae constituunt species et dividunt genus. Ergo cum τὸ *esse* separatum ab individuis praescindat, utpote abstractum, et a differentiis specificis, utpote genericum, imo supremum genus, sequitur ipsum non posse esse nisi *unum;* et consequenter si in aliquo tota ratio τοῦ *esse* inveniatur, hic nonnisi unus esse potest: hic est Deus.

In quo sita quaestio?

183. Etiam hic tota quaestio in propositione maiori sita est; quae tamen maior, cum supponat et includat praecedens argumentum, debet ex se praeseferre necessario sensum formalem, et non realem. Atque si ea de non identitate aut de differentia formali *esse* et *quod est* intelligatur, propositio est vera, evidens, sufficiens ad probandum. Si enim in substantiis intellectualibus re et ratione formali idem esset *esse* et *quod est;* uti τὸ *esse* de formali includit totam rationem essendi, sic totam etiam rationem essendi includeret *quod est*, et consequenter substantia intellectualis quaelibet esset ipsum esse subsistens et separatum. At si de sola identitate reali sit sermo, τὸ *esse*, utpote re idem cum natura determinata, non totam essendi actualitatem exhiberet, sed solum illius naturae, cum qua re identificatur. Sic in divinis natura et personae realiter identicae sunt, et tamen notionalia, utpote praeter rationem essentiae, de essentia non dicuntur, seu essentia neque gignit, neque gignitur, neque spirat, neque spiratur: quia vero singula attributa identica sunt inter se et cum essentia re et ratione formali adaequata, secundum adaequatam hanc formalem rationem possunt singulis tribui, quae cuique propria sunt: et idem est de qualibet definitione essentiali et definito, quae formaliter identica sunt. At vero quia gradus metaphysici in homine conveniunt realiter et non formaliter, nequit unicuique attribui quod de altero praedicatur, sed id solum, in quo *re* unum sunt: sic animal, qua animal, in homine non ratiocinatur, quamvis res, quae est animal, ratiocinetur. Itaque si esse et essentia in formali ratione identica essent, quaecumque dicerentur de esse, ut sic, dici deberent de qualibet essentia, ut sic, et quaecumque dicerentur de qualibet essentia, ut sic, dici deberent de ipso esse; atque adeo quaelibet essentia substantialis necessario esset ipsum esse subsistens ac separatum: quod minime locum habet, ex dictis, si tantum *re*, non autem *ratione formali* identica sunt. — Quibus positis, dicendus est rursum D. Thomas ratiocinatus in sensu formali vero, evidenti, sufficienti ad inferendum; an vero in sensu reali, inevidenti, falso, insufficienti ad inferendum, et qui cum reliqua doctrina huc usque in tuto posita minime congruat? Iudicet lector. Ceterum modus loquendi secundum intelligibilitatem praecisivam, quem in toto argumento S. Doctor usurpat, sensum formalem seu distinctionem fundamentaliter realem exigit, sensum realem seu distinctionem formaliter realem omnino respuit.

In sensu formali propositio evidens et ad probandum sufficiens.

Non autem in sensu reali.

Declaratur in divinis.

In definitione et definito.

In gradibus metaphysicis.

Quid de D. Thoma sentiendum?

Ferrariensis.

184. Atque ex his potest intelligi Ferrariensem neque recte D. Thomam exposuisse; neque difficultati, quam sibi obiicit, sufficienter respondisse. Ait enim: « Secundo, et est confirmatio

praecedentis. Esse subsistens et separatum est tantum unum. Ergo etc. *Prob. ant.* Aut esse est commune, sicut genus differentiis divisum ; aut dividitur per hoc, quod est huius aut illius. Si primum ; ergo esse separatum et subsistens per se non potest esse nisi unum, sicut si natura animalis subsisteret a differentiis separata, non esset nisi una ; quia non haberet ea, quae sunt hominis, vel bovis etc. Si secundum, multo magis verum erit, quod separatum ab omni susceptivo non erit nisi unum. Ergo etc. ». In probatione secundi membri D. Thomas ait : « Si vero (*esse*) non dividatur differentiis sicut genus, sed (*dividatur*) per hoc, quod est huius vel illius ; iam hoc magis est verum, quod non potest esse per se exsistens nisi unum ». Ubi S. Doctor non invocat *susceptivum*, ut probet, sed id verum magis esse dicit, quod esse ponatur per se exsistens aut subsistens. Plane, uti vidimus in *De Ente et Essentia*, doctrina D. Thomae est ens per se exsistens aut subsistens, quod materia caret, nequit habere individua in eadem specie ; principium enim individuationis multiplicis in specie materia est : neque potest habere individua singulas species constituentia, uti habent substantiae intellectuales; quia, uti ibi et hic insinuat, τὸ *esse* non habet differentias species constituentes et generis divisivas. De *susceptivo*, et *reali* quidem *susceptivo*, uti intelligit Ferrariensis, nec quidquam expresse monet D. Thomas, neque ipso opus est, ut argumentum concludat ; imo, si de reali susceptivo sermo esset, ineptum esset ad concludendum, saltem cum certitudine.

D. Thomas non invocat *susceptivum*, uti facit Ferrariensis.

185. Atque hinc ulterius sequitur Ferrariensem neque sufficienter, neque ad mentem D. Thomae solvere difficultatem, quam ipse sibi obiicit. Scribit enim : « Dicetur forte quod esse dividitur per hoc, quod est esse huius et illius, et quod, si ponatur subsistens, non oportet ut ponatur ab omnibus, quae secundum rationem ab ipso distinguuntur, esse separatum ; sed sicut alia est essentia subsistens Gabrielis, et alia Raphaëlis, ita est aliud et aliud esse subsistens, quod est realiter idem cum essentia, distinctum tantum ab ea ex natura rei ; et sic non tollitur ab ipso esse, licet ponatur subsistens, quin sit huius et illius ». — Respondet : « Sed contra istam responsionem arguitur. Ex ipsa enim habetur, quod esse Gabrielis non est realiter receptum in alio, cum non distinguatur ab essentia eius, nisi ex natura rei : idem autem non sit realiter suimet susceptivum, et per consequens habet receptivum tantum secundum modum intelligendi. Ergo erit secundum rem separatum ab omni principio limitante, cum limitari non possit nisi per receptivum : et per consequens erunt plura esse separata subsistentia, cum etiam Deus sit ipsum esse subsistens. Hoc autem repugnat omni communi, ut absque principio distinctivo consideratur » [1].

Ferrariensis non solvit difficultatem, quam sibi obiicit.

186. Ad argumentationem Ferrariensis respondetur concedendo

Refellitur Ferrariensis responsio.

[1] Ferrariensis, *Ibidem, loc. laud.*

antecedens, et generatim negando consequutiones et rationes adiectas. Nam ex eo, quod esse sit solum *re* idem cum essentia, non sequitur *secundum rem* seu a parte rei esse separatum *ab omni principio limitante;* sed, ad summum, sequitur esse separatum ab omni principio limitante *realiter distincto.* Ad limitandum autem τὸ *esse* non requiritur principium ab ipso realiter distinctum, sed sufficit *principium intrinsecum*, quale esset essentia determinata realiter ipsi identica. Si enim illa essentia non sit essentia, ut sic, secundum totam suam latitudinem transcendentalem considerata; sed sit essentia ad aliquod genus inferius, vel ad aliquam speciem subalternam limitata; haec essentia, non quidem ad modum differentiae sed ad modum contrahentis amplitudinem essendi, ipsum esse sibi realiter identicum necessario limitabit; non posset enim *esse* praetergredi limites essentiae sibi realiter identicae. Quod longe clarius in doctrina D. Thomae intelligimus, si sermo sit de substantiis intellectualibus, quae sic constituunt speciem, ut sint seipsis individuae, seu sint individuae, quod non sunt natae recipi in materia, uti didicimus in *De Ente et Essentia.* In hac enim hypothesi esse realiter identicum essentiae substantiae intellectualis simul cum ipsa esset limitatum ad speciem et ad individuum. Quid, quod susceptivum realiter distinctum inepte et falso asseritur? Ipsum esse, ex adversario, necessario includit totam essendi rationem a susceptivo realiter distincto limitandam. Huiusmodi susceptivum esset essentia realiter distincta. Quaero nunc: Haec essentia estne essentia, ut sic, usque adeo late patens et illimitata ac ipsum esse; an vero est haec aut illa essentia determinata? Si 1.um, cum usque adeo late pateat essentia ac ipsum esse, hoc etiamsi realiter in ipsa reciperetur, non posset ab ipsa ex se illimitata limitari: haberemus, si id fieri posset, duo illimitata inter sese illimitate coniuncta, et nullo modo se limitantia. Si 2.um, quomodo esse reale, ex se illimitatum, posset recipi in essentia limitata? Paupercula istaec essentia, si id fieret, omnino disrumperetur. Sed demus posse recipi. Quomodo ex sola receptione, quae extrinsecum quid est, posset limitari intrinsece et entitative illimitata perfectio τοῦ *esse?* Mitto cetera. Id unum subiicio falsum aut supponere aut asserere Ferrariensem, dum susceptivum realiter distinctum requirit ad limitandum τὸ *esse*, quod de se esset illimitatum. Utique D. Thomas ad limitandum τὸ *esse* susceptivi mentionem ingerit; huiusmodi autem susceptivum nunquam ab ipso intelligitur realiter distinctum, sed distinctum tantum formaliter, uti iam non semel dictum est, et evidentissime patet ex receptione quidditatis substantiae materialis in materia signata, uti contra P. De Maria de abysso in abyssum ruentem superius constabilivimus. Denique si esse et essentia *re* idem sunt in creatis, cum utrumque creatum sit, utrumque erit, ex D. Thoma, superius limitatum, quidquid sit de limitatione inferius. Limitatio autem, quae superius seu a superiori habetur, sufficit ad limitandum creatum ens, etiamsi nullum neque *re*, neque *ratione* distinctum habeatur susceptivum, uti patet in quid-

Susceptivum realiter distinctum inepte et falso asseritur.

Quo sensu alibi *susceptivum* D. Thomas intelligit.

ditate substantiae intellectualis, quae inferius est infinita, et tamen est simpliciter finita, quia a Deo esse secundum suam speciem, ac porro individuum recipit, seu simpliciter creatur.

Respondetur difficultati a Ferrariensi motae.

187. Ad difficultatem ergo a Ferrariensi motam respondendum est, prout argumentum ipsum a D. Thoma fuit propositum et a nobis fuit declaratum. Si τὸ *esse* esset *formaliter* identicum Gabrielis aut Raphaëlis essentiae, essentia Gabrielis aut Raphaëlis esset a se, et consequenter sibi vindicaret totam rationem essendi: unusquisque proinde esset ipsum esse subsistens, et plura essent τὰ *esse* subsistentia, nec solus Deus esset ipsum esse subsistens, quae absurda sunt. At si τὸ *esse* tantum *realiter* huic et illi esset identicum; cum haec et illa res non exsisteret ex vi suae essentiae, sed per liberam creationem a Deo; repugnaret omnino, ut sibi totam essendi rationem vindicaret. Non haberemus igitur in singulis *ipsum esse subsistens*, sed hoc aut illud esse in determinata natura subsistens: quod dat individuum limitatum.

Tertium D. Thomae argumentum.

188. Tertium argumentum D. Thomae desumitur ex eo, quod esse subsistens sit infinitum, in hunc modum: « Adhuc, impossibile est quod sit duplex esse omnino infinitum. Esse enim, quod omnino est infinitum, omnem perfectionem essendi comprehendit; et sic, si duobus talis adesset infinitas, non inveniretur quo unum ab altero differret. Esse autem subsistens oportet esse infinitum; quia non terminatur aliquo recipiente. Impossibile est igitur esse aliquod *esse* per se subsistens praeter primum ». — In forma argumentum ad rem nostram explicite accommodatum huiusmodi est. Ens, in quo idem est aut non differt esse et quod est, atque adeo est ipsum esse subsistens, est simpliciter infinitum. Ergo si in substantiis intellectualibus idem esset aut non differret esse et quod est, singulae essent simpliciter infinitae. Atqui hoc impossibile est; quia ens simpliciter infinitum unum est, cum plura non possent ad invicem differre; et hoc ens primum ens aut Deus est. Ergo in substantiis intellectualibus non est idem seu differt esse et quod est. — *Prob. mai.* In illa hypothesi τὸ *esse* non terminaretur aut limitaretur aliquo recipiente. Esse, quod aliquo recipiente non terminatur aut limitatur, est simpliciter infinitum. Ergo.

Argumentum in forma.

Post dicta, facilis argumenti intellectus.

189. Huius etiam argumenti intellectus, ex dictis in praecedentibus, facillimus est. Si nimirum in substantiis intellectualibus esset *formaliter* idem seu non differret *formaliter* esse et quod est, quandoquidem τὸ *esse* esset de ratione essentiae, singulae essent ens a se, comprehenderent omnem perfectionem essendi, essent consequenter simpliciter infinitae; idque quia τὸ *esse*, cum non esset in alio ne formaliter quidem aut metaphysice receptum, non posset limitari neque inferius neque superius. Atque sic potest intelligi, quare D. Thomas hic et alibi, excluso solum recipiente aut limitante inferius, infert infinitatem simpliciter. Ratio est, quod exclusio recipientis formaliter distincti efficit, ut τὸ *esse* sit de essentia, et consequenter ut ens, in quo id locum haberet, sit ens a se, et excludat limitationem superius. Hunc esse sensum D. Tho-

Plenius declaratur D. Thomae sensus.

mae patet : — α) Quia ipse argumentatur immediate et explicite conferendo infinitatem cum conceptu τοῦ *esse subsistentis*. Esse autem subsistens *formaliter* in praecedentibus argumentis intellexit : — β) Quia secus argumentum non concluderet. Quamvis esse et quod est essent realiter idem, nec esse realiter reciperetur in essentia ; semper staret quod non esset de ratione essentiae, si formaliter ab ipsa distinguitur et metaphysice in ipsa recipitur. Essentia ergo egeret alio, ut esset, et esset superius limitata, adeoque non simpliciter infinita : — γ) Quia ut ratio D. Thomae de physico et reali recipiente et limitante intelligeretur, deberet τὸ *esse*, notione Aegidiana, concipi ut entitatula vera et realis suam habens essentiam perfectionemque de se infinitam, quaeque nullam conferret essentiae actuali perfectionem praeter actualitatem in rerum natura eius quod ipsa est ; quaeque rursum in sua illa perfectione de se infinita intrinsece ab essentia limitaretur ad hanc determinatam et meram actualitatem. In illa autem entitatula quot absurda contineantur, saepe in superioribus visum est. Ea vero longissime abest a mente D. Thomae, cum nullibi ab ipso ea ratione explicite declaretur, et ex nullo eius loco, in quo implicite contineretur, necessario inferatur : — δ) Quia D. Thomas in *De Ente et Essentia* satis innuit receptionem τοῦ *esse* in essentia creata esse solummodo metaphysicam, uti metaphysica est receptio quidditatis corporeae *in materia signata*. Itaque de recipiente non materialiter sed formaliter, non physice sed metaphysice intellecto hic et alibi loquitur S. Doctor, quando ab exclusione recipientis esse infert rei infinitatem simpliciter ; eiusque argumentandi ratio huic aequivalet : Si esse non formaliter aut metaphysice recipitur in essentia, esse est de ratione essentiae. Si esse est de ratione essentiae, essentia est ens a se. Ens a se est necessario infinitum. Ergo si esse non recipitur formaliter aut metaphysice in essentia, haec essentia est simpliciter infinita quod, suppositis supponendis, est argumentum evidens.

Ferrariensis.

190. Ex his rursum intelligi potest Ferrariensem et insufficienter D. Thomam de reali receptivo fuisse interpretatum, et nullo modo argumentum solvisse, quod ipse sibi sequenti oggerit pacto:

Sibi obiicit.

« Posset, *ait*, ad hanc rationem dici, quod non omne esse subsistens est infinitum, sed tantum illud, quod ita subsistit, ut ad nullum gradum essendi sit limitatum. Modo licet aliquod esse sic sit subsistens, ut in nullo subiecto a se realiter distincto sit receptum, sicut esse substantiae separatae si sit idem quod essentia ; potest tamen ad aliquem gradum essendi esse limitatum, ut scilicet sit esse Gabrielis aut Raphaëlis : ideo non oportet, ut sit

Respondet.

infinitum. — Sed haec responsio non tollit rationem. Quia cum esse non possit limitari per differentias formales, eo quod nihil ipso actualius sit, necesse est, si ad aliquem gradum determinari debeat, ut per susceptivum determinetur. Non enim potest aliquod commune multiplicari realiter, nisi aut per differentias, aut per susceptivum. Si ergo ponatur nullum habere reale susceptivum, et cum hoc non est per differentias divisibile, oportet ut ad

nullum gradum essendi sit limitatum, et per consequens oportet ut sit purum esse et infinitum »[1].

Aperitur Ferrariensis aequivocatio.

191. Verum esto quod, cum esse nequeat limitari per differentias, si limitari debeat *in ordine reali*, limitari debet per reale susceptivum. At non oportet ut reale susceptivum sit *realiter distinctum*, sed satis est, ut sit *realiter identicum* et *formaliter distinctum:* ad eum modum quo, si commune ac proinde abstractum limitari debeat in ordine reali per differentias, requirit sane differentias reales, sed non differentias realiter distinctas, bene autem differentias formaliter distinctas et realiter identicas. Neque enim animal v. g., si determinari debet ad hominem in ordine reali, requirit rationale ab animali realiter distinctum, sed solum formaliter distinctum et realiter identicum. Imo, si vera loqui fas est, posito quod τὸ *esse* sit de se illimitatum, impossibile esset prorsus, ut per susceptivum realiter distinctum limitaretur. Illimitatum illud τὸ *esse*, si reale dicitur, praeter absurda saepe notata, in susceptivo limitato realiter distincto vel non posset recipi vel, si utcumque demus recipi posse, quomodo per solam receptionem extrinsecam amitteret illimitatam suam perfectionem intrinsecam? Si τὸ *esse*, utpote commune, dicitur abstractum, quomodo abstractum realiter recipi posset in reali susceptivo realiter distincto? Si dicatur τὸ *esse abstractum* ad exigentiam susceptivi realiter distincti produci limitatum ad determinatam actualitatem conferendam, τὸ *esse* non limitabitur *realiter a susceptivo realiter distincto*, sed realiter et quidem efficienter ab agente producente, a susceptivo vero solum *exigitive*, ac porro extrinsece et connotative, aut ad summum *materialiter*, si dicatur educi de potentia essentiae tanquam forma ex subiecto. Sed quomodo tunc essentia, quae natura prius quam esse recipiat, non est aliquid reale in rerum natura, subiecti realis munus reale exerceat? Et si exigitive solum essentia limitat τὸ *esse*, quae necessitas susceptivi realiter distincti ad ipsum limitandum? Nonne veritati magis consentiens est, et facilius intelligitur ut, si essentia determinata v. g. *homo* vel *Petrus*, debet esse acquirere, cum possibilis adhuc tantum sit, iuxta suam exigentiam seu iuxta exigentiam suae perfectionis essentialis haec essentia ab agente producatur ac realis fiat in rerum natura, et sic τὸ *esse*, quod abstracte conceptum illimitatum est, in reali susceptivo et a reali susceptivo realiter limitetur? Ceterum vidimus saepe D. Thomam non reale realiter distinctum, sed reale susceptivum formaliter distinctum innuere, quoties ab hoc τὸ *esse* docet limitari.

Quartum D. Thomae argumentum.

192. QUARTUM argumentum D. Thomae derivatur ex conceptu entis causati et incausati, sic: « Item, si sit aliquod esse per se subsistens, nihil competit ei, nisi quod est entis, in quantum est ens. Quod enim dicitur de aliquo, non in quantum huiusmodi, non convenit ei, nisi per accidens ratione subiecti: unde si separatim a subiecto ponatur, nullo modo ei competit. Esse autem

[1] Ferrariensis, *Ibidem, loc. laud.*

ab alio non competit enti, in quantum est ens; alias omne ens esset ab alio causatum, et sic oporteret procedere in infinitum in causis: quod est impossibile, ut supra [1] ostensum est. Istud igitur esse, quod est ens subsistens, oportet quod sit non causatum. Nullum igitur ens causatum est suum esse ». — In forma accommodate ad rem nostram argumentum est. Ubi non differt sed idem est esse et quod est, ibi ens est necessario incausatum; tum quia tale ens est necessario suum esse, seu exsistit ex vi suae essentiae; tum quia, cum sit ipsum esse subsistens, nihil potest ei competere per accidens ratione subiecti, sed solum ei competit id, quod est entis, in quantum est ens. Esse autem causatum non est entis, in quantum est ens, secus omne ens esset causatum, et sic oporteret procedere in infinitum in causis, quod repugnat. Atqui substantiae intellectuales creatae sunt causatae. Non ergo idem in ipsis est, sed differt esse et quod est.

Argumentum in forma.

Claret argumentum esse de identitate formali, non de reali.

193. Heic iterum apertissime patet argumentum non posse intelligi de reali solum identitate aut non differentia; sed intelligendum esse de non differentia aut identitate non solum reali, sed etiam formali, quod D. Thomas innuit in fine argumenti: « Esse, quod est per se subsistens (*seu exsistens ex vi suae essentiae*) oportet quod sit non causatum. Nullum igitur ens causatum est suum esse », seu est solum et totum esse, uti ipse D. Thomas illum loquendi modum declaravit. Enimvero si solum *realiter* et non *formaliter* idem essent aut non differrent esse et quod est, cum *quod est* non necessario formali conceptu obiectivo τοῦ *esse* deberet exhiberi (posset enim exhiberi sub conceptu hominis, aut bruti, aut lapidis, prout esset), non necessario exhiberet actualitatem exsistendi, atque adeo ipsi non repugnaret, sed posset convenire habere esse per causalitatem. At vero si *quod est* nonnisi sub formali conceptu τοῦ *esse* concipiatur; debet autem necessario concipi, si non solum realiter, sed etiam formaliter idem sunt aut non differunt *esse* et *quod est*, huic *quod est* repugnabit profecto, quod repugnat actualitati exsistendi. Esse autem causatum repugnat actualitati exsistendi; quod enim causatum est, esse potest et non esse, et non necessario est, seu actu aut actus est. Ergo. Quare ipse Ferrariensis D. Thomae argumentum in sensu formali intelligit. Scribit enim: « Loquitur S. Thomas in probatione antecedentis de eo, quod per se subsistit separatum ab omni susceptivo per modum abstracte significati, sicut est ipsa actualis exsistentia. Nam constat quod albedini, quae poneretur per se subsistens, nihil conveniret, quod non esset sibi intrinsecum; quia abstractum *formale* dicit id, *quo solo et quo toto* aliquid formaliter est tale, quale per concretum significatur. Unde ideo dicitur abstractum, quia ab aliis, quae sibi praeter eius rationem convenire possunt in subiecto, est separatum » [2].

Convenit Ferrariensis.

Quintum D. Thomae argumentum.

194. QUINTUM argumentum D. Thomae est: « Amplius, substan-

[1] *Supra, lib. 1. c. 13.*
[2] Ferrariensis, *Ibidem, loc. laud.*

tia uniuscuiusque est ens per se et non per aliud: unde esse lucidum actu non est de substantia aeris, quia est ei per aliud. Sed cuiuslibet rei creatae suum esse est ei per aliud, alias non esset creatum. Nullius igitur substantiae creatae suum esse est sua substantia ». — Seu aliter : Ubi non differt, sed idem est esse et quod est, ibi esse non est per aliud, sed per se ; *quod est* enim seu essentia aut substantia cuique rei per se competit. At nullius creati entis, adeoque neque substantiarum intellectualium esse est per se, sed contra omnis creati entis esse est per aliud ; secus non esset creatum. Ergo in nullo creato ente, ac proinde neque in substantiis intellectualibus, idem est aut non differt esse et quod est.

Argumentum in forma.

195. Facile intelligitur ex dictis, imo evidens est prorsus argumentum non valere in sensu realis distinctionis, sed tantum in sensu distinctionis formalis. Si enim τὸ *esse* esset formaliter de rei essentia, abs dubio uti notae constituentes essentiam huic non competunt ex vi productionis alicuius causae, sed per semetipsam; sic etiam *esse* per semetipsam, et non per aliud seu per productionem alicuius causae competeret. Ast si τὸ *esse* non sit de essentia, quamvis realiter seu in ordine reali cum ipsa identificetur, quod rei competit per se essentia seu complexio notarum ipsam constituentium, non sequitur ipsi per se *esse* competere ; quia esse est extra conceptum essentiae creatae, utut ipsi realiter identificetur. Quapropter, non obstante metaphysica essentiae necessitate, ut haec essentia realis evadat, aut esse habeat in rerum natura, ab externo agente debet produci. Ex quibus intelligitur quo sensu D. Thomas dixerit : *Esse lucidum actu non est de substantia aeris, quia est ei per aliud.* Hoc nimirum exemplum a D. Thoma affertur non ad significandum substantiam exsistere per esse realiter distinctum, uti aer lucidus est actu per lumen realiter distinctum ; sed ad significandum substantiam exsistere ex vi causalitatis extrinseci agentis, uti aer ab extrinseco agente actu illuminatur. Hunc sensum intellexit ipse Ferrariensis scribens : « Substantia convenit unicuique rei per se, id est, non per aliquam causam productivam ; esse autem convenit sibi per aliud. Ergo etc. Declaratur antecedens ex opposito. Esse enim lucidum actu non est de substantia aeris, quia convenit sibi per aliud » [1], nimirum : *per aliquam causam productivam*, ut in antecedente dixit. Quin ipse D. Thomas *esse* dicit esse *per aliud*, *alias non esset creatum.* Ergo illud *aliud* ad causalitatem efficientem in hoc loco refert, non ad causalitatem formalem. Ceterum communis habet sensus, quod S. Doctor ex Damasceno pulchre significat : « Dicendum quod, sicut Damascenus dicit : *Non necesse est omnifariam et indefective assimilari exempla. Quod enim est in omnibus simile, idem utique erit, et non exemplum* [2] » [3].

Evidenter argumentum non valet in sensu realis distinctionis, sed solum formalis.

Declaratur D. Thomae exemplum.

Ferrariensis.

Probatur ex D. Thoma.

Damascenus.

---

[1] Ferrariensis, *Ibidem, loc. laud.*
[2] S. Ioannes Damascenus, *De Fide Orthodoxa, lib. 3. c. 26. fin.*
[3] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 2. a. 6. ad 1um.*

Sextum D. Thomae argumentum.

196. SEXTUM D. Thomae argumentum est: « Item, cum omne agens agat, in quantum est actu; primo agenti, quod est perfectissimum, competit esse in actu perfectissimo modo. Tanto autem aliquod est perfectius in actu, quanto talis actus est in via generationis posterior. Actus enim est tempore potentia posterior in uno et eodem, quod de potentia ad actum procedit; perfectius quoque est in actu quod est ipse actus, quam quod est habens actum; hoc enim propter illud actus est. His igitur sic positis, constat ex supra ostensis [1] quod Deus solus est primum agens. Sibi ergo soli competit esse in actu perfectissimo modo, ut scilicet sit ipse actus perfectissimus. Hoc autem est *esse*, ad quod generatio et omnis motus terminatur; omnis enim forma et actus est in potentia, antequam *esse* acquirat. Soli igitur Deo competit quod sit ipsum esse, sicut soli competit quod sit primum agens ».—

Argumentum in forma.

Aliter: Si in substantiis intellectualibus idem esset seu non differret esse et quod est, singulae essent primum agens. Falsum consequens; quia primum agens est tantum Deus. Ergo et antecedens. *Prob. mai.* Si in substantiis intellectualibus idem esset seu non differret esse et quod est, ipsae essent in actu perfectissimo modo, seu essent actus perfectissimus. Actus perfectissimus est primum agens; quia cum unumquodque agat, in quantum est actu, quod est actus perfectissimus, est agens perfectissimum: agens autem perfectissimum est primum agens. *Prob. 2.ª mai.* Eo perfectior est actus in eo, quod transit de potentia in actum, quo in via generationis est posterior potentia; perfectior item est ipse actus, quam habens actum, seu de illo eodem actu participans, aut eius quodammodo partem habens. Quod ergo est ultimus actus, imo ipse actus, est etiam actus perfectissimus. *Esse* autem in omni prorsus re est ultimus actus, imo est ipse actus; ad esse enim motus omnis et generatio terminatur. Esse ergo in omni re est actus perfectissimus. Si autem in substantiis intellectualibus idem esset seu non differret esse et quod est, ipsae non haberent esse, sed essent ipsum esse. Essent ergo actus perfectissimus.

Clare elucet argumenti sensum non esse realem, sed formalem.

197. Sed enim etiam hic clarissime elucet sensum argumenti non esse *realem*, sed *formalem*. Si enim *esse* et *quod est* essent idem formaliter, seu ita ut esse sit de essentia eius quod est, substantiae intellectuales haberent esse ex vi suae essentiae, adeoque essent entia a se, et consequenter ipsum esse subsistens; singulae proinde essent actus perfectissimus, agens perfectissimum, primum agens. At si in sensu reali procedat argumentum, cum esse non esset de essentia, utut realiter essentiae identicum, esset productum simul cum essentia, atque porro habens esse non esset ens a se, sed ab alio; et consequenter esset actus participatus, magis vel minus perfectus, non actus perfectissimus; neque demum perfectissimum agens, et primum agens. Quapropter Ferrariensis, ut declaret sensum illius propositionis D. Thomae: *Perfectius quoque est in actu quod est ipse actus, quam quod est habens actum*,

Confirmatur ex Ferrariensi.

[1] *Supra, lib. 1. cc. 13. et 15. lib. 2. c. 21.*

formalem argumenti sensum cogitur agnoscere, qui verborum D. Thomae est revera sensus obvius. Scribit enim : « Potest etiam dici (*dici potius omnino debet*), quod intelligitur in ratione actus ; ut sit sensus, quod perfectius accedit ad rationem actus id, quod *essentialiter* est actus, quam id quod *participat actu* »[1], illo nimirum uno eodemque.

Septimum D. Thomae argumentum.

198. Septimum demum argumentum D. Thomae est : « Amplius, ipsum esse competit primo agenti secundum propriam naturam ; esse enim Dei est eius substantia, ut supra ostensum est[2]. Quod autem competit alicui secundum propriam suam naturam, non convenit aliis nisi per modum participationis, sicut calor aliis corporibus ab igne. Ipsum igitur esse competit omnibus aliis a primo agente per participationem quandam. Quod autem competit alicui per participationem, non est substantia eius. Impossibile est igitur quod substantia alicuius entis, praetar agens primum, sit ipsum esse. — Hinc est quod Exodi III. proprium nomen Dei ponitur esse : *Qui est :* quia eius solius proprium est quod sua substantia non sit aliud, quam suum esse ». — Aliis verbis : Si in substantiis intellectualibus esset idem seu non differret esse et quod est, τὸ *esse* ipsis competeret secundum propriam naturam, et non per participationem. At contra est. *Esse* enim, uti probatum est, competit secundum propriam naturam primo agenti. Ergo aliis eandem naturam non habentibus nonnisi per participationem a primo agente potest competere ; sicut color aliis corporibus ab igne. *Prob. mai.* Si in substantiis intellectualibus esset idem seu non differret esse et quod est, τὸ *esse* esset earum substantia aut essentia. At si τὸ *esse* esset earum substantia aut essentia, τὸ *esse* ipsis competeret secundum propriam naturam, et non per participationem, uti evidens est. Ergo.

Argumentum in forma.

199. Nisi quis lippientibus prorsus oculis argumentum inspexerit, intelliget profecto sensum maioris propositionis, si verus esse debeat, non esse nec esse posse solum *realem*, sed necessario debere esse *formalem*. Nam si conceptu formali idem sunt esse et quod est, esse competit naturae essentialiter seu ex vi essentiae. Ergo ipsi non per participationem ab alio, sed secundum seipsam revera competit ; uti igni, iuxta D. Thomam, secundum naturam competit calor, aliis vero corporibus per participationem ab igne, seu per ignis efficientiam ; et sic non perfecte, sed quadantenus ipsis competit calor. Verum si *re* tantum, et non etiam *ratione formali* idem sunt esse et essentia ; tum τὸ *esse*, cum non essentialiter seu ex vi essentiae ipsi competeret, sed competeret ex vi actionis alterius, ipsi communicaretur iuxta eius limitatam exigentiam, adeoque quadantenus et ex parte, prout ipsa est ; hoc enim esse, in hac hypothesi, nihil esset aliud, quam realis haec ipsa essentia limitata, et non tota essendi ratio realis. Hanc autem D. Thomae mentem esse patet non solum ex ipsa argumenti con-

Patet argumenti sensum esse formalem, non realem.

Mens D. Thomae ex argumenti conclusione declaratur.

[1] Ferrariensis, *Ibidem, loc. laud.*
[2] *Supra, lib. 1. c. 22.*

nexione; sed etiam quia S. Doctor concludit textum Exodi afferendo, quo nomen proprium aut essentiale Dei esse dicitur: *Qui est*, quod ridicule prorsus de sola identitate reali inter esse et essentiam intelligeretur; sic enim τὸ *esse* posset Deo non esse essentiale, nec nomen Dei omnino proprium exhibere.

Ferrariensis difficultates nec sunt contra D. Thomam recte intellectum, nec ad D. Thomam recte intelligendum valent.

200. Atque ex his quisque per se facile perspiciet difficultates, quas hoc loco agitat Ferrariensis, nec esse contra D. Thomam recte intellectum, nec ad D. Thomam plenius intelligendum utcumque valere. Ab iis ergo referendis temperabimus. Placet tamen aliqua exscribere ex iis, quae ultimo loco affert.

Ferrariensis locus.

« Contra hanc responsionem, *inquit*, in quantum dicit, quod esse non convenit creaturae secundnm eius essentiam, sed tantum secundum participationem, dubitatur. Huius enim oppositum videtur dicere S. Thomas *p. q. 50. a. 5.* Nam ibi ait quod esse secundum se competit formae. Cum ergo in substantiis separatis forma sit essentia rei, sequitur quod esse conveniat ipsis per earum essentiam. — Respondetur quod esse convenire formae per se dupliciter intelligi potest. Uno modo *essentialiter:* alio modo *formaliter.* Primo modo non convenit sibi per se, quasi videlicet esse sit essentia formae, sed bene secundo modo; quia, inquam, *non convenit sibi per aliud formaliter*, in quo a composito differt, cui non convenit esse, nisi per formam. Non repugnant ergo dicta S. Thomae; quia hic intelligitur *esse non convenire alicui per essentiam, tanquam de eius essentia:* in prima vero parte intelligitur quod convenit formae per se formaliter, id est, *non per aliquod aliud principium formale* »[1]. Qua ultima declaratione patet Ferrariensem hic non agnoscere entitatulam illam Aegidianam, et innuere formam realem per suam ipsam realitatem esse, seu esse habere. Quapropter dum dicit esse non convenire formae *essentialiter*, convenire autem *formaliter; τὸ formaliter* non intelligit uti communius intelligitur, id est, ex vi suae rationis formalis aut quidditativae, sed intelligit ex vi rei, seu formae *realiter* distinctae. Hoc autem illud est quod nos dicimus, quando tuemur τὸ *esse* non competere rei creatae *essentialiter* aut *formaliter*, sed competere ex sese *realiter*, seu sine nova alia entitatula, quae sit formaliter τὸ *esse*. Cum vero Ferrariensis dicat hanc esse D. Thomae mentem, tum confirmat expositionem nostram; tum agnoscit D. Thomam non cogitasse de illa entitatula Aegidiana, et neque hic, neque in illo loco Summae Theologicae citato docuisse distinctionem formaliter realem inter esse et essentiam substantiarum spiritualium, sed docuisse oppositum. Quomodo vero cum his stent, quae ante dixit de *susceptivo realiter distincto*, viderit ipse, ad nos ista non pertinent; non enim de Ferrariensi, sed de D. Thoma sumus solliciti[2].

Non agnoscit entitatulam Aegidianam.

Quo sensu intelligat: *Formaliter*.

Quomodo sibi constet Ferrariensis, viderit ipse.

Fr. Del Prado.

201. Intelligitur praeterea laudatum Fr. Del Prado, dum ad probandam suam *veritatem fundamentalem Philosophiae Christianae*,

[1] Ferrariensis, *Ibidem, loc. laud.*

[2] *Cfr. Schol. God. de Fontibus in hoc cap. in Edit. Uccelliana.*

realem nimirum distinctionem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque, haec D. Thomae argumenta modo proponit suo, contra veritatem et D. Thomae mentem ipsa proponere. Nunquam nusquamque probat ex vi solius realis identitatis inter essentiam et esse τὸ *esse* praedicatum evadere quidditativum aut essentiale; et tamen illi reali identitati ea tribuit, quae nonnisi identitati formali aut essentiali revera competunt; ea ex reali illa identitate infert, quae ex formali aut essentiali solummodo identitate possunt inferri. Hac ratione D. Thomas non illustratur sed pervertitur; veritas autem non constabilitur, sed sophismatibus veris adversariorum telis obnoxia fit et, ut minus apte sarcinata, mole ruere sua cogitur quodammodo. Primum S. Doctoris argumentum sequenti exhibet pacto: « Illud, cuius esse non distinguitur realiter ab ipsius essentia substantiali, est suum esse subsistens ». D. Thomas non ponit explicite illud: *Realiter*, et, uti probatum est, ex omnibus, quae dicit, certo certius excludit. Tum, spectata rei veritate, illud, cuius esse non distinguitur realiter ab ipsius essentia substantiali, non est suum esse subsistens, id est, solum et totum esse ex vi essentiae, aut essentialiter seu a se exsistens; sed est aliquod esse sola sua essentia substantiali, sine alia realiter distincta entitate addita, existens. Quod autem huiusmodi est, non est ipsum esse subsistens, sed est aliquod esse ex vi actionis causae producentis, sine alia entitate addita praeter identicam sibi essentiam, exsistens. Huiusmodi demum ens non unum necessario, sed multiplex est aut esse potest, uti multoties probatum est. — Idem dicas de secundo argumento, derivato ex conceptu τοῦ *esse separati*, quod Fr. Del Prado sequenti propositione constringit: « Si ipsarum rerum naturae sunt hoc ipsum esse, quod habent, natura entitatis non inveniri potest in quibusdam rebus magis nobilis, et in aliis minus ». Utique si naturae rerum *essentialiter* essent ipsum esse subsistens, atque porro essent a se, omnes naturae rerum essent totum et solum esse, et sic non possent esse aliae magis, aliae minus nobiles; imo neque possent esse *aliae et aliae*, sed necessario essent unum esse a se subsistens et separatum. At si τὸ *esse* est solum *realiter* rerum natura; cum haec natura non sit ex vi essentiae, sed ex vi causae producentis, suum esse, quod habet, non erit *ipsum esse*, sed *aliquod esse*, uti aliqua est natura. Quapropter dari poterunt non solum aliae et aliae naturae, sed etiam naturae magis et minus nobiles, prout magis aut minus de essendi actualitate participent. — Eodem pacto reliqua intelliges argumenta. Si τὸ *esse* essentiale esset creaturae, ut haec ex vi essentiae seu a a se exsisteret; abs dubio haec creatura esset simpliciter infinita, incausata, haberet esse perfectissimo modo etc. At si essentia creaturae solum realiter cum esse, quod habet, indentificatur; ex hoc neque a se est, neque simpliciter infinita, incausata, perfectissima; sed contra erit ab alio, finita, causata, imperfectionibus obnoxia. — Fr. Del Prado verba multiplicat: sed, quin afferat lucem, praedecessorum hac in re confusiones aequivocationesque revera continuat et quadantenus auget.

Cap. 53. Quod in substantiis intellectualibus creatis est actus et potentia.

Quid in hoc capite loquutiones praeseferant.

202. In praeclaro et nitidissimo hoc capite, si loquutiones ipsas consulamus, invenimus : *Substantiam* seu *essentiam et esse* — *potentiam et actum* — substantiam aut essentiam dici *potentiam*, τὸ esse *actum* — *complementum substantiae* — *inesse substantiae* — substantiam *participare* esse, ipsum autem esse *participari* — dari in substantiis creatis *compositionem* essentiae et esse, ut *actus et potentiae*. Loquutiones autem hae omnes sive *absolute* inspectae, sive *apud ipsum D. Thomam*, uti alias ostensum est, non *necessario* significant potentiam et actum realem realiterque distinctum, physicum complementum realiter distinctum, physicam inhaerentiam participationemque entitatis realiter distinctae, physicam demum compositionem ; sed possunt significare haec omnia in ordine solum metaphysico, aut intelligibilitatis, aut obiectivarum rationum formalium sive essentialium : imo in locis huc usque discussis aut hoc alterum solum significant, aut certe evidens est illud prius non evidenter significare.

Non cogimur admittere sensum adversariorum.

Non cogimur ergo ex solis loquutionibus illud admittere quod vellent adversarii : praesertim cum ipsi, uti satis ex dictis patet, in illam sententiam devenerint, quod Aegidiana notione τοῦ *esse* D. Thomam non ex ipso Thoma, sed ex Aegidio revera intellexerunt.

In hoc capite nihil est, quod sensum adversariorum determinet evidenter: plura sunt, quae exigunt oppositum.

203. Adde quod in hoc loco nullum verbum est, quod evidenter determinet loquutiones illas ad standum pro illo, quod vellent adversarii : plura, contra, sunt, quae innuunt oppositum. Ergo etiam in hoc loco loquutiones illae significant solum distinctionem formalem aut fundamentaliter realem, non formaliter realem inter creati entis actualem essentiam et esse ; aut saltem evidens est, distinctionem formaliter realem non evidenter significare. *Consequentia*, supposito priori argumento, est omnino evidens. *Decl. et prob. ant. quoad 1.am p.em*. Si quod esset illiusmodi verbum, illud esset maxime : *In substantia intellectuali creata inveniuntur duo, scilicet substantia ipsa et esse eius, quod non est ipsa substantia.* Verum illa : *Duo*, suntne duae res aut reales entitates distinctae, aut duae rationes formales, formaliter proinde distinctae ? Item esse non est *realiter* ipsa substantia, aut solum *formaliter* ? Verba ipsa nihil dicunt, et utrumque sensum patiuntur. Addit vero D. Thomas : *ut ostensum est c. 52.*, uti non solum in editis, sed etiam in ipso codice Uccelliano autographo habetur. In c. autem 52., ut vidimus, D. Thomas ostendit in substantiis intellectualibus non esse idem *formaliter* aut *essentialiter* substantiam et esse. Ergo hic intelligit : *Esse non est* FORMALITER *ipsa substantia.* Ex quo ulterius fit illa : *Duo*, significare duas rationes formales, non duas entitates reales. Recolamus authenticam declarationem ipsius S. Doctoris *in Quodlibetis* saepius memoratam : In Angelo compositionem *ex essentia et esse* esse compositionem *ex seipso et alio*, quae non dat *rem compositam*, sed dat solum *rationem compositam.* Hoc ergo D. Thomas intelligit : *Esse non est formaliter essentia — Essentia et esse sunt duae rationes formales.*

Probatur 1um.

204. *Decl. et prob. idem ant. quoad* 2.^{am} *p.*^{em}. Legimus : *In quocumque inveniuntur aliqua duo, quorum unum est complementum alterius, proportio unius eorum ad alterum est sicut proportio potentiae ad actum.* — Praeterea : *Omne participans aliquid comparatur ad ipsum, quod participatur, ut potentia ad actum..... Comparatur igitur substantia omnis creata ad suum esse, sicut potentia ad actum.* — Tandem : *Ipsum igitur esse comparatur ad omnes substantias creatas sicut actus earum.* Itaque, ex S. Doctore, esse et essentia in creatis substantiis *proportionali quadam ratione, secundum comparationem quandam* se habent, sicut se habent actus et potentia simpliciter dicta ; et *esse* se habet *sicut actus*, ac consequenter substantia aut essentia *sicut potentia*. Huiusmodi autem loquendi modus *additis minuentibus* fere continenter distinctus, considerationes mentis aut secundas intentiones praesefert, saltem evidenter, res ipsas aut ordinem realem aut nullo modo, aut certe non evidenter exhibet. Eo vel magis, quod harum omnium intentionum fundamentalis ratio a D. Thoma illis verbis innuitur : *Solus Deus est essentialiter ens, omnia autem alia participant ipsum esse.* Ergo si in creatis entibus ratio potentiae et actus et eorum compositio habetur, id est, quia esse non est de eorum essentia. Hoc autem, uti infinities declaratum est, fundamentum praebet, ex ipso D. Thoma, ad potentiam quandam et actum eorumque compositionem in ipsis considerandam, non exhibet realem potentiam, realem actum realemque compositionem. Quapropter S. Doctor ait : *Omnes aliae substantiae habent esse a primo agente, et per hoc ipsae substantiae creatae sunt, quod esse ab alio habent.* Habere ergo *esse ab alio* et *creari ipsas substantias* D. Thomae est formalissime idem. Non posset autem hoc dici si τὸ *esse* realiter ab actuali essentia distingueretur. In hac enim hypothesi haberentur bini termini realiter distincti, quorum quilibet requireret suam, saltem partialem, actionem aut causalitatem realiter distinctam, utut simul actione aut causalitate quadam totali composita producerentur. Non ergo *per hoc crearentur, quod habent esse ab alio*, sed essentia crearetur sua distincta causalitate, sua item distincta crearetur esse ad modum *terminorum distinctorum, quibus*, addita reali unione substantiva, crearetur simpliciter compositum, tanquam *terminus totalis*, aut *quod*. Haec autem evidenter impediunt, quominus in sensu adversariorum loquutiones illae S. Doctoris accipiantur, ac magis multo ut dicatur evidens illo sensu debere eas accipi.

Probatur 2um. Primo.

Secundo.

205. Si a loquutionibus ad rem ipsam gradiamur, illud primo evidens est D. Thomam in hoc capite ad modum corollarii inferre quod ex capite praecedenti *evidenter* concluditur. Monuit hoc iam ante Ferrariensis, uti ab initio retulimus ; rursumque commentarium praesentis capitis sequenti inchoat pacto : « Ex praemissa conclusione infertur *corollarie* alia conclusio, scilicet : In substantiis intellectualibus est compositio actus et potentiae »[1]. Ceterum id habetur explicite in ipso textu. Orditur S. Doctor: « Ex hoc

Quid, si rem ipsam, non loquutiones, inspiciamus?

Est corollarium capitis praecedentis.

Convenit Ferrariensis.

Habetur in textu.

[1] Ferrariensis, *loc. laud. in c. 53.*

autem *evidenter apparet* quod in substantiis intellectualibus creatis est compositio actus et potentiae ». Illam ergo compositionem hic adstruit Aquinas, quae evidenter sequitur ex doctrina praecedentis capitis. Atqui ex doctrina praecedentis capitis sequitur evidenter compositio formalis; quia, data distinctione formali duorum in uno et eodem ente, necessario dari etiam debet formalis compositio: contra vero vel nullo modo sequitur, vel certe non sequitur evidenter realis compositio; quia in capite praecedenti realis distinctio inter essentiam et esse certo certius nullo modo habetur; evidenter autem non habetur ex vi rerum aut *obiective;* saltem non est evidens haberi ex mente D. Thomae, aut *subiective.* Ergo.

Ex doctrina capitis praecedentis non sequitur sensus adversariorum.

206. Verum quomodo assertam compositionem probat Aquinas? Neque enim infert tantum ex dictis, sed directe etiam probat. Probat nimirum illis argumentis, quae alias discussimus, et ex quibus non aliam, quam metaphysicam compositionem inferri posse demonstravimus. Sunt autem: 1.° In substantiis intellectualibus creatis duo sunt, substantia et esse, quorum hoc illius complementum est. Ergo est compositio potentiae et actus; quia complementum dicit proportionem ad illud, cuius est complementum, sicut actus ad potentiam. — Iam vero si esse et essentia non differunt realiter, sed tantum formaliter, uti ex mente D. Thomae probatum est; evidens est τὸ *esse* non complere realiter essentiam, sed tantum formaliter, nec consequenter efficere illa duo compositionem realem, sed tantum formalem: 2.° Quod inest alicui ab agente, facit cum hoc, cui inest, compositionem potentiae et actus; quia agentis est efficere ut, quod erat in potentia, sit in actu. Esse autem inest substantiis intellectualibus creatis ab agente. Ergo esse et substantia seu essentia intellectualis creata faciunt compositionem potentiae et actus. — Ast vero cum τὸ *esse* non realiter, sed solum formaliter, ex D. Thoma, ab essentia distinguatur; huic non *inest* realiter, seu tanquam res, sed solum formaliter, tanquam intentio aut ratio intellecta. Non sunt igitur realis potentia et realis actus realiter distincta, sed solummodo metaphysice aut formaliter distincta; nec faciunt compositionem physicam, sed solummodo metaphysicam: 3.° Quod participatur ab aliquo, ut eius actus, facit cum eo quod participat illud, compositionem potentiae et actus. Esse participatur a subtantiis intellectualibus, ut earum actus; solius enim Dei est essentialiter ac imparticipate esse. Ergo. — Verum enimvero τὸ *esse* sic, ex D. Thoma, participatur ab omnibus creatis, quatenus eorum essentia ab agente producitur, seu in determinata specie in determinatoque individuo realis fit; non autem quasi essentiae ex se reali aut seorsim productae adiungatur quaedam quasi pars τὸ *esse*, quod nullibi ex D. Thoma habetur, et ridiculum videtur prorsus. Sequitur hinc distinctionem participantis et participati non esse distinctionem rerum, sed rationum formalium; et consequenter non dare potentiae et actus compositionem physicam, sed solummodo metaphysicam: 4.° Omnis effectus assimilatio ad causam agentem fit per actum, seu habetur quatenus effectus actu est; agens enim agit,

Non habetur ex argumentis huius capitis.

Non habetur ex 1° argumento.

Neque ex 2.

Neque ex 3.

Neque ex 4.

in quantum est actu. Creaturae autem in actu sunt per τὸ *esse*. Ergo secundum esse Deo assimilantur; atque adeo *esse* in ipsis actus est, essentia est potentia, et sic datur compositio potentiae et actus. — Verum si dicatur quod *esse* sit realiter ipsa realis substantia aut essentia, numquid creaturae non erunt in actu? aut non erunt formaliter in actu per τὸ *esse*? aut non assimilabuntur Deo secundum esse? Ista locum non habebunt ex vi τοῦ *esse* realiter ab essentia distincti; sed optime locum habebunt ex vi τοῦ *esse* formaliter distincti, metaphysicam proinde compositionem potentiae et actus cum essentia facientis.

207. Itaque argumenta D. Thomae non necessario debent intelligi de reali compositione, sed possunt saltem, per se inspecta, intelligi de compositione formali. Cum autem debeant intelligi iuxta doctrinam capitis praecedentis quae, ut vidimus, est de distinctione formali inter essentiam et esse creati entis; et plura in hoc capite exigant compositionem solum formalem; fit, ut argumenta de formali hac compositione sint intelligenda. Omnimodis evidens est non esse evidens intelligenda esse de compositione reali [1].

Generalis conclusio contra adversarios.

Cap. 54. Quod non est idem compositio ex substantia et esse, et materia et forma.

208. In hoc capite assignat S. Doctor differentias tres inter compositionem ex materia et forma et compositionem ex substantia et esse, quamvis utraque conceptu generaliori sit compositio ex potentia et actu, quae expositionem nostram praecedentis doctrinae clare confirmant. Docet ergo illas compositiones differre: — α) Quod compositio ex materia et forma est *ex partibus*, *utique essentialibus;* quia materia non est tota substantia aut essentia, sed pars substantiae; pars item substantiae aut essentiae est forma, secus esset aliquod accidens: compositio vero ex essentia et esse est ex tota substantia et esse, seu *ex seipso* et *alio*, uti alias D. Thomam loquentem audivimus: — β) Quod actus compositionis secundae, qui est *esse*, non est actus materiae, uti forma est actus materiae; sed est actus totius substantiae, quae dicitur id, quod est: — γ) Quod forma, quae est actus materiae, non est ipsum esse, sed principium formale essendi: « *Quia est complementum substantiae*, *cuius actus est ipsum esse* »: quare ad ipsam formam τὸ *esse* comparatur ut actus.

Differentiae tres inter compositiones ex materia et forma, et ex substantia et esse.

Prima differentia

Secunda differentia.

Tertia differentia.

209. Ex dictis infert quod, in compositis ex materia et forma, nec materia nec forma dici potest ipsum *quod est*, nec etiam ipsum *esse;* forma tamen dici potest *quo* est, secundum quod est essendi principium: ipsa autem tota substantia est ipsum *quod est*, et ipsum *esse* est *quo* denominatur *ens*. In substantiis vero spiritualibus ipsa forma est *quod est*, et esse est actus, *quo* est. Quapropter in substantiis materialibus est duplex compositio, altera ex

Prima illatio ex datis differentiis.

In substantiis materialibus duplex compositio; in spiritualibus unica.

[1] *Cfr. Schol. God. de Fontibus in hoc cap. In edit. Uccelliana.*

materia et forma, altera ex substantia tota et esse, seu ex *quod est* et *quo est:* in spiritualibus compositio est unica ex *quod est* et *quo est.* — Sequitur hinc quod: *Materia et forma dividunt substantiam materialem; potentia autem et actus dividunt ens commune:* et propter hoc quaecumque quidem consequuntur potentiam et actum, in quantum huiusmodi, sunt communia substantiis materialibus et immaterialibus creatis, sicut *recipere et recipi, perficere et perfici:* quaecumque vero sunt propria materiae et formae, in quantum huiusmodi, sicut *generari*, et *corrumpi*, et alia huiusmodi, haec sunt propria substantiarum materialium, et nullo modo conveniunt substantiis immaterialibus creatis. Haec D. Thomas. Meminerimus tamen S. Doctorem in *De Ente et Essentia* docuisse communitatem illorum praedicatorum, quae substantiis materialibus immaterialibusque conveniunt ratione compositionis ex potentia et actu, ut sic, esse communitatem non univocam, sed analogicam, imo proprie *aequivocam.*

Secunda illatio.

Mnemosynon.

Fundamentum totius doctrinae

210. Si quis haec attente consideret, intelliget profecto differentias omnes a D. Thoma inter utramque compositionem ex materia et forma, et ex essentia et esse assignatas reduci ad hoc aut in hoc fundari, quod compositio ex materia et forma est compositio ex partibus proprie dictis; compositio vero ex essentia et esse est compositio ex toto et sui ratione aliqua formali, ex *quod est* et *quo est.* Non solum autem Godefridus de Fontibus docuit nos talem compositionem esse formalem, aut solarum intentionum sive rationum obiectivarum unius et eiusdem rei; sed ipse D. Thomas *in Quodlibeto* 2. ait hinc haberi *non rem*, sed *rationem compositam.* Compositio igitur est non *rerum*, sed *conceptuum.* Ceterum totus loquendi modus formalis est, diversasque exhibet rei unius eiusdemque considerationes; ac notatae differentiae, prima praesertim et tertia, id ipsum praeseferunt. Ait enim compositionem ex materia et forma esse ex partibus; compositionem ex essentia et *esse* esse ex toto et aliquo sui aut sui ratione aliqua; et formam esse actum materiae, quam complet et specificat in ratione essentiae, et sic efficit ut ipsa sit, quare ipsa forma dici potest id, *quo* res est; dum *esse* relate ad ipsam formam actus habet rationem. Esse igitur est effectus formalis ipsius formae; quae, quatenus materiam complet, compositam in determinata specie constituit essentiam; quatenus ipsam actuat seu facit, ut actu sit in rerum natura, est principium aut formalis essendi causa; ex quo fit, ut ipsum *esse* sit id, *quo* tota substantia formaliter denominatur *ens* aut exsistens. *Comparatur enim*, ait, *forma ad esse sicut lux ad lucem, vel albedo ad album esse.* Lux autem, quae lucet non comparatur ad lucem, qua lucet, sicut ad aliquid aliud realiter a se distinctum; sed lux, quae lucet, conceptu tantum formali a luce, qua lucet, distinguitur; sicut conceptu formali differt album esse ab albedine, quatenus per τὸ *lucere* et *album esse* significatur ad modum *actionis* aut *actus* illud ipsum, quod per lucem et albedinem significatur ut *principium*, ut *causa formalis*, ut *forma.*

Loquendi modus formalis.

211. Verum est D. Thomam subdere formam esse principium essendi : *Sicut diaphanum est aeri principium lucendi, quia facit cum proprium subiectum lucis ;* et superius dixit diaphaneitatem aeris compleri a principio extrinseco. Verum, uti paulo ante ex D. Thoma Damascenum invocante audivimus, non oportet exempla in omnibus esse similia, secus non essent exempla, sed idem haberetur. Ad hoc, exemplum illud affert S. Doctor non ut ostendat τὸ *esse* se habere ad essentiam, uti lux se habet ad aerem, et esse quid essentiae, qua tali, realiter extrinsecum, sicut lux est aeri realiter extrinseca ; sed ut declaret formam esse principium essendi, quatenus complet substantiam, quo complemento posito, habetur esse ; uti, completo per lucem aere, habetur lucidus aer aut actu diaphanus. Scribit : « Ad ipsam etiam formam comparatur esse ut actus. Per hoc enim in compositis ex materia et forma dicitur forma esse principium essendi, *quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum esse* », seu ipsa actualis entitas in rerum natura. Vidimus autem, suo loco, essentiam per τὸ *esse*, ex D. Thoma, compleri ab extrinseco, uti ab extrinseco completur aeris diaphaneitas, quatenus uti aer vel corpus diaphanum tale non est complete, nisi ab extrinseco agente lucem recipiat, sic neque essentia est actu, nisi quatenus per actionem agentis vel producitur forma et cum materia unitur ; vel, si subsistens sit, ipsa forma creatur : quae commune nihil habent cum entitatula Aegidiana, quam adversarii vellent D. Thomae appingere.

Declaratur comparatio formae et diaphani.

Quae docet S. Doctor commune nihil habent cum entitatula Aegidiana.

212. Vult Ferrariensis : « Ut compositio ex materia et forma dicatur compositio *ex iis*, compositio autem ex essentia et esse dicatur compositio *cum iis ;* quia essentia componit cum esse, et esse cum essentia. Et si aliquando dicatur aliquid compositum ex essentia et esse, hoc est improprie dictum : proprie autem dicitur quod in ipso est compositio essentiae cum esse et, e converso, esse cum essentia »[1]. Verum haec levia sunt et arbitrarie videntur dicta. Praepositiones enim *ex* et *cum* non innuunt nisi ordinem compositionis aut partium ac, generalius, componentium inter se ; aut compositi ad componentia. Priorem ordinem significamus, cum dicimus materiam componere cum forma, formam cum materia, essentiam cum esse, esse cum essentia : alterum, cum dicimus hominem componi ex anima et corpore, ens aut exsistens componi ex essentia et esse. Cum autem compositio talis sit, quales sunt partes aut, generalius, componentia ac, uti motus omnis, speciem recipiat ex termino ; si partes aut componentia sint physica et ex eorum unione physicus resultet terminus aut res aliqua, compositio erit physica ; si vero partes aut componentia sint metaphysica aut sint inadaequatae rerum rationes, et terminus sit metaphysicus, seu sit aliqua *ratio composita*, compositio etiam erit metaphysica. Age iam, iuxta D. Thomam, ex essentia et esse non resultat nisi aliqua *ratio composita.* Sive ergo dicatur esse *ex iis* vel *ex quibus*, sive dicatur esse *cum iis* vel *cum quibus*,

Placitum Ferrariensis.

Compositio *ex iis*, et *cum iis*.

Excluditur.

Probatur ex rebus ipsis.

[1] Ferrariensis, *loc. laud. cap. 54.*

Et ex D. Thoma.

hinc non impedietur, quominus compositio sit metaphysica. Ad modum vero loquendi quod attinet, audivimus saepe huc usque D. Thomam dicentem: *Compositionem materiae et formae, essentiae et esse. — Compositionem ex materia et forma, ex essentia et esse, ex potentia et actu:* et, si aliquando dicit *essentiam cum esse componere*, et *secus;* nihil impedivisset, quominus dixisset: *Materiam cum forma componere, et formam cum materia.*

IV.

Ex locis, in quibus Angelicus Doctor utitur doctrina distinctionis inter creati entis essentiam et esse, tanquam principio ad alia demonstranda, critice loquendo, non probatur evidenter distinctio formaliter realis, sed solum fundamentaliter realis.

Quartum demonstrationis caput.

213. Sed enim tempus est, ut ad quartum demonstrationis caput aggrediamur, cui adversarii usque adeo fidunt, ut quidam viri graves, et docti sane, dicere non sint veriti aut catholicam Theologiam Philosophiamque omnem, aut D. Thomae Theologiam et Philosophiam esse evertendam, aut certe, moderatius, loca illa demonstrationesque omnes, quas S. Doctor in distinctione essentiam inter et creaturarum esse fundat, penitus perimendas, nisi realis sua distinctio rata prorsus inconcussaque sit. Quid haec absolute valeant, in superioribus ostensum est: habeant necne in ipso D. Thoma fundamentum, iam nunc est pervestigandum. Cum autem quae controversiae locum praebent, in *Summa Theologica* fere omnia prostent, hanc prae oculis directe habebimus, accitis ex aliis S. Doctoris operibus locis illis, quae ad rem eandem referuntur.

Quid viri quidam docti et graves dicere non sint veriti.

Summa Theologica prae oculis habenda.

De iis, quae ex distinctione inter essentiam et esse infert relate ad Deitatem.

De Deitate.

214. Quamvis quae heic dicenda sunt, a nobis iam fuerint *in Commentariis in p.am p.em* divulgata; tractationis tamen ratio demonstrationisque evidentia exigunt, ut hoc loco rursum inserantur, ne aut illa manca videatur, aut haec lectores cogat pluribus intendere operibus ad ipsius vim plenitudinemque omni ex parte assequendam. Quaerit ergo Aquinas: I. « *Utrum in Deo sit idem essentia et esse.* [1]

Quaerit I. *Utrum in Deo sit idem essentia et esse.*

Quo sensu quaerit Aquinas: *Utrum in Deo sit idem essentia et esse.*

215. Quo in loco primum omnium intelligendum est quo sensu quaerat Aquinas: *Utrum in Deo sit idem essentia et esse.* Quamvis verba de se possent intelligi de identitate *reali*, de identitate *formali* aut *essentiali*, et de *utraque*: Utrum nimirum essentia et esse in Deo sint idem *re* et *ratione formali;* tamen S. Doctoris intentum proprie est de identitate formali aut essentiali; sive quia, uti ex huc usque dictis satis patet, D. Thomas in nullo ente, ac multo proinde minus in Deo, inter actualem essentiam exsistentiamque

Quaerit proprie in sensu formali aut essentiali.
Ratio.

[1] *Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 4.*

distinctionem formaliter realem agnoscit, atque porro realem identitatem hoc inter illa duo supponit; sive saltem quia, si in Deo datur inter essentiam et esse formalis aut essentialis identitas, a fortiori dabitur identitas realis; neque enim si unius eiusdemque rei rationes binae ne conceptu quidem formali aut essentiali dissentiunt, dissentire possunt realiter. Et plane in sensu formali aut essentiali quaestioni respondet, uti mox videbimus; sensum formalem argumenta probant. Quapropter quaestio: *Utrum in Deo sit idem essentia et esse*, hunc efficit intellectum: *Utrum in Deo sit formaliter aut essentialiter idem essentia et esse;* seu: *Utrum esse sit de ratione divinae essentiae;* seu demum: *Utrum Deus exsistat ex vi suae essentiae, an ex vi* τοῦ *esse, quod non sit de divinae essentiae ratione.*

Responsio affirmans.

216. Respondet ergo: *Deus non solum est sua essentia, ut ostensum est art. praec.*; *sed etiam suum esse.*[1] Novimus quid Thomae sit *sua essentia* et *suum esse;* videlicet: Totum, quod est, essentia est, esse est, et est tota essentia et totum esse. Hoc autem idem est ac dicere: In Deo sunt formaliter aut essentialiter idem essentia et esse. Tum ea ratione Deus est suum esse, qua est sua essentia. Est autem sua essentia formaliter adaequate aut essentialiter. Est ergo etiam formaliter adaequate aut essentialiter suum esse, seu exsistit ex vi suae essentiae.

Discutitur 1um argumentum.

217. Probat autem. « Oportet quod illud, cuius esse est aliud (*formaliter aut essentialiter, seu quod non exsistit ex vi suae essentiae*) ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo; quia Deum dicimus esse primam causam efficientem. Impossibile est ergo quod in Deo sit aliud esse, et aliud eius essentia », formaliter aut essentialiter, seu quod Deus non exsistat ex vi suae essentiae. In quo argumento sola maior est probanda in sensu a nobis declarato. Probat autem S. Doctor. « Quidquid est in aliquo, *quod est praeter essentiam eius*, oportet esse causatum vel a principiis essentiae..... vel ab aliquo exteriori ». Esse autem est in re. « Si igitur esse rei *sit aliud ab eius essentia* (seu *sit praeter essentiam eius*, ut dixit in maiori), necesse est quod esse illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principiis essentialibus eiusdem rei. Impossibile est autem quod esse sit causatum *tantum* ex principiis essentialibus rei..... Oportet ergo quod illud, cuius esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio ».

Probanda maior ex S. Doctore in sensu declarato.

Sensus argumenti ex verbis: *Quod est praeter essentiam eius.*

Exponitur a D. Thoma.

218. Sensus argumenti pendet ex illis verbis: *Quod est praeter essentiam eius;* aequivalent enim aliis: *Aliud ab essentia eius*, illisque Thomas ipse haec alia declarat. Audiamus S. Doctorem: « Solum illud videtur esse praeter essentiam vel quidditatem rei, quod non intrat definitionem ipsius; definitio enim significat quid est res »[2]. Quod non intrat definitionem, evidenter non est idem formaliter aut essentialiter cum re, et non necesse est ut non sit

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 4. corp.*
[2] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 1. c. 21.*

idem etiam realiter, uti patet ex exemplo a D. Thoma allato: « Sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem ». Risibile enim non realiter, sed formaliter ab homine differt. Sensum ergo non realis identitatis, sed identitatis formalis S. Doctor asseruit et nunc probat.

Ex quo pendeat argumenti vis.

219. VIS AUTEM ARGUMENTI pendet ex illa minori: « Impossibile est autem quod esse sit causatum *tantum* ex principiis essentialibus rei ». Ait: *Tantum*; quia in D. Thomae doctrina τὸ *esse* causatum certissime causatur a forma, tanquam a causa formali. Probandum igitur est impossibile esse, ut *esse*, si sit causatum, sit *efficienter* causatum a principiis essentialibus. Et hoc probat S. Doctor aiendo: « Quia nulla res sufficit, quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum ». Verbis hisce evidenter S. Doctor negat essentiae omni, quae non sit formaliter ipsum esse aut exsistat ex vi suimetipsius, sed habeat esse causatum, efficientiam omnem quoad ipsum suum esse. Supponamus iam τὸ *esse causatum* esse realiter distinctum ab actuali essentia in sensu adversariorum, ac esse entitatulam illam Aegidianam, quam comminiscuntur. Si hoc supponatur, ratio D. Thomae, quae videtur absolutam impossibilitatem sonare, erit nulla aut certe inevidens. In illa enim hypothesi τὸ *esse* per naturalem emanationem ab essentia actuali, quae natura prius, quam esse recipiat, deberet necessario in sua actualitate constitui, posset procedere, uti proprietates metaphysicae ac praesertim physicae ex ipsa fluunt. Naturalis autem emanatio a pluribus per physicam efficientiam explicatur[1]. At si τὸ *esse causatum* sit realiter idem cum essentia, seu sit ipsa realis essentia, D. Thomae ratio est omnino evidens. Nam si esse causatum est realiter idem cum essentia, ante productionem essentiae, ac porro τοῦ esse, non datur nisi essentia possibilis, quae in ordine reali est non-ens. Non-enti autem nulla realis efficientia potest competere, uti evidens est. Essentiae ergo, quae sibi realiter esse identificat, sed quae formaliter ab esse distinguatur, nulla efficientia physica quoad ipsum esse potest competere; uti nulla efficientia physica competit quoad alia, antequam esse recipiat, aut producatur et realis sit. Dicemusne D. Thomam incassum aut saltem inevidenter fuisse argumentatum, an vero evidenter et efficacissime? D. Thomas putavit se evidenter probare: *Quod quidem*, ait, *multipliciter ostendi potest.*

Supposita adversariorum distinctione, argumentum D. Thomae nullum, aut inevidens.

Evidens in opposita sententia.

D. Thomas putavit se evidenter probare.

Confirmatur sensus argumenti.

220. Et quidem sensus formalis argumenti, et vis eius reponenda non in eo est, quod essentia, utut actualis, non possit producere entitatulam illam, quam dicunt *esse*, sed in eo, quod essentia, antequam in esse producatur, nihil sit aut sit non-ens, evidentius apparet ex modo, quo ad idem probandum S. Doctor *Contra Gentes* idem exhibet argumentum. Scribit: « Si esse Dei non est sua essentia (non autem pars eius esse potest, quum essentia divina sit simplex, ut ostensum est)[2], oportet quod huiusmodi esse sit

Ex iis, quae scribit: *Contra Gentiles.*

---

[1] Cfr. Suarez, *De Anima, lib. 2. c. 3.*
[2] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 1. c. 18.*

aliquid *praeter essentiam eius*. Omne autem, quod convenit alicui, quod *non est de essentia eius*, convenit ei per aliquam causam; ea enim, quae per se non sunt unum, si coniunguntur, oportet per aliquam causam uniri. Esse igitur convenit illi quidditati per aliquam causam. Aut igitur per aliquid, quod est de essentia illius rei, sive per essentiam ipsam; aut per aliquid aliud. Si primo modo (essentia autem est secundum illud esse), sequitur quod aliquid sit sibi ipsi causa essendi. Hoc autem est impossibile; quia prius, secundum intellectum, est causam esse, quam effectum. Si ergo aliquid sibi ipsi esset causa essendi, intelligeretur esse, antequam haberet esse: quod est impossibile, nisi intelligatur quod aliquid sit sibi causa essendi secundum esse accidentale, quod esse est secundum quid..... Nunc autem non loquimur de esse accidentali, sed de substantiali. Si autem illi esse convenit per aliquam aliam causam: omne autem, quod acquirit esse ab alia causa, est causatum et non est causa prima: Deus autem est prima causa, non habens causam, ut supra demonstratum est [1]. Igitur illa quidditas, quae acquirit esse aliunde, non est quidditas Dei. Necesse est igitur quod Dei esse quidditas sua sit »[2]. In quo argumento sensus formalis apertissime claret ex loquutionibus: *Si esse Dei non est sua essentia*, quae in capite praecedenti sic exhibetur: *Si nihil in aliquo esset praeter eius essentiam, totum, quod res est, esset eius essentia, et sic ipsum esset sua essentia* [3]; tum quod in prima maiori dixit: *Praeter essentiam eius*, in minori expressit: *Quod non est de essentia eius*. Non igitur de *reali*, sed de *essentiali identitate aut non identitate* loquitur S. Doctor. Vis autem argumenti in eo est, quod si τὸ *esse* causatur *per essentiam ipsam*; quandoquidem *essentia est secundum illud esse, sequitur quod aliquid sit sibi ipsi causa essendi:* quod est impossibile, quia prius est esse, quam agere et prius causam esse, quam effectum. Ergo, ex D. Thoma, essentia sine esse nullo modo est, et posito esse ipsa ponitur essentia. Non igitur esse est entitatula quaedam realiter distincta, et essentiae actuali superaddenda, ut essentia sit; sed est ipsa essentia realis quae, si suum esse produceret, seipsam produceret, et sic ipsa esset simul sui causa et effectus, esset antequam esset, aut certe nihilum aut non-ens produceret ens.

S. Doctor loquitur non de reali, sed de essentiali identitate aut non identitate.

Excluditur entitatula Aegidiana.

221. Itaque D. Thomas non argumentatur, uti vellent adversarii: Si in Deo non esset *realiter* idem essentia et esse, Deus esset ens causatum ab exteriori principio, et non esset prima causa; quia essentia non posset sibi dare efficienter entitatulam illam, quae est esse; et ipsa esset, antequam esset; et effectus esset, antequam esset causa. Deus autem est ens ab exteriori principio incausatum et prima causa. Ergo in Deo est *realiter* idem essentia et esse. Argumentum enim hoc sensu intellectum non solum videtur ridiculum; sed est revera nullum, certe est inevidens et pugnat cum modo loquendi, quem S. Doctor adhibet. In hypo-

Refelluntur adversarii.

---

[1] *Idem, Ibidem, c. 13.*
[2] *Idem, Ibidem, c. 22.*
[3] *Idem, Ibidem, c. 21.*

thesi enim distinctionis realis inter essentiam et esse, vel τὸ *esse* posset per naturalem emanationem ab essentia actuali profluere, vel saltem non est evidens non posse profluere. Quare ad esse habendum non oporteret recurrere ad exterius principium. Tum essentia esset actualitate essentiae, antequam esset actualitate existentiae; et non effectus ante causam, sed causa esset ordine naturae et intellectus ante effectum. — Argumentum igitur S. Doctoris est: Si in Deo non esset *formaliter* idem essentia et esse, seu si Deus non exsisteret ex vi suae essentiae, Deus esset ens causatum ab exteriori principio, et non esset prima causa efficiens. Est autem Deus ens incausatum ab exteriori principio, et prima causa efficiens. Ergo. — Maior patet. Quia si Deus non exsisteret ex vi suae essentiae, essentia ipsa, antequam produceretur, nihil esset; nihil autem nequit producere esse. Vel certe, si utcumque fingamus esse, cum ipsa essentia deberet produci, ipsa non esset antequam produceretur, ac porro esset; et ipsamet esset, ut sui causa, et sic effectus esset, antequam produceretur, imo antequam esset causa, et esset prior et causa suae causae: quae evidenter absurda sunt. Quare si Deus non exsisteret ex vi suae essentiae, Deus a sua essentia non posset produci, et consequenter deberet produci ab exteriori principio.

Legitimum D. Thomae argumentum.

222. Argumentum secunda hac ratione propositum est evidens et respondens tum sententiis, tum verbis S. Doctoris: propositum priori ratione, ut indulgentiores simus, saltem non est evidens. Ex quo fit evidens esse non probari evidenter ex ipso adversariorum distinctionem formaliter realem; non enim ex hoc arguit, aut in hoc fundat Aquinas argumentum suum; sed, uti probatum est, fundat revera in distinctione formali, quae si daretur in Deo, uti datur in creaturis, Deus esset ens productum, uti sunt creaturae. — Neque quemquam movere debet quod ait Aquinas: *Ea, quae per se non sunt unum, si coniunguntur, oportet per aliquam causam uniri.* Verba enim: *coniungi · uniri - addi - complementum esse*, et similia, uti pluries demonstravimus, a D. Thoma adhibentur tum ubi *de rebus* sermo est, tum etiam ubi sermo est *de rationibus formalibus.* Placet hic, praeter saepius data, locum alium in medium proferre: « Differentia *addita* generi, *ait*, constituit speciem. Ergo cuiuslibet speciei essentia habet aliquid *additum* supra genus »[1]. Iam vero differentia non additur generi, nec consequenter unitur aut coniungitur generi, ut *rei res*, sed ut rationi formali *formalis ratio.* Verba igitur laudata formali argumenti sensui haudquaquam obstant,

Evidens est ex D. Thomae argumento non probari evidenter adversariorum distinctionem.

Praeoccupatur difficultas.

D. Thomas

223. Secundum argumentum est: Si in Deo non est idem essentia et esse, erit in ipso aliquid potentiale. Nihil potentiale in Deo est, uti iam probatum est. Ergo. *Prob. mai. Esse*, utpote actualitas omnis formae vel naturae, comparatur ad essentiam, sicut actus ad potentiam. Si ergo in Deo non sit idem esse et essentia, sicut esse *actus*, ita essentia haberet rationem *potentiae.* Atqui

Argumentum 2um.

[1] D. Thomas, *Opusc. Compendium Theologiae, c. 12.*

si hoc, erit in Deo aliquid potentiale. Ergo. Quaerimus: Procedítne argumentum *in sensu reali*, an *in sensu formali?* Evidens est posse procedere in sensu formali; quia si τὸ *esse* in Deo non esset de ratione essentiae, in ipso certissime daretur potentia metaphysica, et consequenter potentia obiectiva aut logica. Imo dici omnino debet in sensu formali procedere; quia cum asseratur illa identitas ex exclusione cuiuscumque potentialitatis, huiusmodi exclusioni debet respondere. Exclusioni autem cuiuscumque potentialitatis respondet actualitas adeoque identitas non solum in ordine physico aut realitatis, sed etiam in ordine metaphysico aut rationum formalium obiectivarum. Quapropter in *Contra Gentes*, ubi idem proponitur argumentum, ex ratione *actus puri* S. Doctor a Deo excludit potentialitem omnem, et asserit omnimodam identitatem inter essentiam et esse, non proinde solum physicam, sed etiam methaphysicam: « Ostensum est, *inquit*, in Deo nihil esse de potentia, sed ipsum esse actum purum. Non igitur Dei essentia est aliud quam suum esse »[1]. Identitas igitur formalis aut essentialis inter essentiam et esse evidenter, ex D. Thoma, Dei propria est, non identitas realis. Ex negata proinde creaturis identitate illa inter essentiam et esse, quae Dei est propria, evidens est non colligi, saltem evidenter, realem distinctionem in creaturis dari. — Atque eodem pacto, imo clarius fortasse, idem argumentum in sensu formali proponitur in *Compendio Theologiae*[2].

Quaestio. Definitur et solvitur.

Confirmatur ex *Contra Gentiles.*

Illatio pro quaestione nostra.

224. Tertium argumentum est: Id, in quo non est idem essentia et esse, non est ens per essentiam, sed per participationem: sicut quod habet ignem et non est ignis, est ignitum per participationem. Deus est ens non per participationem, sed per essentiam, uti iam probatum est. Ergo. Est igitur Deus suum esse, et non solum sua essentia. — In hoc argumento res et verba exigunt sensum formalem, ut ridicule prorsus quis de reali identitate argumentum intelligeret. Et quod dicimus de hoc argumento, dicendum omnino est de aliis etiam, quibus ad idem probandum D. Thomas utitur in locis laudatis *Contra Gentes*, *Compendii Theologiae*, in *Quaestionibus Disputatis* etc. Omnia enim illa argumenta derivantur ex conceptu entis necessarii, entis simplicissimi, entis per essentiam etc., quae probant τὸ *esse* Deo competere essentialiter, quod nulli creaturae proprium est.

Argumentum 3um.

Ridiculum esset illud intelligere de identitate reali.

Idem dicendum de argumentis aliis, quae innuuntur.

225. Quaerit II: « *Utrum Deus sit in genere aliquo* ». Respondet negando Deum esse in genere sive simpliciter, sive reductive; et probat utrumque efficacissime. Ad prius vero probandum, inter alia, habet: « Omnia, quae sunt in genere uno, communicant in quidditate vel essentia generis, quod praedicatur de eis in eo quod quid est; differunt autem secundum esse. Non enim idem est esse hominis et equi, nec huius hominis et illius hominis; et sic oportet quod quaecumque sunt in genere, differant in eis esse et quod quid est, id est, essentia. In Deo autem non differunt, ut

Quaerit II. *Utrum Deus sit in genere aliquo.*

Textus D. Thomae.

[1] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 1. c. 22. arg. 3.*
[2] *Idem, Compendium Theologiae, c. 11. arg. 2.*

ostensum est art. praec. Unde manifestum est quod Deus non est in genere sicut species ». — Cum autem sibi obiecisset : « Videtur quod Deus sit in genere aliquo. Substantia enim est ens per se subsistens. Hoc autem maxime convenit Deo. Ergo Deus est in genere substantiae » ; respondet : « Ad primum ergo dicendum quod substantiae nomen non significat hoc solum, quod est *per se esse;* quia hoc, quod est *esse*, non potest per se esse genus, ut ostensum est in corp. art. ; sed significat essentiam , cui competit sic esse, id est, *per se esse* , quod tamen esse non est ipsa eius essentia : et sic patet quod Deus non est in genere substantiae » [1]. Atque eandem doctrinam , et quidem eodem modo probatam, S. Doctor tradit in *Compendio Theologiae* [2], in *Contra Gentes* [3], in *Quaestionibus Disputatis* [4] etc.

Quid adversarii ?

226. Ex his putant adversarii posse se suae causae subsidium invocare. Arbitrantur D. Thomam arguere : In his, quae sunt in genere, realiter differunt essentia et esse. In Deo non differunt realiter essentia et esse. Ergo Deus non est in genere. Creaturae autem omnes sunt in genere. Ergo in eis realiter differunt essentia et esse. — Item : Substantia praedicamentalis est essentia, cui competit esse per se, tanquam entitatula realiter distincta. Dei autem essentiae non competit esse per se, tanquam entitatula realiter distincta, cum eius essentia sit realiter ipsum esse per se subsistens. Deus ergo non est substantia praedicamentalis, nec proinde est in genere substantiae.

Quantum a veritate abludant, satis constabilitum est.

227. Verum quantum huiusmodi intelligentia a veritate et a D. Thoma abludat , satis superque in superioribus constabilitum est. Distinctio enim illa realis inter essentiam et esse est penitus impertinens, ut aliquid dicatur, vel non , esse in genere , vel in specie. Non datur realis distinctio adversariorum inter praedicata quidditativa superiora et inferiora ; attamen res secundum praedicatum superius est in genere et est genus , secundum inferius est differentia, constitutum autem ex utroque est in specie et est species : homo enim species est, animal genus, rationale differentia, quamvis una eademque res sit in eodem individuo, quae species, genus et differentia est. Realis ergo identitas inter rationes plures non impedit , quominus res secundum unam rationem in genere sit et genus sit, secundum aliam non sit. Quin ponamus essentiam et esse alicuius individui humani distingui distinctione formaliter reali, uti vellent adversarii. Ex sola illa distinctione natura illius individui non constituitur neque in genere, neque in specie. Nam si natura illius individui , ut ab esse contradistincta, non ponatur universalis a parte rei , quod rectissime nobiscum adversarii oderunt, illa natura erit adhuc singularis, et consequenter neque species, neque genus : tum, etiamsi a singularitate prae-

Hypothesis.

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 5, corp. et ad 1um.*
[2] *Idem, Compendium Theologiae, cc. 12. 13. 14.*
[3] *Idem, Contra Gentes, lib. 1. cc. 24. 25.*
[4] *Idem, QQ. DD. De potentia, q. 7. a. 3. corp.*

scindamus, illa natura immediate non erit genus neque in genere, sed erit species et in specie : oportet praescindere a differentia specifica, ut tandem natura illa in genere sit. Distinctio ergo vel indistinctio realis inter essentiam et esse impertinenter se habet ad hoc, ut res dicatur in genere esse, vel non esse. Ratio vero a priori est, quod ut res dicatur in genere esse, requiritur et sufficit, ut detur natura una eademque apta inesse multis et praedicari de multis ; hac enim ratione habentur plura communicantia in natura generis vel speciei, et differentia secundum individuales rationes. Ad hoc autem non requiritur, ut esse sit vel non sit realiter distinctum ab essentia ; sed satis est, ut principia individuantia non sint de ratione essentiae, et sic essentia illa, sive generice sive specifice una eademque, in individuis pluribus diversimode individuata possit inveniri, aut inveniatur. Quapropter quando D. Thomas recurrit ad differentiam inter essentiam et esse creaturarum, ut declaret et probet illas in genere esse, et ad non differentiam inter divinum esse divinamque essentiam, ut demonstret Deum non esse in genere, neque esse substantiam praedicamentalem, illam differentiam indifferentiamque non intelligit realem, sed formalem aut essentialem ; ex hoc enim fit, ut essentia illa sit vel non sit essentialiter singularis, et consequenter ut sit vel non sit in genere.

Distinctio adversariorum impertinens, ut res dicatur, vel non, esse in genere.

Ratio *a priori*.

Aperitur D. Thomae sensus.

228. Et quidem argumentandi ratio loquendique modus, quem D. Thomas constanter usurpat, rem prorsus in perspicuis ponunt. Deum non esse in genere, proxime aut remote, ubique probat, quod iam ostendit Deum esse suam essentiam et suum esse. Ostendit autem Deum esse suam essentiam et suum esse, quod in Deo non differunt formaliter aut essentialiter essentia et esse, non autem quod non differunt realiter, uti iam demonstravimus. Ostendit ergo Deum non esse in genere non ex reali, sed ex formali aut essentiali non differentia inter suam essentiam et suum esse. — Item ostendit Deum non esse in genere, quia nihil in ipso est potentialitatis. Nihil in ipso est potentialitatis, ex D. Thoma et ex veritate, quia eius essentia est, non realiter, sed formaliter aut essentialiter ipsum esse. Ostendit ergo rursum Deum non esse in genere, non ex identitate reali, quae non excluderet omnem potentialitatem, sed ex identitate formali aut essentiali inter divinam essentiam divinumque esse. Quapropter ait : *Cum esse Dei sit eius essentia, ut ostensum est.* Ac rursum : *In Deo non differunt (essentia et esse), ut ostensum est art. praec. Unde manifestum est quod Deus non est in genere, sicut species.* Praeterea: *Cum in Deo non adiungatur potentia actui, impossibile est quod Deus sit in genere, tanquam species.* Ad haec, : *Ostensum est Deum esse purum actum absque permixtione potentiae. Non est igitur eius essentia constituta ex genere et differentiis ; et ita non est in genere.* Tandem, ne infinitus sim : *Si divinum esse per aliquid aliud superadditum designetur* DESIGNATIONE ESSENTIALI, *ipsum esse non erit in actu, nisi illo superaddito exsistente. Sed ipsum esse divinum est sua substantia, ut ostensum est. Ergo substantia divina non potest esse in*

Declaratur et confirmatur.

D. Thomae verba.

actu, nisi aliquo superveniente. Ex quo potest concludi quod non sit per se necesse esse [1]. Accedat: *Esse cuiuslibet in genere exsistentis est* PRAETER GENERIS QUIDDITATEM. *Hoc autem in Deo impossibile est. Deus igitur in genere non est* [2]. Sed lege, sodes, loca integra nuper indicata, in quibus plura alia sunt, quae ostendunt D. Thomam inter essentiam et esse in genere exsistentis non agnovisse distinctionem formaliter realem, sed formalem aut essentialem, ex qua in Deo negata infert Deum non esse in genere. Itaque dum negat in illa responsione superius laudata substantiam praedicamentalem esse *esse per se;* docetque, e contra, esse essentiam, cui competit *per se esse;* id docet, quia: *Esse non est* (formaliter plane, uti dicta in corpore exigunt) *ipsa eius essentia.* Cum autem esse Dei sit formaliter ipsa eius essentia, : *patet quod Deus non est in genere substantiae.*

Eandem argumentandi rationem ubique persequitur. Affertur locus insignis ex I. Dist. 8. q. 4. a, 2.

229. Eandem argumentandi rationem persequitur Aquinas fere ubicumque eandem discutit quaestionem. Legimus: « Tertia ratio subtilior est Avicennae. Omne, quod est in genere, *habet quidditatem differentem ab esse*, sicut homo. Humanitati enim, ex hoc quod est humanitas, non debetur esse in actu; *potest enim cogitari humanitas, et tamen ignorari an aliquis homo sit.* Et ratio huius est, quia commune, quod praedicatur de his, quae sunt in genere, praedicat quidditatem, cum genus et species praedicentur in eo, quod quid. Illi autem quidditati non debetur esse nisi per hoc, quod suscepta est in hoc vel in illo. Et ideo quidditas generis vel speciei non communicatur secundum unum esse omnibus, sed solum secundum unam rationem communem: unde constat quod esse suum non est quidditas sua. In Deo autem esse suum est quidditas sua; aliter etiam *accideret quidditati, et ita esset acquisitum sibi ab alio, et non haberet esse per essentiam suam.* Et ideo Deus non potest esse in aliquo genere..... Ad 1.um ergo dicendum quod Deus simpliciter non est accidens, nec tamen omnino proprie potest dici substantia; tum quia nomen substantiae dicitur a substando; tum quia substantia quidditatem nominat, quae est aliud ab esse eius. Unde illa (*divisio nimirum entis in substantiam et accidens*) est divisio entis creati. Si tamen non fieret in hoc vis, largo modo potest dici substantia, quae tamen intelligitur supra omnem substantiam creatam, quantum ad id, quod est perfectionis in substantia, ut non esse in alio, et huiusmodi: et tunc est *idem in praedicato et in subiecto, sicut in omnibus, quae de Deo praedicantur.....* et ita, propter diversum modum praedicandi, non dicitur substantia de Deo et creaturis univoce, sed analogice..... Ad 2.um dicendum quod ista definitio, secundum Avicennam, non potest esse substantiae: *Substantia est, quae non est in subiecto.* Ens enim non est genus. Haec autem negatio: *Non in subiecto*, nihil ponit. Unde hoc quod dico: *Ens non est in subiecto*, non dicit aliquod genus; quia in quolibet genere oportet significare

[1] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 1. c. 24.*
[2] *Idem, Ibidem, c. 25.*

quidditatem aliquam, ut dictum est, *de cuius intellectu non est esse.* Ens autem non dicit quidditatem, sed solum actum essendi, cum sit principium ipsum. Et ideo non sequitur: *Est non in subiecto; ergo est in genere substantiae.* Sed hoc Deo non convenit, ut dictum est »[1].

230. Modus quo, hoc loco, eandem, quam in *Summa*, quaestionem definit, clarius longe praesefert ab ipso inter creati entis essentiam et esse non formaliter realem, sed formalem aut essentialem distinctionem, quae fundamentaliter realis dici potest, unice agnosci. Ait utique: *Omne, quod est in genere, habet quidditatem differentem ab esse, sicut homo.* Sed quare hoc? Quia videlicet τὸ *esse* non est de essentia aut ratione eius, quod est in genere; unum enim potest cogitari sine altero: *Humanitati enim*, subdit, ex *hoc, quod est humanitas, non debetur esse in actu; potest enim cogitari humanitas, et tamen ignorari an aliquis homo sit;* vel quia: In quolibet genere *oportet significare quidditatem, de cuius intellectu* (non de cuius realitate) *non est esse.* Ulterior vero ratio est: *Quia commune, quod praedicatur de his, quae sunt in genere, praedicat quidditatem*, abstractam universalemque; τὸ *esse* autem: *Solum actum essendi, cum sit principium ipsum*, si formaliter inspiciatur. Quapropter: *Quidditati* (abstractae universalique) *non debetur esse nisi per hoc, quod suscepta est in hoc vel in illo*, seu nisi quatenus est singularis; singularia enim sola realia sunt aut exsistunt: *Unde*, concludit, *constat quod esse suum non sit essentia sua. In Deo autem esse suum est essentia sua; aliter etiam accideret quidditati, et ita esset acquisitum sibi ab alio, et non haberet esse per essentiam suam.* Itaque quod Deus habet esse per essentiam suam et non ab alio, esse suum non differt ab essentia, et Deus non est in genere, cum sit ex vi suae essentiae, seu essentialiter singularis: quod creaturae non sunt per essentiam suam, sed ab alio, quidditas in eis differt ab esse, communis aut universalis est, in genere est. Differentia vero aut distinctio, quae habetur ex hoc, quod aliquid non sit de alterius quidditate, non est distinctio formaliter realis, sed distinctio formalis aut fundamentaliter realis. Hanc in creaturis, hoc loco, D. Thomas agnoscit, negat autem in Deo: propter hanc docet creaturas esse in genere, negat autem esse Deum; aut, ne contentiosi simus, hoc solum evidens est, illud inevidens. Declaratur.

231. Neque obstat, quod in corpore dicit: *Illi autem quidditati* (generis), *non debetur esse nisi per hoc, quod suscepta est in hoc vel in illo;* ad 1.um autem: *Substantia quidditatem nominat, quae est aliud ab esse eius.* Nam, uti ex ipso D. Thoma didicimus, susceptio generis aut naturae communis in individuo non est propria susceptio, sed susceptio aequivoca, quae per hoc habetur, quod ratio generis non in se universaliter, sed in individuo singulariter esse nanciscitur, aut realis fit. Imo cum S. Doctor dicat naturam communem esse habere, quod in individuo suscipitur, satis apparet Occurritur difficultati.

[1] D. Thomas, *In I. Dist. 8. q. 4. a. 2.* — Cfr. *Dist. 19. q. 4. a. 2. corp.*

D. Thomas ne cogitavit quidem de entitatula Aegidiana.

ipsum ne cogitasse quidem de entitatula illa Aegidiana, quae in natura deberet realiter recipi ad ipsam actuandam realemque constituendam. Ex impropria enim illa naturae in individuo susceptione aut actuatione fit ut, quamvis natura generica sit formaliter una eademque per sese, sit tamen realiter multiplex et distincta in individuis. Atque ulterius etiamsi natura generica in individuis sit ipsorum τῷ *esse* realiter identica; potest tamen *hoc esse* non communicari singulis individuis, uti *haec natura individua* singulis individuis communis non est; et sic τὸ *esse* a natura aut quidditate formaliter distingui, uti haec natura v. g. Petri a communi hominis natura formaliter aut distinctione fundamentaliter reali, ex D. Thoma et communi Thomistarum sententia, distinguitur. — Atque ex his intelligitur illud: *Aliud*, quod D. Thomas habet *ad 1.am*, quodque per se in S. etiam Doctore, uti ad fastidium demonstravimus, nullo modo innuit realem distinctionem, in hoc loco nonnisi formalem praeseferre; *Aliud* enim est, quia non est per essentiam suam, sed per productionem ab alio.

Textus ex: *Contra Gentiles*, lib. I. c. 25.

232. Legimus: « Si Deus sit in genere, aut est in genere accidentis, aut in genere substantiae. In genere accidentis non est; accidens enim non potest esse primum ens et prima causa. In genere etiam substantiae esse non potest; quia substantia, quae est genus, non est ipsum esse, alias omnis substantia esset esse suum; et sic non esset causatum ab alio, cum ratio generis salvetur in omnibus, quae sub genere continentur; et sic nulla substantia esset causata ab alio, quod esse non potest, ut patet ex dictis [1]. Deus autem est ipsum esse. Igitur non est in aliquo genere » [2]. — Ex huc usque dictis patet omnino haec verba: *Substantia, quae est genus, non est ipsum esse*, non efficere hunc sensum plane ridiculum et impertinentem: *Substantia, quae est genus, non est realiter identica* τῷ *esse;* sed: *Non est totum et solum esse, aut tota et sola essendi ratio*, aut demum: *Non est essentialiter et imparticipate esse, sed accidentaliter et participate.* Atque hic sensus eruitur etiam ex subiecta probatione, qua secus dicitur sequi substantiam omnem futuram *suum esse*, ac proinde totum et solum esse, ut D. Thomas explicat, futuramque incausatam; eruitur etiam ex minori, qua ait: *Deus autem est ipsum esse.* Distinctionem ergo formalem aut essentialem inter substantiae praedicamentalis esse et essentiam S. Doctor agnoscit, non adversariorum distinctionem realem. Eo vel magis quod eodem pacto negat substantiam, quae est in genere, esse ipsum *esse* et suum *esse*, quo asserit Deum esse ipsum *esse* et suum *esse;* illud enim negat, quia substantia praedicamentalis causata est; alterum asserit, quia Deus incausatus est. Atqui dum dicit Deum esse ipsum *esse* et *suum esse*, ubique intelligit D. Thomas Deum esse totum et solum *esse*, et eius *esse* formalissime eius esse essentiam. Hoc idem ergo, hoc loco, negat de substantia praedicamentali, ac porro de re qualibet

Declaratur.

[1] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 1. cc. 13. 15.*
[2] *Idem, Ibidem, c. 25.*

creata. Notetur D. Thomam in probatione maioris secundi membri dilemmatis ponere hunc nexum : *Si esse est incausatum, ipsa quidditas est incausata.* Ex quo fit D. Thomae idem esse causari vel non causari esse et essentiam, et proinde essentiam actualem ab esse non realiter distingui. Fac enim realiter distinguatur. Sequela D. Thomae, iuxta sententiam adversariorum, non teneret in Christo in quo, iuxta ipsos, essentia esset causata, et esse incausatum. Sed enim prima aliqua fictio fictiones alias secum trahit facillime.

233. Legimus rursum : « Quidquid est in genere, secundum esse differt ab aliis, quae in eodem genere sunt, alias genus de pluribus non praedicaretur. Oportet autem omnia, quae in eodem genere sunt, in quidditate generis convenire ; quia de omnibus genus in *quod quid est* praedicatur. Esse igitur cuiuslibet in genere exsistentis est praeter generis quidditatem. Hoc autem in Deo impossibile est. Deus igitur in genere non est »[1]. — Sed vere maiorem argumenti S. Doctoris quomodo retineant adversarii illi (neque enim omnes, ut vidimus, eodem modo loquuntur), qui volunt τὸ *esse* esse unum in omnibus, et non posse esse distinctionis principium, haud facile intelligitur. D. Thomae et nobis illa maior verissima et clarissima est. Quaecumque enim in genere sunt, *secundum esse*, seu secundum individuam realitatem ab aliis individuis eiusdem generis debent distingui. Ad hoc autem non requiritur, ut esse sit entitatula realiter distincta ab essentia actuali ; sed requiritur ut esse formaliter inspectum, quod rei singularitatem tanquam metaphysica quaedam ratio comitatur, sit *praeter generis quidditatem*, ut infert Aquinas. Est autem iuxta eundem, uti iam demonstravimus, praeter generis quidditatem, quod *non est de quidditate generis*, vel *non intrat in definitionem generis.* Ergo ut individua generis differant secundum *esse*, non requiritur ut *esse* sit entitatula realiter distincta ; sed ut *esse* formaliter inspectum, et consequenter singularitas non sit de essentia generis. Hoc autem distinctionem formalem aut essentialem significat, non significat realem. Quare S. Doctor ex negata inter divinum esse et divinam essentiam distinctione non quidem reali, de qua plane non cogitavit in praesenti, sed formali aut essentiali infert Deum non esse in genere. Sed de his satis.

Textus alius ex eodem loco.

Declaratur et urgentur adversarii.

234. Quaerit III. « *Utrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei* »[2]. In Commentarius in 1.am p.em, cum hunc articulum enarraremus, ostendimus tituli sensum veriorem, aut unice verum esse: *Utrum esse bonum per essentiam*, id est, *ex vi suae essentiae et, consequenter, non ab alio sit proprium solius Dei*, quamvis sensus alter a Caietano propositus : *Utrum esse bonum per essentiam*, seu *secundum omnem et adaequatam boni rationem, sit proprium solius Dei*, in ipsa littera tangatur. Responsio S. Doctoris est : *Solus Deus est bonus per suam essentiam.* Conclusio vero : *Unde manifestum*

Quaerit III. *Utrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei.* Declaratur.

[1] *Idem, Ibidem, loc. ult. laud.*
[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 6. a. 3.*

est quod solus Deus habet omnimodam perfectionem (quam declaravit articulis 1.° et 2.° quaestionis quartae) *secundum suam essentiam ; et ideo ipse solus est bonus* (summo aut excellentissimo modo, uti dixit articulo praecedenti) *per suam essentiam.* Monebamus D. Thomam, dum negat creaturas ullas bonas esse per suam essentiam, non loqui de bonitate creaturarum *secundum quid*, sed de earum bonitate *simpliciter tali*, quae habetur *ex esse aut actualitate rei*, *ex principiis operativis*, *ex fine* demum, seu ex ordinatione in finem et finis possessione. Enimvero essentia rei creatae *secundum quid* per seipsam conveniens et quodammodo bona est ; et tria modo enumerata, quibus creaturarum bonitas *simpliciter* constituitur, per seipsa et non alia bonitate seorsim bona sunt. Quare S. Doctor ait : « Ipsa bonitas (*rei creatae*) sic superaddita dicitur bona, sicut et ens. Hac autem ratione dicitur ens, quia ea est aliquid, non quia ipsa aliquo modo sit. Unde hac ratione dicitur bona, quia ea est aliquid bonum, non quia ipsa habeat aliquam aliam bonitatem, qua sit bona ». — Probat vero S. Doctor assertionem suam tum Boetii auctoritate ; tum quia tria illa, unde bonitas simpliciter consurgit, nulli creaturae, sed soli Deo competunt per essentiam, seu ex vi essentiae suae.

Critica quaestio.

235. Haec facilia sunt et satis perspicua. Nobis tamen critica quaestio est : Quo sensu S. Doctor dicat in corpore : *Cuius solius* (*Dei*) *essentia est suum esse ;* et ad 2.um : *Essentia rei creatae non est ipsum esse ;* et ad 3.um : *Bonitas rei creatae non est ipsa eius essentia, sed aliquid superadditum, vel ipsum esse eius, vel.....* Quaerimus : Suntne haec intelligenda *realiter*, an solum *formaliter.*

Caietanus.

236. Caietanus, postquam articuli titulum suo modo declaravit, sequentia subdit : « In corpore unica conclusio responsiva quaesito affirmative : *Solus Deus est bonus per essentiam.* Probatur haec exclusiva quoad utramque exponentem sic. Triplex perfectio, scilicet secundum quod res in suo esse constituitur etc. soli Deo convenit per suam essentiam : Ergo esse perfectum. Ergo esse bonum. Ergo solus est bonus per essentiam. Antecedens declaratur distinguendo triplicem gradum perfectionis rei, et ostendendo singillatim soli Deo convenire quidditative ; quia in primo clauditur esse, in secundo accidentia, in tertio finis ultimus..... Circa antecedens dubium primo est, quod *esse* in omnibus citra Deum sit aliud ab essentia. Sed hoc est alibi tractandum. — Dubium secundo esset, quomodo nulla essentia esset principium operationis. Sed hoc inferius quaeretur. *Ad propositum tamen scito sufficere, quod esse et principia operationis sunt extra essentias omnium substantiarum* FORMALITER ; *in Dei autem substantia clauduntur* FORMALITER. *Intentio tamen litterae est de inclusione* REALI, *et non tantum de* FORMALI » [1].

Illatio ex confessione Caietani.

237. Habemus hic confitentem Caietanum, ut stent assertio probatioque S. Doctoris in hoc saltem loco, non requiri intellectum, ut esse et principia operativa in Deo sint *realiter* essentiae iden-

[1] Caietanus, *In hunc loc. D. Thomae.*

tica, in creaturis non sint; sed sufficere ut in Deo sint *formaliter* identica, non sint *formaliter* identica in creaturis. Si hoc alterum sufficit, quo iure ait: *Intentio tamen litterae est de inclusione reali, et non tantum de formali?* Non alio sane, nisi quod doctrina D. Thomae sit inter esse et essentiam interque essentiam et potentias creati entis realem distinctionem intercedere. Ast vero, quidquid sit de essentia et potentiis, de quibus potest etiam disputari: Utrum, non plane secundum Thomistarum interpretationem, sed in ipsa D. Thomae doctrina, realiter etiam, an solum formaliter distinguantur; ad essentiam et esse quod attinet, potest *sufficienter* ex huc usque dictis intelligi, intelligetur plenissime in fine demonstrationis D. Thomam *nonnisi distinctionem formalem aut fundamentaliter realem agnoscere;* ut minimum, evidens esse non probari evidenter oppositum. Ceterum Caietano ius nullum est distinctionem illam realem supponendi, cum alibi neque absolute neque ex D. Thomae mente illam probarit, uti demonstravimus; et in *Contra Gentes*, ad quam Summam remittit, doctrina illa non habeatur, uti iterum ostensum est. Itaque cum in doctrina D. Thomae certa sit distinctio formalis inter essentiam et esse interque essentiam et potentias substantiarum creatarum; certum item sit distinctionem formalem sufficere ad S. Doctoris intelligendam assertionem, ad conclusionemque huius articuli solide inferendam; aliunde vero nec verba et textus ipsi, nec contextus plus exigant, uti statim demonstrabimus; dicendum tandem omnino videtur contra Caietanum: *Intentionem litterae non esse de inclusione et exclusione reali, sed tantum de inclusione et exclusione formali.*

238. Atque ut a verbis incipiamus, nullum omnino verbum est, quod *clare* realis distinctionis realisve identitatis aut, ut loqui placuit Caietano, realis inclusionis et exclusionis mentionem inferat. Verbum ipsum: *Reale*, nullo modo legitur. Verba: *Aliquid superadditum — aliqua perfectio superaddita — Ipsa bonitas sic superaddita*, neque absolute, neque apud D. Thomam, uti ad satietatem demonstravimus, innuunt necessario et semper realem additionem aut additionem rei distinctae, sed possunt significare et saepe apud D. Thomam significant additionem formalem, seu additionem rationis obiectivae formaliter solummodo distinctae. Audiamus iterum D. Thomam: « Differentia, *inquit*, addita generi constituit speciem. Ergo cuiuslibet speciei essentia habet *aliquid additum supra genus.* Sed ipsum esse, quod est essentia Dei, nihil in se continet, *quod sit alteri additum.* Deus igitur non est species alicuius generis »[1]. Convenit autem nobis cum adversariis differentiam, in doctrina D. Thomae et vera, non *addi* vel *superaddi* realiter generi, sed tantum formaliter. Neque si quis contentiosius velit agere, quidquam proficiet. Posset forsan aliquis contendere verbum: *Superadditum*, intelligendum esse de additione reali, quia dicitur de superadditione potentiarum, quae realiter

Confirmatur ex modo loquendi D. Thomae.

Praeoccupatur difficultas.

[1] D. Thomas, *Compendium Theologiae, c. 12.*

ab essentia aut a substantia creata distinguuntur. — Verum iam monuimus in doctrina D. Thomae posse hoc ipsum in quaestionem vocari. Quamvis autem id permittamus, critice loquendo, ex eo non sequitur D. Thomam intelligere superadditionem τοῦ *esse essentiae*, de qua proprie quaerimus, esse realem. Est enim apud D. Thomam in more positum ut, quando non directe de re ipsa agit, sed eam invocat ad aliud probàndum aut declarandum, saepe coniungat quae inter sese aliter habent, sed quae conveniunt relate ad illud, ad quod probandum declarandumve assumuntur.

Illustratur exemplis doctrina.

Ut exemplis rem confirmem,: « Cum in Deo, *inquit*, non sit compositio neque quantitativarum partium, quia corpus non est; neque compositio formae et materiae; neque in eo sit aliud natura et suppositum; neque aliud essentia et esse; neque in eo sit compositio generis et differentiae; neque subiecti et accidentis; manifestum est, quod Deus nullo modo compositus est, sed est omnino simplex »[1]. Rursum: « In omni composito qualicumque compositione oportet potentiam actui commisceri. In compositis enim vel unum eorum, ex quibus est compositio, est in potentia ad alterum, ut materia ad formam, subiectum ad accidens, genus ad differentiam; vel saltem omnes partes sunt in potentia ad totum »[2]. Et sic saepe alias. Quibus in locis: *Compositio* et *Potentia* in una eademque propositione sic de physicis metaphysicisque potentiis et compositionibus praedicantur, quatenus in analogico potentiae compositionisque conceptu conveniunt, ut nihil de earum inter sese differentia enuntietur. Itaque quamvis additio potentiarum ad substantiam, etiam ex mente D. Thomae, esset realis; non ex hoc solo posset inferri additionem τοῦ *esse* ad essentiam esse realem; praesertim cum id, quod D. Thomas in hoc articulo intendebat, Caietano fatente, ex sola additione formali legitime inferatur.

Confirmatur ex textibus et contextibus.

239. Si iam textus et contextus inspiciamus, primus textus: *Haec triplex perfectio nulli creato competit secundum suam essentiam. sed soli Deo, cuius solius essentia est suum esse*, dat: *Essentiam in creaturis non esse solum et totum esse*, uti infinities ex ipso Thoma audivimus: secundus vero: *Essentia rei creatae non est ipsum esse*, si *ipsum esse*, ut obvie sonat, secundum totam essendi amplitudinem accipiatur, idem exprimit aliis verbis, quod textus prior innuebat; si vero accipiatur sensu restricto: *Non est ipsum suum esse determinatum*, nisi τῷ *esse* Aegidiana notio supponatur, ex D. Thoma est: *Non est ipsa sua actualitas aut realitas*, seu non habet ex se actualitatem aut realitatem, sed habet per productionem suae causae. Uterque autem sensus non infert nisi distinctionem formalem, uti rursum ad fastidium declaratum est. Quod clarius longe intelligitur, si in mentem revocemus haec a D. Thoma dici ut probet aut tueatur Deum solum esse bonum ex vi suae essentiae aut, ut contendit Caietanus, esse bonum secundum totam boni amplitudinem. Ad hoc enim optime valet: Deus est ens ex

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 3. a. 7. corp.*
[2] *Idem, QQ. DD. De Potentia, q. 7. a. 1. corp.*

vi suae essentiae. Ergo est bonus ex vi suae essentiae. Ergo est bonus secundum totam boni essentiam aut amplitudinem, quia illimitate bonus est, cum non habeat unde limitetur. Creaturae non sunt ens ex vi suae essentiae, sed ab alio. Ergo neque sunt bonae ex vi suae essentiae, sed ab alio, cum ens et bonum convertantur; adeoque neque sunt bonae secundum totam boni amplitudinem, sed limitate iuxta actionem producentis. Pone sermonem esse de sola identitate reali in Deo, et de reali distinctione in creaturis inter essentiam et esse. Cum sola realis identitas non efficiat ut *esse* sit de Dei essentia, quamvis esset realiter Dei essentia, Deus non esset ex vi suae essentiae, sed necessario esset ex vi actionis alterius; adeoque neque esset ex vi suae essentiae bonus, neque esset bonus secundum totam boni essentiam aut amplitudinem, sed esset bonus iuxta actionem producentis. Si vero in creaturis essentia realiter distingueretur ab esse, auferret ipsis utique aseitatem et inferret limitationem; sed non excluderet a Deo necessitatem dependentiae ab extrinseco principio et limitationem in esse et bonitate: quae tamen D. Thomas, directe aut indirecte, certissime intendebat. Identitas realis ergo aut realis distinctio adversariorum non solum inevidens, sed impertinens prorsus hoc loco videtur. Illustratur.

240. Legimus: « Ex praemissis igitur apparet quod diversimode se habent ad bonitatem Deus et creaturae secundum duplicem modum bonitatis, quae in creaturis potest considerari. Cum enim bonum habeat rationem perfectionis et finis, secundum duplicem perfectionem et finem creaturae attenditur duplex eius bonitas. Attenditur enim quaedam creaturae perfectio secundum quod in sua natura persistit; et haec est finis generationis aut factionis ipsius. Alia vero perfectio ipsius attenditur, quam consequitur per suum motum vel operationem; et haec est finis motus vel operationis ipsius. Secundum utramque vero creatura deficit a bonitate divina. Nam cum forma et esse rei sit bonum et perfectio ipsius secundum quod in sua natura consideratur; substantia composita neque est sua forma, neque suum esse; substantia vero simplex creata etsi sit ipsa forma, non tamen est suum esse. Deus vero est sua essentia et suum esse, ut supra ostensum est. Similiter etiam omnes creaturae consequuntur perfectam bonitatem ex fine extrinseco. Perfectio enim bonitatis consistit in adeptione finis ultimi. Finis autem ultimus cuiuslibet creaturae est extra ipsam, qui est divina bonitas, quae quidem non ordinatur ad ulteriorem finem. Relinquitur igitur quod Deus modis omnibus est sua bonitas, et *est essentialiter bonus;* non autem creaturae simplices, tum quia non sunt suum esse, tum quia ordinantur ad aliquid extrinsecum, sicut ad ultimum finem. In substantiis vero compositis manifestum est quod nullo modo sunt sua bonitas. Solus igitur Deus est sua bonitas et essentialiter bonus; alia vero dicuntur bona secundum participationem aliquam ipsius » [1]. Adhuc D. Thomas.

[1] D. Thomas, *Compendium Theologiae, c. 109.*

Declaratur.

241. Quamvis paulo aliter enumerentur illa, ex quibus bonitas creaturarum resultat; tamen intentum et doctrina huius capitis eadem omnino sunt, ac intentum et doctrina articuli *Summae*, quem modo declaravimus. Uti enim ibi S. Doctor intendebat ostendere discrimen, quo bonus et summe bonus dicitur Deus, bonae dicuntur creaturae; ita hic idem prorsus sibi proponit, quemadmodum ex initio capitis evidenter apparet. — Assertio item utrobique eadem est: « *Quod solus Deus est bonus per essentiam, creaturae vero per participationem;* conclusio autem: *Solus igitur Deus est sua bonitas, et essentialiter bonus; alia vero dicuntur bona per participationem:* quae, inspecta saltem re sin minus grammaticali rhetoricoque eloquendi modo, assertioni conclusionique *Summae* identica evidenter sunt — Probatio demum propria et principalis est eadem; quia: *Deus est, inquit, sua essentia et suum esse*, et: *Finis ultimus cuiuslibet creaturae;* hae autem: *Non sunt suum esse*, et *finis ultimus cuiuslibet creaturae est extra ipsam*, seu *creaturae ordinantur ad aliquid extrinsecum, sicut ad finem ultimum.*

Infertur conclusio.

Quapropter uti in *Summa* nonnisi distinctionem formalem, quam negabat in Deo, inter creaturarum esse et actualem essentiam intendebat; ita hic nonnisi eandem distinctionem intendere dicendus est.

Declaratur plenius.

242. Eo vel magis, quod hic aliqua sunt, quae sensum illum clarius praeseferunt. In evolutione enim probationis S. Doctor illa, ex quibus resultat perfectio creaturarum, non reponit explicite *in esse, in principiis operativis, in fine*, seu in finis ultimi adeptione; sed reponit in duobus: « Attenditur, *ait*, quaedam creaturae perfectio secundum quod in sua natura persistit..... Alia vero perfectio ipsius attenditur, quam consequitur per suum motum vel operationem; et haec est finis motus vel operationis ipsius ». Potentiae igitur aut principia operativa heic non memorantur. Sed enim haec tum continentur in *ipsa natura* a qua, ceu proprietates, necessario fluunt, unde a producente una cum natura concreantur aut generantur; tum a motu et operatione supponuntur. *Natura* vero, hoc loco, *per formam et esse* explicite declaratur: « Cum forma et esse rei sit bonum et perfectio ipsius, secundum quod in sua natura consideratur »: contra vero, in illo articulo, forma aut essentia rei creatae, per sese bona aut perfecta *secundum quid*, supponitur, aut in ipso *esse* seu rei actualitate includitur. Haec ideo videntur facta, quod hic S. Doctor universim considerat perfectionem bonitatemque creaturarum, tum nimirum illam, quae *secundum quid* ipsis competit, tum quae competit *simpliciter*, ibi vero, distincta perfectione *secundum quid* a perfectione *simpliciter*, de hac ultima, primam supponendo, directius occupatur; cum ipsa sit, in qua creaturae proprie a modo, quo Deus suam perfectionem bonitatemque possidet, discriminentur. Essentiam enim suam essentialiter habent creaturae, uti Deus essentialiter suam habet: sed essentiae actualitas, principia operativa, ratio finis Deo essentialia sunt, seu sunt formalissime ipsa eius essentia; dum contra in creaturis non sunt de essentia, sed sunt praeter earum essen-

tiam, atque adeo nonnisi ab extrinseco ipsis adveniunt. In *Summa* ergo distinctius, quam hoc loco, eadem traditur doctrina.

Inspiciuntur specialia dicta, et plenius declaratio nostra constabilitur.

243. His ita declaratis, ut ad rem nostram accedamus, praeter id, quod locis aliis commune est: *Creaturae non sunt suum esse*, quod, ex dictis, in D. Thoma sensum habet non *realem*, sed *formalem*; natura realis, de qua hic loquitur S. Doctor, distinguitur per *formam* et *esse*. Esse igitur in reali natura est, uti in ipsa est forma. Quomodo autem in natura est? « Substantia composita, *inquit*, neque est sua forma, neque suum esse; substantia vero simplex creata etsi sit ipsa forma, non tamen est suum esse ». Iam vero dicit substantiam compositam non esse *suam formam*, non quod forma realiter inadaequate non sit ipsa substantia composita; sed quod non sit adaequate ipsa substantia composita, quae praeterea includit materiam; adeoque non est tota et sola forma, neque formae ratio secundum omnem modum est sua, uti D. Thomas ipse loquutionem illam declaravit. Ergo eodem modo dicit non esse *suum esse*; non nimirum quod esse sit aliquid *re* distinctum a substantia composita; sed quod haec non sit solum et totum esse, et quod ipsum esse non sit suum. Hoc autem, ut infinities dictum est, non realem, sed formalem distinctionem inter esse et essentiam substantiae compositae solummodo notat. — De substantia vero simplici dicit, quod est: *ipsa forma*, *non tamen est suum esse*. Dicit: *Est ipsa forma;* quia, uti subinde ait: *Ipsae* (substantiae simplices) *essentialiter sunt formae* [1]. Non est ergo substantia simplex *suum esse*, quia essentialiter non est esse; unum enim eodem praedicandi modo alteri opponit. Distinctio ergo, quam inter esse et essentiam substantiae simplicis hic contemplatur, est distinctio non realis, sed essentialis aut formalis. Quapropter cum dixisset substantias simplices esse essentialiter formas, subdit: « Secundo autem modo bonum, quod est esse, amittere non possunt. Non enim forma est sicut materia, quae se habet ad esse et non esse; sed forma (verius, *formam*) consequitur esse, etsi etiam non sit ipsum esse » [2]. Itaque substantiae simplices nequeunt τὸ *esse* amittere, non certe eo sensu, quod non possint annihilari; sed quia sunt incorruptibiles et causae formales ipsius esse, ac proinde non se habent uti materia ad esse et non esse, quae potest esse recipere a forma, et per corruptionem compositi simul cum forma esse amittere; sed cum sint essentialiter formae, et quidem subsistentes, eas connaturaliter esse consequitur, utpote ab ipsis, tanquam formalis effectus, realiter indistinctum, quamvis essentialiter aut formaliter non sint ipsum esse.

Sensus assertus rursus firmatur.

244. Hunc esse sensum S. Doctoris intelligitur non solum ex tota eius doctrina, qua docet formam in substantiis sive simplicibus sive compositis esse causam formalem ipsius *esse*, quod efficienter est proprius Dei effectus; et ex speciali doctrina de substantiis spiritualibus, qua docet ipsis sic inesse ipsum esse, uti

[1] D. Thomas, *Compendium Theologiae*, c. *111*.
[2] *Idem*, *Ibidem*, *eodem* c.

rotunditas inest circulo [1]; sed etiam intelligitur ex antecedentibus huius loci quae, uti declaratum est, sensum formalem requirunt; et sufficienter textu ipso innuitur. Si enim non esset sermo de esse consequente formam consequutione quadam formali ad modum proprietatis metaphysicae realiter indistinctae, sed de consequutione reali ad modum proprietatis physicae realiter distinctae; illa antithesis: *Etsi non sit ipsum esse*, fere nullum haberet sensum D. Thomae accommodandum. Sensus nimirum esset: Quamvis esse sit realiter distinctum, seu non sit realiter ipsa forma; tamen necessario formam sequitur, et sic est ab ipsa inseparabile. Huiusmodi enim sensus daret inseparabilitatem *connaturalem*, non inseparabilitatem *simpliciter*, facta hypothesi formae subsistentis. D. autem Thomas, hic et ubique, loquitur de impossibilitate simpliciter, facta hypothesi formae; quae aequivaleat illi impossibilitati, vi cuius rotunditas a circulo nequit separari. Non est ergo impossibilitas, quae possit intelligi ex vi dependentiae unius ab alio; sed est impossibilitas, quae sin minus identitatem formalem, quae excluderet etiam metaphysicam consequutionem unius ex alio, exigit saltem identitatem realem, vi cuius forma non possit esse forma et privari suo particulari esse. Ceterum hic sensus satis est ad D. Thomam intelligendum, et alter non requiritur: hic alter sensus, quidquid sit: *Sit necne falsus*, saltem ex dictis est inevidens, quod nobis sufficit.

Adversariorum sensus non necessarius et inevidens.

Ulterior confirmatio.

245. Quapropter S. Doctor distinctioni inter essentiam et esse creaturarum, distinctionique inter creaturas et earum bonitatem *simpliciter*, non opponit divinam identitatem realem, sed identitatem essentialem aut formalem: *Deus est sua essentia, et suum esse — Deus modis omnibus est sua bonitas, et est essentialiter bonus; non autem creaturae simplices, tum quia non sunt suum esse, tum quia ordinantur ad aliquid extrinsecum.* Tum: « Quod alicui essentialiter inest, non potest ei abesse; sicut animal non potest ab homine removeri. Neque igitur Deum possibile est non esse bonum. Et, ut magis proprio utamur exemplo, sicut non potest esse quod homo non sit homo, ita non potest esse quod Deus non sit perfecte bonus » [2]. Et: « Cuius volentis natura est ultimus finis voluntatis ipsius, in hoc defectus voluntariae actionis contingere non potest. Hoc autem solius Dei est. Nam eius bonitas, quae est ultimus finis rerum, est sua natura » [3]. Ut autem essentialis huiusmodi bonitas *solius Dei sit propria*, uti ipse Caietanus auctor est, satis omnino est, ut bonitas *simpliciter* creaturarum non sit ipsis essentialis, sed essentiae superaddita, et consequenter ut esse non sit de essentia creaturarum, sed ab ipsa formaliter distinguatur.

Caietanus.

Adhuc D. Thomas.

246. Legimus: « Dicendum quod secundum tres auctores oportet dicere creaturas non esse bonas per essentiam, sed per participa-

[1] *Contra Gentes, lib. 2. c. 55.* — Vide quae in superioribus allata sunt, cum: *De Ente et Essentia* ageremus.

[2] D. Thomas, *Compendium Theologiae, c. 110.*

[3] *Idem, Ibidem, c. 113.*

tionem, scilicet secundum Augustinum, Boetium et Auctorem libri *De causis*, qui dicit solum Deum esse bonitatem puram : sed tamen diversis rationibus ad unam positionem moventur. Ad cuius evidentiam sciendum est quod, ut ex dictis patet, sicut ens multiplicatur per substantiale et accidentale ; sic bonitas multiplicatur : sed tamen inter utrumque differt. Quia aliquid dicitur ens esse *absolute propter suum esse substantiale ;* sed *propter esse accidentale* non dicitur esse *absolute.* Unde cum generatio sit motus *ad esse*, cum aliquis accipit *esse substantiale*, dicitur generari *simpliciter ;* cum vero accipit *esse accidentale*, dicitur generari *secundum quid :* et similiter est de corruptione, per quam esse amittitur. De bono autem est e converso. Nam secundum substantialem bonitatem dicitur aliquid bonum *secundum quid ;* secundum vero accidentalem dicitur aliquid bonum *simpliciter:* unde hominem iniustum non dicimus bonum *simpliciter*, sed *secundum quid*, in quantum est homo ; hominem vero iustum dicimus simpliciter bonum. Cuius diversitatis ista est ratio. Nam unumquodque dicitur esse ens, in quantum *absolute* consideratur; bonum vero, ut ex dictis patet, secundum respectum ad alia. In seipso autem aliquid perficitur, ut *subsistat per essentialia principia;* sed ut debito modo se habeat ad omnia, quae sunt extra ipsum, non perficitur nisi mediantibus accidentalibus superadditis essentiae; quia operationes, quibus unum alteri coniungitur, ab essentia mediantibus essentiae superadditis progrediuntur : unde *absolute* bonitatem non obtinet, nisi secundum quod completum est secundum substantialia et secundum accidentalia principia. Quidquid autem creatura perfectionis habet ex essentialibus et accidentalibus principiis simul coniunctis, hoc totum Deus habet per unum suum esse simplex..... *Et ideo absoluta bonitas in Deo idem est quod eius essentia : in nobis autem consideratur secundum ea, quae superadduntur essentiae.....* Et secundum hunc modum videtur Augustinus dicere, quod Deus est bonus per essentiam, nos autem per participationem. — Sed adhuc inter Dei bonitatem et nostram alia differentia invenitur. Essentialis enim bonitas non attenditur *secundum considerationem naturae absolutam, sed secundum esse ipsius;* humanitas enim non habet rationem boni vel bonitatis, *nisi in quantum esse habet.* Ipsa autem natura vel essentia divina est eius esse ; natura autem vel essentia cuiuslibet rei creatae non est suum esse, sed esse participans ab alio : et sic in Deo est esse purum, quia ipse Deus est suum esse subsistens ; in creatura autem est esse receptum vel participatum. Unde dico quod *si bonitas absoluta diceretur de re creata secundum suum esse substantiale, nihilominus adhuc remaneret habere bonitatem per participationem, sicut et habet esse per participationem.* Deus autem est bonitas per essentiam, in quantum eius essentia est suum esse. Et haec videtur esse intentio Philosophi in libro *De causis*, qui dicit solam divinam bonitatem esse bonitatem puram. — Sed adhuc alia differentia invenitur inter divinam bonitatem et creaturae. Bonitas enim habet rationem causae finalis. Deus autem habet rationem

causae finalis, cum sit omnium ultimus finis, sicut et primum principium. Ex quo oportet ut omnis alius finis non habeat habitudinem vel rationem finis, nisi secundum ordinem ad causam primam..... Dato igitur quod creatura esset ipsum suum esse, sicut et Deus; adhuc tamen esse creaturae non haberet rationem boni, nisi praesupposito ordine ad creatorem; et pro tanto adhuc diceretur bona per participationem, et non absolute in eo quod est. Sed esse divinum, quod habet rationem boni non praesupposito aliquo, habet rationem boni per seipsum: et haec videtur esse intentio Boetii in libro *De Hebdomadibus* »[1].

Declaratur.

247. Longior quidem locus iste est, sed necessario fuit exhibendus, tum quod plenissime et clarissime in eo quaestio dissolvitur; tum quod ad S. Doctorem intelligendum potest plurimum conferre. Vel ex sola lectione facile percipitur heic eandem illam pertractari quaestionem, quam in *Summa* et in *Compendio* legimus; eodem, *fere ad amussim*, modo declarari ac definiri, quo in *Summa* factum est; ut non immerito quis dixerit *Summae* articulum huius esse articuli compendium. Distinguit utroque in loco S. Doctor bonitatem *simpliciter* et bonitatem *secundum quid*. Asserit solum Deum esse absolute et simpliciter bonum per essentiam, creaturas vero per participationem. Probat: 1.° Quia in Deo omnia, ex quibus resultat absoluta bonitas, sunt essentia; in creaturis vero plura sunt sola accidentia: 2.° Quia, si ad essentialia ad creaturarum bonitatem absolutam concurrentia restringatur quaestio; haec, *prout actu sunt*, Deo competunt per essentiam seu a se, creaturis per participationem seu ab alio: 3.° Quia, dato et non concesso, quod creaturae essent bonae per essentiam seu a se, manentibus tamen creaturis, adhuc solus Deus esset simpliciter bonus per essentiam, et creaturae dici deberent bonae per participationem; quia ratio finis quae ipsis, utpote bonis, competeret, non competeret nisi cum ordine ad Deum finem ultimum, et sic participative. — Si quid autem discriminis est, id solum est, quod hic τὸ *esse* secundo loco consideratur, ibi primo.

Illatio ex data declaratione.

248. Quae cum ita sint, si ibi ex sola distinctione formali inter essentiam et esse asserta in creaturis et negata in Deo intulit Aquinas solum Deum esse bonum per essentiam; ex eadem formali distinctione etiam hic eandem infert conclusionem. Sed hic, praeter communia utrique loco, plura alia sunt, quae speciali quaestioni nostrae lucem effundant. Commune est, quod legimus: « Ipsa natura vel essentia divina est eius esse; natura autem vel essentia cuiuslibet rei creatae non est suum esse, *sed esse participans ab alio*: et sic in Deo est esse purum, quia ipse Deus est suum esse subsistens; in creatura autem est esse receptum vel participatum », *ab alio* nimirum, uti modo dixit. Sermo apertissime hic est de reali entitate vel per essentiam subsistente, vel subsistente per actionem alterius, et sic recepta vel participata; non de entitatula illa Aegidiana, de qua ne cogitabat quidem

Communia huic loco et loco *Summae*.

Excluditur entitatula Aegidiana ex specialibus huius loci.

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De Veritate, q. 21. a. 5. corp.*

S. Doctor. Enimvero ubi definit generales conceptus, ait : « Quia aliquid dicitur ens esse absolute propter suum esse substantiale; sed propter esse accidentale non dicitur esse absolute ». Esse vero substantiale, uti saepe in superioribus legimus, per D. Thomam illud est, quod habetur per formam substantialem ; uti esse accidentale, quod habetur per formam accidentalem. Quare subinde hic dicitur : « In seipso autem aliquid perficitur, ut subsistat per essentialia principia ». Per formam autem substantialem et per essentialia principia habetur ipsa realis quidditas rei, non entitatula aliqua a reali quidditate realiter distincta ; uti per formam accidentalem res non est simpliciter, sed est *aliqualis*. — Rursum : « Cum generatio sit motus ad esse, cum aliquis accipit esse substantiale, dicitur generari simpliciter ; cum vero accipit esse accidentale, dicitur generari secundum quid : et similiter est de corruptione, per quam esse amittitur ». Atqui generatur aliquid simpliciter, dum eius forma ex materia praeiacente educitur et producitur substantia ; corrumpitur vero, dum compositum resolvitur : generatur aliquid secundum quid aut corrumpitur, dum in et ex praeiacente subiecto accidens aliquod producitur, aut amittitur. Ergo accipitur esse substantiale, dum forma ex praeiacente materia educitur et substantia producitur ; corrumpitur esse substantiale, dum corrumpitur substantia aut resolvitur compositum substantiale ; accipitur aut amittitur esse accidentale, dum in et ex praeiacente subiecto accidens aliquod producitur vel amittitur. — Praeterea : « Secundum substantialem bonitatem dicitur aliquid bonum secundum quid ; secundum vero accidentalem dicitur aliquid bonum simpliciter : unde hominem iniustum non dicimus bonum simpliciter, sed secundum quid, in quantum est homo; hominem vero iustum dicimus simpliciter bonum ». Atqui homo, quatenus homo, dicitur bonus secundum quid, ex Aquinate, per essentialia principia, et non per aliquam entitatulam realiter distinctam ; dicitur vero bonus simpliciter mediantibus accidentibus additis essentiae. Ergo e converso dicitur ens simpliciter per essentialia principia, et ens secundum quid per principia accidentalia, sine illa entitatula Aegidiana; hoc enim, ex Aquinate, differt inter ens et bonum. — Quapropter ubi haec principia quaestioni applicat, quam prae manibus habet, concludit : « Unde dico quod si bonitas absoluta (*simpliciter nimirum dicta*) diceretur de re creata secundum suum esse substantiale, nihilominus adhuc remaneret habere bonitatem per participationem, sicut et habet esse participatum ». *Secundum esse substantiale* autem, in hoc loco Aquinatis, idem est ac secundum suam substantiam aut essentiam, et non secundum principia accidentalia. Ergo esse et essentia creata sunt realiter idem, quamvis formaliter differant, quia esse aut realitas essentiae, non ex vi sui, sed ab alio est; ac proinde creata res non est ens simpliciter, neque substantialiter bona per essentiam, sed per participationem. Deus autem est ens et bonus per essentiam, et sic solus per essentiam bonus.

Primo.

Secundo.

Tertio.

249. Doctrina tradita et declarata utitur Aquinas in solutione

Confirmatur ex solutione difficultatum.

Ad 1um.

difficultatum. « Ad 1.um, *ait*, dicendum quod creatura non potest esse non bona bonitate essentiali, quae est bonitas secundum quid; potest tamen non esse bona bonitate accidentali, quae est bonitas absoluta et simpliciter. Et praeterea ipsa bonitas, quae attenditur secundum esse substantiale, non est ipsa essentia rei, sed esse participatum; et hoc, praesupposito ordine ad primum esse per se subsistens ». En tria in corpore declarata. In creatura bonitas simpliciter, praeter essentiam, includit accidentia; essentia ipsa non est a se, sed ab alio; est bona formaliter ex ordine ad ultimum finem. Non proinde essentialiter creaturae bonitas competit, sicut Deo. Quod vero ait: *Ipsa bonitas, quae attenditur secundum esse substantiale, non est ipsa essentia rei, sed esse participatum*, idem valet ac si diceretur: *Non est formaliter ipsa essentia rei, seu non est a se, sed ab alio.* — Obiecerat secundo loco: « Creatura ab eodem habet esse et esse bonum. Sed creatura habet esse per suam essentiam. Ergo est bona per suam essentiam ». Respondet: « Ad 2.um dicendum quod ab eo, a quo res habet esse, habet esse bonum secundum quid, scilicet secundum esse substantiale; non autem ab eo formaliter habet esse simpliciter, et esse bonum simpliciter ». Ergo concedit S. Doctor rem creatam habere esse substantiale per suam essentiam. Et non formaliter. Ergo realiter. Quare in forma respondet: Creatura ab eodem habet esse et esse bonum, *Dist. mai.* Ab eodem habet esse *substantiale*, et esse bonum *simpliciter*, *Neg. mai.* Ab eodem habet esse *substantiale*, et esse bonum *secundum quid*, *Subd. mai. Realiter*, *Conc. mai. Formaliter*, *Neg. mai.* Sed habet esse per suam essentiam, *Dist. min. Realiter*, *Conc. min. Formaliter. Neg. min.* Ergo est bona per suam essentiam, *Contr. consequens.* Est bona simpliciter per suam essentiam, *Neg. consequentiam.* Est substantialiter bona per suam essentiam, *Subd. consequens. Realiter*, *Conc. consequentiam.* Formaliter, *Neg. consequentiam.* Hic ergo profitetur S. Doctor realem identitatem inter essentiam et esse substantiale creati entis, etsi negat formalem. Quam doctrinam insinuat etiam in responsione ad 6.um: « Dicendum, *ait*, quod hoc modo essentia denominatur bona, sicut et ens. Unde sicut habet esse per participationem, ita et bona est per participationem. Esse enim et bonum communiter acceptum est simplicius, quam essentia, quia communius: *cum dicatur non solum de essentia, sed etiam de eo, quod per essentiam subsistit, et iterum de ipsis accidentibus* ». Ergo, ex D. Thoma, de creata essentia actuali, per seipsam inspecta, nulla facta mentione entitatulae Aegidianae, dici vere potest: *Essentia est;* dici item vere potest de accidentibus: *Accidentia sunt;* nec de una, nec de aliis dici potest: *Sunt per essentiam*, sed solum de Deo. Ergo esse, ex D. Thoma, in creato ente *formaliter* ab actuali essentia distinguitur, non *realiter:* saltem hoc evidens non est.

Ad 2um.

Notanda responsio.

Profitetur D. Thomas realem identitatem inter esse substantiale et essentiam, etsi negat formalem.

Ad 6um.

Quaerit IV. *Utrum Deus sit infinitus*, 1. p. q 7. a. 1. et 2.

250. Quaerit IV.: « *Utrum Deus sit infinitus.* — Praeterea: « *Utrum aliquid aliud, quam Deus, possit esse infinitum per essentiam.* — In Commentariis horum articulorum, cum Theologicas Disputatio-

nes in 1.am p.em persequeremur, valorem ontologicum argumentorum, quibus utitur S. Doctor, ex eius mente et methodo conati sumus in perspicuis ponere. Non sunt, quae ibi diximus, hoc loco repetenda, praesertim cum Disputationes illae iam publici sint iuris, et facile possint a studiosis, si non habeantur, conquiri. Heic critice nobis D. Thomae sensus est investigandus. Si quis autem indicata loca vel obiter legat, in ipsis, quod divinum esse non est receptum in aliquo, plane in essentia, vel quod absolute non est receptum, sed est ipsa essentia per se subsistens, infert Aquinas Deum esse simpliciter infinitum illa infinitate, quae se tenet ex parte formae, cum esse sit *maxime formale omnium*, et quae simpliciter perfectionem dicit. E converso vero, quod esse cuiuslibet creati entis, etiam materia non constantis, non est ipsa eius essentia; ac proinde creata quaelibet forma *habet esse et non est suum esse;* infert *esse* eiusmodi esse receptum et contractum ad determinatam naturam, et consequenter non esse simpliciter infinitum. Quapropter nulla creatura est simpliciter infinita, sed solus Deus est simpliciter infinitus. Monitum.

251. Haec obvia sunt ac trita prorsus. Sed enim, post ea, quae huc usque dicta sunt, eorum nequit esse obscura aut difficilis sententia. Ipse Aquinas docuit nos quid sit, ex eius mente, *essentiam esse vel non esse suum esse;* videlicet: *essentiam esse vel non esse totum et solum esse; et totam essendi rationem esse, vel non, de essentia;* non autem: *essentiam esse vel non esse realiter identicam cum suo esse*, quodcumque demum hoc sit. Docuit etiam receptionem τοῦ *esse* in essentia non esse receptionem propriam et physicam, sed analogicam et metaphysicam, quae proinde, quantum est de se, optime stat cum physica aut reali identitate inter essentiam et esse. Ex eo ergo quod Aquinas docet Deum esse simpliciter infinitum, quia sua essentia est suum esse, et Dei esse non est receptum in essentia, sed est irreceptum; creaturam vero omnem esse simpliciter finitam, quia sua essentia non est suum esse, et quia cuiusque creaturae esse est receptum in essentia; non sequitur, ex mente Angelici, in creatis esse ab essentia realiter distingui, sed sequitur solum formaliter distingui, seu distingui distinctione non formaliter reali, sed fundamentaliter reali. Et revera illud prius sequeretur, si ex eius mente et doctrina τὸ *esse* creatum, secus ac in Deo est, physice et proprie reciperetur in essentia, non autem metaphysice et improprie, quatenus non est de essentia creati entis. Atqui, ex probatis, secus res habet. Ergo ex eo quod S. Doctor dicit essentiam creatam non esse suum esse, et esse creatum recipi in essentia, non sequitur ex eius mente inter actualem essentiam et esse creati entis dari distinctionem formaliter realem, sed dari solum distinctionem fundamentaliter realem. Hoc necessarium et evidens est; illud prius nec necessarium, nec evidens. Post dicta. D. Thomae nequit esse obscura aut difficilis sententia. Probatur

252. Adde quod in sensu nostro invicta est demonstratio D. Thomae, utut ad eius vim sentiendam sit plenius evolvenda: in sensu adversariorum est revera nulla et impertinens. Nam si essentia In sensu adversariorum probatio D. Thomae nulla et impertinens.

non est formaliter τὸ *esse*, sed formaliter *habet esse*, quamvis hoc *esse* sit ipsi realiter identicum, non exsistit ex vi sui, sed necessario habet esse aut realis est ab alio; hoc enim esse ipsi identicum, cum non sit de eius ratione, necessario ipsam relinquit in sui ratione indifferentem ad esse vel non esse, seu ut realis sit, vel non realis; et consequenter, ut sit vel realis sit, ab alio debet esse, aut *esse* recipere. At si non exsistit ex vi sui, sed ab alio, nequit in se includere totam essendi plenitudinem, in qua ipsa essendi necessitas continetur. *Esse* vero, aut realitas, aut actualitas, quam ab alio recipit dum producitur, cum ipsi essentiae coaptetur aut commensuretur, seu sit ipsa actualis essentia, nequit latius patere, quam ipsa essentia: atque adeo sicut ipsa non est ex se aut ex sui conceptu illimitata, sed limitata; sic eius esse, quod est ipsa prout realis est, non erit illimitatum, sed limitatum. At vero si τὸ *esse* sit formaliter ipsa essentia aut de ratione essentiae, et consequenter nec metaphysice in essentia recipiatur; huiusmodi essentia erit ens a se et necessarium, nullam habens incapaxque habendi ullam limitationis causam, includens proinde totam essendi rationem, simpliciter demum infinitum. Aut ergo verba D. Thomae intelliguntur de identitate et non identitate formali inter essentiam et esse, et de receptione vel irreceptione metaphysica τοῦ *esse* in essentia, et demonstratio D. Thomae invicta est quoad utramque assertionis partem, quam debet ostendere; aut intelliguntur de identitate et non identitate reali et de physica, si dari potest, receptione vel irreceptione τοῦ *esse* in essentia, et ex reali identitate et irreceptione non probatur Deum esse simpliciter infinitum. Realis vero distinctio et receptio τοῦ esse in essentia, si dari potest, non sunt necessariae ad ostendendum creaturas esse simpliciter finitas. Demonstratio ergo D. Thomae, in sensu adversariorum, esset aut nulla, aut impertinens.

Quid D. Thomas in demonstrando prae oculis habuit.

253. Et D. quidem Thomas in sua demonstratione illam identitatem et non identitatem τοῦ *esse* et essentiae, illamque receptionem vel irreceptionem τοῦ *esse* in essentia prae oculis habuit, ex qua vel necessario excluditur limitatio tum *superius*, tum *inferius*, vel necessario infertur limitatio et *superius* et *inferius*, aut certe limitatio *superius*. Legimus enim in *De Ente et Essentia* substantias immateriales, quamvis quoad suam quidditatem non sint *inferius* limitatae, quia non receptae in materia, et sic sint secundum quid infinitae; tamen, cum sint limitatae *superius*, quia esse a Deo recipiunt, esse simpliciter finitas. Atqui identitas formalis τοῦ *esse* et essentiae et formalis irreceptio τοῦ esse in essentia excludunt necessario limitationem tum *superius*, tum *inferius;* non identitas autem formalis τοῦ *esse* et essentiae, et formalis receptio τοῦ *esse* in essentia includunt necessario limitationem τοῦ *esse*, seu ipsius essentiae prout realis est, *superius* et possunt includere *inferius;* identitas demum realis τοῦ esse et essentiae et realis irreceptio τοῦ *esse* in essentia quamvis pro statu reali, non formali, excluderent in substantiis immaterialibus limitationem *inferius*, atque porro eas sisterent secundum quid illimitatas; non excluderent, imo in-

Declaratur primo

ferrent limitationem *superius*, et sic eas sistunt simpliciter limitatas. Ergo. Eo vel magis quod realis identitas essentiae et esse et realis irreceptio τοῦ esse in essentia per se a Deo non excluderent limitationem *superius;* et realis distinctio τοῦ *esse* et essentiae, ac realis receptio, si dari potest, τοῦ *esse* in essentia in creaturis ad eas exhibendas simpliciter limitatas non requiruntur, cum formalis distinctio et formalis receptio sufficiant.

254. Hunc, quem dicimus esse D. Thomae sensum in hoc loco, quamvis ex articulorum corpore satis intelligamus, plenius perspicimus in : *Sed contra* et *ad 1.um* articuli secundi, ubi limitationem *superius*, fundatam in formali distinctione essentiae et *esse* creaturarum, S. Doctor apertissime prodit. Ait enim : « Sed contra est, quod infinitum non potest esse ex principio aliquo, ut dicitur in *III. Physic. text. 30.* Omne autem, quod est praeter Deum, est ex Deo sicut ex primo principio. Ergo nihil, quod est praeter Deum, potest esse infinitum ». En hic limitationem *superius.* Rursum : « Ad 1.um ergo dicendum quod hoc est contra *rationem facti*, quod essentia rei sit ipsum esse eius ; quia esse subsistens non est esse creatum : unde contra *rationem facti* est, quod sit simpliciter infinitum. Sicut ergo Deus, licet habeat potentiam infinitam, non tamen potest facere *aliquid non factum* (hoc enim esset contradictoria esse simul) ; ita non potest facere *aliquid infinitum simpliciter* ». Itaque limitatio illa *superius* necessario habetur in creatura ex eo, quod contra eius rationem aut essentiam sit *non esse factam*, sed ex vi suae essentiae seu a se esse. Esse igitur, prout essentialiter aut non essentialiter competit essentiae, et consequenter prout formaliter aut ne quidem formaliter ab ipsa distinguitur, D. Thomae ratio est, ut creaturam dicat simpliciter finitam, Deum autem simpliciter infinitum : de impertinenti vero distinctione aut indistinctione formaliter reali certo certius ne quidem cogitavit. Secundo.

255. Legimus : « Dicendum quod, secundum Philosophum *in V. Metaph.*, finis vel terminus multipliciter dicitur. Uno modo, terminus quantitatis..... Dicitur alio modo finis quantum ad essentiam rei, sicut ultima differentia constitutiva est ad quam finitur essentia speciei. Unde illud, quod significat essentiam, vocatur definitio vel terminus. Et sic dicitur unumquodque finiri per illud, quod determinat vel contrahit essentiam suam : sicut natura generis, quae de se est indifferens ad multa, finitur per unam differentiam ; et materia prima, quae de se est indifferens ad omnes formas, unde et infinita dicitur, finitur autem per formam ; et similiter forma quae, quantum in se est, potest perficere diversas partes materiae, finitur per materiam, in qua recipitur. Et ita a negatione talis finis essentia divina infinita dicitur. Omnis enim forma in propria ratione, si abstracte consideretur, infinitatem habet ; sicut in albedine abstracte intellecta ratio albedinis non est finita ad aliquid, sed tamen ratio coloris et ratio essendi determinatur in ea, et contrahitur ad determinatam speciem. Et ideo illud, quod habet esse absolutum et nullo modo receptum in Adhuc D. Thomas.

aliquo, imo ipsemet est suum esse, illud est infinitum simpliciter: et ideo essentia eius infinita est, et bonitas eius, et quidquid aliud de eo dicitur; quia nihil eorum limitatur ad aliquid, sicut quod recipitur in aliquo, limitatur ad capacitatem eius. Et ex hoc, quod essentia est infinita, sequitur quod potentia eius infinita sit »[1]. — Rursum : « Dicendum quod virtus vel potentia semper consequitur essentiam. Unde impossibile est, ut essentiae finitae sit virtus infinita. Impossibile est autem aliquam essentiam creatam esse infinitam, eo quod esse suum non est absolutum et subsistens, sed receptum in aliquo. Si enim esset absolutum, non differret ab esse divino. Non enim potest esse pluralitas alicuius naturae, sicut albedinis, vel vitae, nisi hoc modo, quod unum sit absolutum, et aliud alteri coniunctum, vel utrumque in diversis receptum, eo quod substantia uniuscuiusque rei sit simul, ut *ex V. Metaph.* Unde sicut nulli creaturae potest communicari, quod sit Deus; ita non potest communicari quod sit infinitae essentiae, infinitae potentiae, et quod omnipotentiam habeat »[2].

Declaratur.

256. Haec non egent longiori expositione. Illa eadem sunt, quae modo legimus *in Summa Theologica*, quae iam saepe in superioribus declarata sunt. Praestat tamen aliqua notare, ex quibus expositiones nostrae confirmentur. Principio quidem ex hoc loco colligimus non requiri distinctionem formaliter realem, sed formalem aut fundamentaliter realem sufficere, ut unum ab alio dicatur finiri aut limitari : « Dicitur alio modo finis, *inquit*, quantum ad essentiam rei, *sicut ultima differentia constitutiva est ad quam finitur essentia speciei*..... Et sic dicitur unumquodque finiri per illud, quod determinat vel contrahit essentiam suam, *sicut natura generis, quae de se est indifferens ad multa, finitur per unam differentiam* ». Genus autem et differentia in uno et eodem non distinguuntur realiter, sed formaliter. Ergo ex eo solo, quod τὸ *esse* ab essentia et in essentia creata limitatur, non necessario sequitur ex D. Thomae mente creatum *esse* ab essentia realiter distingui. —

Notantur aliqua.

Primum.

Non requiritur realis distinctio, ut unum ab alio limitetur.

Secundum.

Praeterea : « Omnis forma, *inquit*, in propria ratione, si abstracte consideretur, infinitatem habet; sicut in albedine abstracte intellecta ratio albedinis non est finita ad aliquid, *sed tamen ratio coloris, et ratio essendi determinatur in ea et contrahitur ad determinatam speciem. Et ideo illud, quod habet esse absolutum et nullo modo receptum in aliquo, imo ipsemet est ipsum esse...* ». Ex quibus bina habentur. Primum est : *Receptionem et receptum*, apud D. Thomam, non necessario nec semper significare *receptionem physicam*, sed vel *physicam vel metaphysicam*, prout id, quod recipit, et id, quod recipitur, sunt res, aut rationes obiectivae. Ex antecedentibus et consequentibus patet *colorem recipi in albedine*, in qua determinatur et contrahitur. Huiusmodi autem receptio evidenter non est physica, sed metaphysica, nec supponit res distinctas, sed rationes distinctas. Ex eo ergo solo, quod τὸ *esse* a D. Thoma

[1] D. Thomas, *In I. Dist. 43. q. 1. a. 1. corp.*
[2] *Idem, Ibidem, a. 2. corp.*

dicitur *recipi in essentia*, non sequitur necessario ex eius mente esse *recipi physice*, et *realiter distingui;* sed hoc aliunde est probandum, aut supponendum, uti communiter supponunt adversarii. Alterum est, clare hic D. Thomam docere τὸ *esse* non rebus, sed rationibus obiectivis esse accensendum: *Ratio albedinis et ratio essendi*, ait. Istam autem essendi rationem confert cum absoluto et irrecepto Dei *esse*. Nequit ergo dici: *Rationem essendi* significare rationem essentiae; sed dici debet vel significare rationem τοῦ *esse*, vel rationem realis essentiae, eiusve actualitatem. Ergo ex eo quod D. Thomas hic docet Deum esse simpliciter infinitum, quia sua essentia est suum esse, et quia suum esse est ipsum esse subsistens et irreceptum; creaturam vero omnem esse simpliciter finitam, quia nulla creata essentia est suum esse, et quia omne esse creatum recipitur in essentia et ad eius capacitatem limitatur; non sequitur necessario ex eius mente τὸ *esse* creatum ab actuali essentia realiter distingui in sensu adversariorum; sed, datis propriis huius loci notis, potius sequitur oppositum: ut minimum dicamus, sensus adversariorum evidens non est.

Per D. Thomam τὸ *esse* est *ratio quaedam.*

257. Legimus: « Omnis actus alteri inhaerens terminationem recipit ex eo, in quo est; quia quod est in altero, est in eo per modum recipientis. Actus igitur in nullo exsistens, nullo terminatur: puta, si albedo esset per se exsistens, perfectio albedinis in ea non terminaretur, quominus haberet quidquid de perfectione albedinis haberi potest. Deus autem (*lit. cod. autogr.* Esse autem divinum) est actus nullo modo in alio exsistens; quia nec est forma in materia, ut probatum est [1]: nec esse suum inhaeret alicui formae vel naturae, cum ipse sit suum esse, ut supra ostensum est [2]. Reliquitur igitur ipsum esse infinitum » [3].

Adhuc D. Thomas.

258. Heic S. Doctor probat Deum esse simpliciter infinitum, quia est actus nullo modo in alio exsistens; et nullo modo in alio exsistit, quia nec est forma in materia, nec suum esse inhaeret alicui formae vel naturae; et non inhaeret, quia est suum esse. Ex quo sequitur inhaerentiam τοῦ *esse* in forma vel natura, de qua loquitur, illam esse, quae excluditur ex hoc, quod τὸ *esse* sit de rei essentia. Non proinde est stricta inhaerentia, quae propria est accidentis physici; sed inhaerentia latior, quae accidenti etiam metaphysico aut logico potest competere. Ceterum ostendimus in superioribus per D. Thomam τὸ *esse* creatum non esse *per se* accidens physicum, sed accidens metaphysicum aut logicum, aliquid nimirum praeter rei essentiam ipsi adveniens. Quare S. Doctor non semper insistit in τοῦ *esse inhaerentia;* sed quandoque dicit *adhaerentiam*, quandoque aliud; ut nimirum significet non *proprie* huiusmodi verba adhibere, sed *proportionaliter*. Itaque quamvis hic diceret, quod non facit, creatum *esse* enti creato *inhaerere*,

Declaratur.

[1] D. Thomas, *Contra Gentes, lib. 1. cc. 26. 27.*
[2] *Idem, Ibidem, c. 21.*
[3] *Idem, Ibidem, c. 43.*

atque porro nullum creatum ens esse simpliciter infinitum ; non inde sequeretur creatum esse, ceu proprium accidens, realiter distingui ab essentia, sed sequeretur solum non esse de essentia, et consequenter formaliter seu realiter fundamentaliter ab ipsa distingui. — Notandum etiam hoc loco S. Doctorem notionem ingerere limitationis *superius*, seu a causa efficiente, nulla explicite ingesta notione limitationis *inferius*, seu ex subiecto aut quasi-subiecto : ex quo sequi videtur *susceptivum*, etiam metaphysicum ac multo magis physicum, non esse necessarium, ut aliquid intelligatur simpliciter limitatum. Ait enim : « Ipsum esse absolute consideratum infinitum est. Nam ab infinitis et infinitis modis participari possibile est. Si igitur alicuius esse sit finitum, oportet quod limitetur esse illud per aliquid aliud, quod sit aliqualiter causa illius esse. Sed esse divinum (*divini*) non potest esse aliqua causa ; quia ipse est necesse esse per seipsum. Igitur esse suum est infinitum, et ipse infinitus » [1].

Videtur S. Doctor nullum *susceptivum* ad aliquid limitandum requirere.

Adhuc D. Thomas.

259. Legimus : « Infinitum dicitur dupliciter. Uno modo *privative :* et sic dicitur infinitum, quod natum est habere finem, et non habet : tale autem infinitum non invenitur nisi in quantitatibus. Alio modo dicitur infinitum *negative*, id est, quod non habet finem. Infinitum primo modo acceptum Deo convenire non potest ; tum quia Deus est absque quantitate ; tum quia omnis privatio imperfectionem designat, quae longe a Deo est. Infinitum autem dictum negative convenit Deo quantum ad omnia, quae in ipso sunt ; quia nec ipse aliquo finitur, nec eius essentia, nec sapientia, nec potentia, nec bonitas : unde omnia in ipso sunt infinita. Sed de infinitate eius potentiae specialiter sciendum est quod, cum potentia activa sequatur actum, quantitas potentiae sequitur quantitatem actus ; unumquodque enim tantum abundat in virtute agendi, quantum est in actu. Deus autem est actus infinitus. Quod patet ex hoc, quod actus non finitur nisi dupliciter : uno modo ex parte agentis, sicut ex voluntate artificis recipit quantitatem et terminum pulchritudo domus : alio modo ex parte recipientis, sicut calor in lignis terminatur et quantitatem recipit secundum dispositionem lignorum. Ipse autem divinus actus non finitur ex aliquo agente ; quia non est ab alio, sed a seipso: neque finitur ex aliquo recipiente ; quia, cum nihil potentiae passivae ei admisceatur, ipse est actus purus, non receptus in aliquo; est enim Deus ipsum esse suum in nullo receptum. Unde patet quod Deus est infinitus : quod sic videri potest. Esse enim hominis terminatum est ad hominis speciem ; quia est receptum in natura speciei humanae : et simile est de esse equi, vel cuiuslibet creaturae. Esse autem Dei, cum non sit in aliquo receptum, sed sit esse purum, non limitatur ad aliquem modum perfectionis essendi, sed totum esse in se habet : et sic sicut esse in universali acceptum ad infinita se potest extendere ; ita divinum esse infi-

[1] *Idem, Ibidem, arg. 5.*

nitum est. Et ex hoc patet quod virtus vel potentia sua activa est infinita »[1].

260. Speciale in hoc loco nihil est, quod adversariis possit favere. Infert Aquinas infinitatem simpliciter divini actus, quod divinum esse non sit in aliquo receptum, sed sit totum purum esse; secus ac in creaturis accidit, in quibus, cum esse in determinata specie recipiatur, ad eandem finitur aut limitatur. Nullum autem verbum est, nulla ratio, quae demonstret sermonem esse, hoc loco, de receptione et irreceptione physica, non autem de metaphysica. Imo, quandoquidem S. Doctor eodem pacto loquitur de irreceptione divini esse et de creati esse receptione in essentia; irreceptio autem divini esse necessario debet intelligi metaphysica, ne Deus non habeat esse per suam essentiam, et irreceptio physica est prorsus impertinens, utpote insufficiens ad puritatem divini esse adstruendam; fit ut receptio creati esse in essentia specifica etiam metaphysice sit intelligenda; et consequenter, etiam in hoc loco uti in locis similibus, non plus det, quam distinctionem formalem aut fundamentaliter realem inter creati entis essentiam et esse. Innuit contra hic S. Doctor τὸ *esse* nihil aliud in re esse, quam realem ipsam rei perfectionem, limitatam aut illimitatam, prout est ipsa rei quidditas. *Esse hominis*, inquit, *terminatum est ad hominis speciem..... Esse autem Dei, cum... sit esse purum, non limitatur ad aliquem modum perfectionis essendi, sed totum esse in se habet.* Esse ergo et perfectio essendi, ac porro specifica in creaturis perfectio unum in re idemque sunt. — Non vacat innuere, etiam hic docere Aquinatem limitationem *superius* et *inferius*, et quidem divisim; ut eos videatur damnasse adversarios qui, imprudentissime, ex sola limitatione aut illimitatione *inferius* vellent finitionem infinitatemque entis adstruere.

Declaratur.

Ex S. Doctore τὸ *esse* est ipsa realis rei perfectio.

261. Legimus: « Nullus actus invenitur finiri nisi per potentiam, quae est vis receptiva; invenimus enim formas limitari secundum potentiam materiae. Si igitur primum movens est actus absque potentiae permixtione, quia non est forma alicuius corporis, nec virtus in corpore; necessarium est ipsum infinitum esse »[2]. — Verum patet etiam oculis lippientibus hanc non esse plenam demonstrationem, sed rudimentum quoddam demonstrationisque adumbrationem, quae principiorum declaratione complenda est, ne nimis probet et nihil probet. Ut iacet enim, probaret etiam Angelos esse infinitos; quod a D. Thomae mente longissime abest. Itaque principium demonstrandi intelligendum est iuxta totam doctrinam S. Doctoris, quam in *Sectione* I., cum de limitatione actus per potentiam ageremus, abunde declaravimus. Sensus est: Omnis actus limitatus limitatur per potentiam receptivam proportionatam, physicam nimirum, aut metaphysicam, aut logicam, prout ipse actus est. In quo ergo nulla est potentiae permixtio, nulla esse potest actus limitatio. In Deo nulla potentiae permixtio, cum corporeus

Adhuc D. Thomas.

Declaratur.

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De Potentia, q. 1. a. 2. corp.*
[2] D. Thomas, *Compendium Theologiae, c. 18.*

non sit, et sit primum movens, omnino proinde in actu. Ergo nulla etiam limitatio. Receptio vero formae in materia, tanquam exemplum aut indicatio probationis affertur. Divini ergo actus aut esse illimitatio simpliciter non ex physica irreceptione aut ex reali identitate inter essentiam et esse, quae non excluderet omnem permixtionem potentiae; sed ex irreceptione metaphysica aut ex formali seu essentiali identitate, quae obiectivam omnem potentialitatem sola excludit, hic virtualiter et obscurius, alibi formaliter et clarius, reapse infertur. Hinc autem ius est, uti saepe ostendimus, inferendi inter creati entis actualem essentiam et esse distinctionem formalem aut fundamentaliter realem, non autem formaliter realem.

Quid iuris?

262. Ex eodem principio τοῦ *esse* formaliter identici cum essentia in Deo, formaliter distincti in creaturis, proxime aut remote, infert Angelicus fere reliquas perfectiones divinas, solum nimirum Deum esse immensum stricte et proprie, solum immutabilem, solum aeternum etc. In quibus cum nihil sit, quod specialem ingerat difficultatem, quae non possit ex dictis sufficientissime dissipari; quamvis sit aliquid, quod posset nobis esse praesidio; non putamus cum iactura temporis longius nobis esse immorandum.

Heic sistendum.

Quare?

De iis, quae ex distinctione inter essentiam et esse infert relate ad potentias et operationes substantiarum, praesertim spiritualium.

Triplex quaestio.

263. In quaestione 54. 1. p. tribus prioribus articulis triplicem S. Doctor simplicissimis verbis sibi proponit quaestionem: 1.ª *Utrum intelligere Angeli sit eius substantia*, aut essentia: 2.ª *Utrum intelligere Angeli sit eius esse:* 3.ª *Utrum potentia operativa Angeli sit eius essentia.* Non quaerit autem: *Utrum potentia operativa Angeli sit eius esse*, uti quaesivit de *intelligere;* quia evidentissimum putavit τὸ *esse* non posse ratione ulla potentiis accenseri.

Triplex responsio negans.

264. Triplici autem quaestioni tripliciter negando respondet. Probat autem 1.ᵐ negationem argumentando: — α) in *Sed contra* a maiori ad minus: Esse Angeli non est eius essentia. Ergo multo minus est eius essentia operatio aut eius intelligere; quia operatio, ut notum est, plus differt ab essentia, quam eius esse. Hoc autem de qualibet alia creatura est etiam intelligendum: — β) In *corpore* vero eandem probat negationem ex conceptu actus aut actualitatis competentis τῷ *esse* et actioni: Essentia Angelica, inquit, non est sua actualitas. Ergo non est sua intellectio et sua actio. *Ant.* patet; secus enim essentia Angelica esset actus purus, quod soli Deo competit; cum omnis creatura habeat aliquid de potentia admixtum. *Consequentia* probatur. Nam si non est sua actualitas, neque est actus essendi, neque est actus operandi. At si non est actus essendi, nec actus operandi, non est sua intellectio aut operatio, uti non est suum esse. Ergo si non est sua actualitas, non est sua intellectio aut operatio.

Ratio 1.ae negationis in *sed contra*.

Corporis articuli ratio.

265. Probat 2.ᵐ negationem. Esse Angeli, imo cuiuslibet creaturae, non est actio neque transiens, neque immanens. Non *tran-*

Ratio 2.ae negationis in corpore articuli.

siens; quia *esse* est in agente, actio autem transiens est in passo, aut extra agens, ut agens. Non *immanens;* quia esse Angeli est determinatum ad unum secundum genus et secundum speciem; actio vero immanens, uti intelligere, velle, sentire, ex vi obiecti formalis determinatur ad speciem, sed secundum genus habet infinitatem aut simpliciter, aut secundum quid. Ergo intelligere Angeli non est eius esse. Quapropter solum divinum esse, quod simpliciter infinitum est, est suum intelligere et suum velle.

Ratio 3.ae negationis in corpore articuli.

266. Probat 3.am negationem ex probata differentia inter *esse* et *agere* Angelorum et creatarum substantiarum. Quaelibet potentia, ait, ordinatur ad proprium actum. Ergo ubi actus sunt distincti, distinctae etiam sunt inter se potentiae. Atqui, ex demonstratis, τὸ *esse*, quod est actus essentiae, distinguitur ab operatione, quae est actus potentiae operativae. Ergo etiam essentia distinguitur a potentia operativa Angeli, imo a potentia cuiuslibet creaturae.

Quaestio critica.

267. Hisce, de quibus nulla esse potest disceptatio, breviter declaratis, quaestio nunc est: Intelligenda necne sint in sensu *reali*, an vero in sensu *formali*. Quaerit nimirum D. Thomas: Utrum intelligere Angeli secundum suum formalem conceptum sit ipsa Angeli quidditas; et quidditas secundum suum formalem conceptum sit ipsum Angeli intelligere: atque idem dic de *esse*, et de *potentia intellectiva;* an vero: Utrum intelligere Angeli sit secundum rem ipsa Angeli quidditas; et quidditas secundum rem sit ipsum Angeli intelligere: idemque dicendum est de *esse*, et de *potentia intellectiva*. — Plures putant quaestiones propositas in sensu reali ab Angelico agitari. In commentario articuli primi scribit Caietanus: « Ista quaestio est cum philosophis tenentibus in substantiis immaterialibus omnino, quales sunt intelligentiae, nullum esse accidens, ut Averroes tenet in *12. Metaph. comm. 25.* ». Ac rursum. Si propositiones assumptae a S. Doctore: « Intelligendae sunt materialiter, tunc etiam duo sequuntur inconvenientia. Primo, petitio principii in maiore, dicendo: *Solus actus purus est sua actualitas*, id est, *operatio.* Hoc est enim, quod vertitur in dubium, et quod a sectatoribus oppositae opinionis negatur, ut patet de Averroe *12. Metaph. comm. 25.* ». Iuxta Caietanum ergo D. Thomas in sensu reali quaestionem movet, in sensuque distinctionis realis definit, quamvis, ut subinde dicit, propositiones assumptae ad probandum sint formaliter intelligendae.

Quae dicit S. Doctor, intelligendane sunt in sensu reali, an in sensu formali?

Plurium sententia.

Caietanus.

268. Sed enim de controversia cum veteribus philosophis nihil hic explicite innuit Aquinas: fere ubique vero, uti in superioribus vidimus, ubicumque agit de substantiis immaterialibus, eas divinae simplicitatis puritatisque gradum haudquaquam attingere conatur ostendere. Hoc alterum etiam in praesenti, directe saltem, prosequi videtur; praesertim cum etiam hic, sin minus asserendo, facto tamen ipso immateriales substantias cum Deo comparet. Non negarim enimvero Angelicum operationes substantiae Angelicae et cuiuscumque creaturae, praesertim si immanentes sint, aut formaliter secundum respectum, quem dicunt ad agens, con-

Quid Angelicus?

Directe.

Consecutive.

siderentur, noluisse inter accidentia aliquo modo realiter a suo principio distincta amandare. Ast hoc corollarium totius doctrinae videtur esse; non autem id, quod immediate et directe in singulis articulis intenditur, ut ex dicendis plenius intelligetur.

Opinio nostra.

269. Opinamur ergo D. Thomam immediate et directe in tribus articulis in sensu formali quaestiones proponere ac solvere. Mo-

Probatur, primo ex modo loquendi.

vemur autem: 1.° Quod loquutiones, quas adhibet, apud ipsum non solum sensum formalem possunt habere; sed, ex huc usque dictis, regulariter habent. Quaerit: *Utrum intelligere Angeli sit eius substantia — sit eius esse — Potentia intellectiva sit eius essentia.* Non dicitur hic: *Realiter* an *formaliter.* Sed evidenter potest intelligi: *Formaliter.* Tum: *Nullius creati esse est eius substantia; hoc enim solius Dei proprium est.* Rursum: *Impossibile est quod aliquid, quod non est actus purus,..... sit sua actualitas.* Praeterea: *Esse Angeli non est intelligere eius.* Ad haec: *Nec in Angelo, neque in aliqua creatura virtus vel potentia operativa est idem quod sua essentia.* Huiusmodi autem loquutiones, praesertim ubi dicitur: *Sua actualitas — Sua essentia*, certissime apud D. Thomam formales

Secundo ex rebus.

sunt. — Tum: 2.° sic D. Thomas intelligere Angeli negat esse suam essentiam, et suum esse; uti affirmat in Deo solo: *Suam substantiam esse suum esse et suum agere;* haec enim in hisce articulis evidenter sibi ipsis opponit. At hoc alterum in D. Thoma

Tertio ex responsione ad 1.um a. 1.

sensum habet formalem. Ergo etiam primum. — Praeterea: 3.° In responsione ad 1.um art. 1.^{mi} S. Doctor ait: *Cum dicitur quod intellectus agens est sua actio, est praedicatio non* PER ESSENTIAM, *sed per concomitantiam; quia cum sit in actu eius substantia, statim, quantum est in se, concomitatur ipsam actio: quod non est de intellectu possibili, qui non habet actiones, nisi postquam fuerit factus in actu.* Notandum S. Doctorem eiusdem quaestionis art. 4. negare in Angelo intellectum agentem, qui dicitur *sua actio per concomitantiam.* Itaque in responsione virtualiter quidem negat substantiam Angeli esse suum intelligere *per concomitantiam;* formaliter tamen negat esse suum intelligere PER ESSENTIAM. Hoc alterum ergo in articulo intendit. Angelum autem non esse per essentiam suum intelligere est sensus essentialis aut formalis, non autem realis, uti saepe ostensum est. De distinctione igitur formali in articulo

Quarto ex responsione ad 2.um a. 2.

S. Doctor loquitur. — Tandem: 4.° In responsione ad 2.um art. 2. habet: « Ipsa essentia Angeli est ratio totius eius esse, non autem est ratio totius eius intelligere; quia non omnia intelligere potest per suam essentiam: et ideo *secundum propriam rationem*, in quantum est talis essentia, comparatur ad ipsum esse Angeli; sed ad eius intelligere comparatur secundum rationem universalioris obiecti, scilicet *veri*, vel *entis.* Et sic patet quod licet sit eadem forma; non tamen *secundum eandem rationem est principium essendi et intelligendi.* Et propter hoc non sequitur quod in Angelo sit idem esse et intelligere ». De formalibus igitur rationi-

Non agitur de distinctione reali, sed de formali, saltem directe.

bus, saltem directe et immediate, sermo est, non de rebus; nec consequenter de distinctione reali, sed de formali proprie agitur.

270. Age iam si non in sensu formali, sed in sensu reali, seu

si non ad adstruendam, saltem directe et immediate, distinctionem formalem inter essentiam et intelligere Angeli etc., sed ad adstruendam distinctionem realem agitaretur et solveretur quaestio, argumenta S. Doctoris non essent demonstrativa. Tuetur id aperte Toletus in hunc D. Thomae locum. Postquam enim assertionem et argumenta retulit S. Doctoris, sequentia profert: « DUBIUM UNICUM. Adverte, si S. Thomas his argumentis tantum vellet concludere, intelligere distingui ab Angeli essentia seu substantia, utique intentum haberet: tamen non solum hoc, sed distinctionem realem persuadere, imo demonstrare conatur. Et hanc, iudicio meo, non probat sufficienter, quidquid velit Caietanus, qui multa verba inutiliter consumit. Omnia enim inconvenientia, ad quae argumenta deducunt, per distinctionem rationis ratiocinatae excusantur. Potest igitur ad singula sic responderi » [1]. Et subinde solvit S. Doctoris argumenta. Non placet sensus, quem Toletus, non ex D. Thoma sed ex communiori Thomistarum interpretatione, D. Thomae tribuit: illo tamen sensu dato, certum nobis videtur quod ait Toletus, argumenta in illo sensu, quidquid dicat Caietanus, non esse demonstrativa.

Si non in sensu formali definirentur quaestiones tres, argumenta S. Doctoris non essent demonstrativa.

Toletus de articuli 1. argumentis.

Non omnino placet Toletus.

271. Caietanus ergo non solum multa verba inutiliter consumit, ut ait Toletus; sed etiam, quin D. Thomam ex ipso Thoma declaret, mirum quantum lectorem fatiget. Argumentum, quod est in: *Sed contra*, nullo modo discutit; ea forsan ductus ratione, quod in: *Sed contra* D. Thomas non semper demonstrativas probationes exhibet, uti constat vel ex eo, quod aliquando non sunt nisi auctoritates huius aut illius philosophi; aliquando vero ab ipso S. Doctore, post reliqua, solvuntur. Ut autem 1.um argumentum declaret, cavillatur primum super formali materialive propositionum assumptarum intellectu: sed tandem concedit propositiones in sensu formali esse accipiendas, ac de varia ratione se habendi formalitatum longum iterum miscet sermonem. His missis, proponit Angelici argumentum sequenti pacto: « Solus actus purus est sua actualitas. Solus Deus est actus purus. Ergo solus Deus est sua actualitas. Sed agere est proprie actualitas virtutis, quemadmodum esse est propria actualitas essentiae. Igitur solus Deus est suum esse et suum agere ». Subdit postea vim huius argumenti in eo sitam esse, quod: « Quae se habent, *inquit*, ut proprius actus et propria potentia, non sunt idem nisi in actu puro. Virtus et operatio se habent ut proprius actus et propria potentia. Ergo. Maior fundatur super hoc: quia talia in quocumque inveniuntur cum ratione actus et potentiae, inter se distinguuntur realiter. Ergo a destructione fundamenti, si non distinguuntur realiter, non salvantur coniuncta ut proprius actus et propria potentia. Ergo aut utrumque in illo habebit rationem potentiae, quod est impossibile, aut utrumque rationem actus..... Ergo est actus purus, qui eminenter continet in se et rationem actus, et rationem potentiae: et ex eo, quod actus, actualitatem habet;

Caietanus.

D. Thomae argumentum a Caietano propositum.

[1] Toletus, *Enarratio in 1.am p.em D. Thomae q. 54. a. 1.*

ex eo vero, quod purus, imperfectionem omnem potentialitatis excludit ».

Crisi Caietanus subiicitur primo.

272. At vero demus Caietano expositionem argumenti D. Thomae. Quod vero ait, vim illius argumenti in eo principio fundari: *Quae se habent ut proprius actus, et propria potentia, non sunt idem nisi in actu puro;* id enimvero nequit concedi. D. Thomas non arguit ex conceptu *proprii actus* et *propriae potentiae* in sensu Caietani; neque poterat sic arguere, nisi Caietani minorem aliunde demonstrasset, sine petitione principii; sed arguit ex conceptu *actus* et *potentiae*, ut sic. Dicit quidem actionem esse *proprie actualitatem virtutis*, non autem esse *propriam*, id est physicam *actualitatem* aut *proprium* seu physicum *actum virtutis.* Hoc alterum innuit actionem secundum realem ac physicam proprietatem, non autem secundum metaphysicam rationem esse virtutis actualitatem: illud prius hoc ultimum tantum postulat, ut nimirum secundum metaphysicam aut intelligibilem rationem actio, ut actio,

Secundo.

sit aut concipienda sit tanquam virtutis actualitas. — Adde, quod S. Doctor sic dicit actionem esse actualitatem virtutis, *sicut esse est actualitas substantiae vel essentiae.* Non autem ex Aegidio, sed ex ipso D. Thoma didicimus in superioribus -ὸ *esse* in creatis non physicam et propriam, sed metaphysicam et impropriam esse actualitatem substantiae vel essentiae. — Quapropter S. Doctor non habet in minori: Quod non est purus actus, sed est *propria potentia*, nequit esse sua actualitas; sed: Quod *habet aliquid de potentia admixtum*, nequit esse sua actualitas. Et subdit rationem: *Quia actualitas*, ait, *potentialitati repugnat;* non quia actualitas

D. Thomas.

repugnat propriae seu physicae *potentiae.* En verba S. Doctoris: « Actio est proprie actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentiae. Impossibile est autem quod aliquid, quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia admixtum, sit sua actualitas; quia actualitas potentialitati repugnat ». Constat autem ex ipso D. Thoma in superioribus relato: *Suam actualitatem*, apud ipsum tantundem valere, quantum esse: *Totam et solam actualitatem*, cui proinde potentialitas quaelibet obiectiva repugnabit, non autem esse: *Id, quod propriam potentiam actuat.* Suo igitur interpretandi pacto, quo Caietanus D. Thomam ad proprium sensum trahit, satis ostendit, si in sensu distinctionis realis Angelici argumentum esset intelligendum, argumentum illud non valere. Quapropter aut errasse D. Thomas esset dicendus, aut saltem argumenti sui non sufficienter vim pervidisse; aut omnino tenendum est intentum a D. Thoma non fuisse, quod Caietanus et alii fingunt; sed id fuisse, quod et verba portendunt et argumenta probant. Iam verba sensum formalem innuunt; argumenta distinctionem formalem probant invicte, non realem. Ergo. — Omittimus reliqua, quae Caietanus commentatur, et quidem de suo; illa enim satis in superioribus disiecta sunt.

Exponitur primum D. Thomae argumentum in sensu formali.

273. Ad D. vero Thomam quod attinet, si argumentum primum sequenti procedat pacto: Esse Angeli non est formaliter, seu ex vi sui conceptus formalis, eius essentia. Ergo multo minus ex

vi sui conceptus formalis Angeli intelligere est eius essentia; quia secundum conceptum formalem intelligere, quod est actualitas virtutis aut virtus in actu, plus differt ab essentia, quam *esse*, quod est actualitas essentiae aut essentia in actu; argumentum est omnino evidens et facile. Ast vero si dicatur: Esse Angeli non est realiter, id est, inspecta sua reali entitate, eius essentia. Ergo multo minus est realiter essentia eius intelligere; quia operatio in ordine reali plus differt ab essentia, quam esse; argumentum undequaque vacillat. Antecedens enim certo certius falsum est, aut saltem est valde dubium non solum absolute, sed etiam in doctrina D. Thomae, uti huc usque probatum est, et probabitur adhuc. Consequentia vero nullo modo tenet. Ex eo enim solo, quod ab essentia secundum conceptum formalem plus differt intelligere, quam *esse*, non sequitur ex necessitate, si esse realiter ab essentia differt aut distinguitur, multo magis distingui realiter intelligere: cum, uti recte ait Toletus, multo magis differat relatio a qualitate, utpote diversorum generum, quam qualitas a qualitate, quae in eodem sunt genere; et tamen quamvis haec qualitas singularis realiter differat a singulari alia qualitate; relatio tamen similitudinis unius qualitatis ad alteram *re* identificatur cum qualitate, quae eius fundamentum est: item quamvis plus differat rationale a sensitivo, ita ut in rerum natura in distinctis suppositis possint separata inveniri, quam essentia ab esse, quorum neutrum potest, aut saltem alterutrum sine altero in rerum natura dari non potest; tamen in uno et eodem homine rationale ab animali *re* non distinguitur. Ergo maior vel minor differentia secundum formalem conceptum impertinens est per se ad realem distinctionem inferendam. Quod si dicatur argumentum procedere de maiori minorive differentia non secundum formalem conceptum, sed in ipso ordine reali; hoc, nisi aliunde probetur, quod hic D. Thomas non facit, esset pura principii petitio; qui enim accipit *plus differre realiter*, accipit *differre realiter*, quod in quaestione est. Ergo argumentum illud in sensu reali tum in doctrina D. Thomae saltem dubium habet antecedens, tum nullam habet per se consequentiam, seu nullum argumentum est.

Et in sensu reali.

Toletus.

In sensu reali dubium antecedens, et nulla per se consequentia.

274. Idem iudicium esto de secundo argumento. Si dicatur: Essentia Angeli, formaliter loquendo seu ex vi sui conceptus aut rationis formalis, non est sua actualitas, nimirum, iuxta S. Doctorem, non est tota et sola actualitas; est enim quid creatum. Ergo neque formaliter seu ex vi sui conceptus formalis est sua actio, seu suum intelligere. *Ant.* patet. Nam si formaliter seu ex vi sui conceptus esset sua actualitas, esset etiam formaliter nihil potentialitatis admittens, adeoque esset actus purus: quod soli Deo et nulli creaturae competit. Patet *consequentia*. Si essentia non est formaliter sua actualitas, non necessario sibi vindicat formaliter actionem, quae est aliqua actualitas: aliunde vero cum actio sit proprie actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentiae, ipsa est praeter rationem essentiae, seu est formaliter ad essentiam non pertinens. Ergo si essentia non est formaliter

Exponitur secundum argumentum in sensu formali.

Est evidens.

sua actualitas, neque est formaliter sua actio. Argumentum sic intellectum est evidens et facile, praesertim in doctrina D. Thomae. — Si in sensu reali argumentum proponendum sit, habebimus: Essentia Angeli non est realiter sua actualitas. Ergo neque est realiter sua actio. *Ant.* patet. Si enim esset realiter sua actualitas, esset actus purus nihil potentialitatis admittens: quod soli Deo competit. *Prob. consequentia.* Si non est realiter sua actualitas, neque est realiter actus essendi, neque actus operandi, cum esse sit realiter actus essentiae, operatio vero sit realiter actus potentiae operativae. At si essentia Angeli non est realiter actus essendi, neque actus operandi, non est sua actio et suum intelligere. Ergo si non est realiter sua actualitas, non est realiter sua actio et suum intelligere. — In argumento sic intellecto, etiam dato primo antecedenti in sensu D. Thomae, ut videlicet essentia Angeli, realiter loquendo, non sit tota et sola actualitas, prima consequentia non sequitur. Stat enim ut, quamvis non sit realiter tota et sola actualitas, atque adeo admittat aliquam potentialitatem realiter; stat, inquam, ut sibi vindicet aliquam actualitatem realiter, actualitatem saltem suimetipsius. Si igitur actio aut intelligere Angeli sit idem realiter cum essentia, haec quamvis non sit realiter sua actualitas, in sensu D. Thomae, poterit tamen sibi actuali suam actionem realiter identificare. Haec autem realis identitas non excluditur neque per hoc, quod *esse* non esset realiter identicum cum essentia, uti intelligitur ex dictis in argumento praecedenti; neque per hoc, quod actio est actualitas virtutis aut potentiae. Etenim in sententia probabili illorum Doctorum, qui actionem omnem immanentem, ac praesertim actionem intellectivam, volunt esse qualitatem modalem aut, uti Caietanus declarat, esse potentiam ipsam, ut attendentem [1], actio praesertim intellectiva, realiter loquendo, non aliam realitatem habet, quam realitatem ipsius potentiae; est enim ipsa potentia sic aut aliter se habens. Si igitur potentia, praesertim intellectiva, sit realiter ipsa essentia, uti extra scholam D. Thomae probabilis sententia est, et forsan in doctrina D. Thomae non improbabilis; intelligere erit realiter identicum essentiae Angeli, quamvis haec non esset realiter sua actualitas. Quapropter maior in probatione consequentiae est aut falsa, aut dubia. Etsi autem in minori stat evidentia nexus; nexus tamen ipse pendet ex conditione saltem probabiliter falsa: unde ultima illatio aut est falsa, si quae dicuntur de reali identitate fundamentali modi cum re modificata sunt vera; aut est dubia et, si vera, talis est solum per accidens.

In sensu reali.

Dato primo antecedenti, prima consequentia non tenet.

Multo minus tenet ultima.

Ad articulum 2.um intelligendum bina definienda.

275. In articulo secundo agit D. Thomas de distinctione inter esse Angeli et eius intelligere. Ad articuli intelligentiam bina sunt in antecessum definienda. Primum est: *Quid per* τὸ ESSE *Angeli intelligat Aquinas.* Alterum est: *De qua distinctione loquatur.* Qui τῷ *esse* non D. Thomae, sed Aegidianam notionem tribuunt, et S. Doctorem de reali distinctione loqui arbitrantur, vel subinde,

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, in 1.am p.em D. Thomae, Disp. 1, q. 12. n. 281.*

hisce factis hypothesibus, contendunt, et merito quidem, uti Toletus, Valentia [1], aliique, Angelicum intentum non probare; vel miro modo contorquent sese, uti Caietanus, quin ad vim demonstrativam angelico argumento tribuendam perveniant. Utrumque tamen non recte fit. D. Thomae sensus quaerendus est, ut perspiciamus verane et solida sint, quae ipse tradidit. Iam vero scimus τὸ *esse* conceptum ad modum cuiusdam entitatulae realiter ab essentia distinctae parentem habere Aegidium Romanum. Vidimus huc usque, videbimus adhuc positionem hanc non esse fundatam in doctrina D. Thomae, nec ab ea requiri: imo vidimus S. Doctorem per τὸ *esse* intelligere aut *abstracte* totam ipsam essendi rationem, aut *concrete* hanc aut illam quidditatem, praesertim substantialem realemque, quatenus in actu, seu quatenus est extra statum meae possibilitatis. De huiusmodi *esse* hic revera loquitur. Postquam nimirum definivit articulo primo Angelum non esse essentialiter intelligere; seu intelligere non esse praedicatum quidditativum substantiae Angelicae, ita ut ipsa ex vi suae essentiae ac porro a se sit intelligens; nunc quaerit: Utrum producatur ad modum cuiusdam actus intellectivi, ita ut ipsa, sin minus essentialiter, saltem secundum suam actualitatem in rerum natura sibi identificet intelligere. Hunc sensum clare innuunt quae in corpore habet: « Esse cuiuslibet creaturae est determinatum ad unum secundum genus et speciem. Esse autem solius Dei est simpliciter infinitum, in se omnia comprehendens ». Ubi uti esse Dei significat actualissimam naturam divinam; ita esse creaturae naturam actualem creatam revera meminit. Eo vel magis quod determinatio secundum genus et speciem naturae est, quae in genere et specie continetur; non entitatulae nescio cuius, quae sit, ut fingunt, mera actualitas, quaeque esset transcendens, nec haberet genera et species, *secundum quae* determinaretur. De reali igitur substantia Angelica quaerit Aquinas, utrum sit Angeli intelligere.

De quo Angeli *esse* loquitur Aquinas?

276. Verum si de reali substantia Angelica quaerit: *Utrum sit Angeli intelligere;* intelligendusne est: *Utrum sit realiter aut secundum rem, an vero formaliter, aut secundum utriusque formalem conceptum?* Abs dubio hoc alterum verum est. Ex conceptu enim formali actionis et esse arguit Aquinas, ut esse Angeli ab eius intelligere differre constituat: « Secunda actio (*immanens videlicet*) *de sui ratione* habet infinitatem..... et ita intelligere et velle, quantum est de se, habent se ad omnia, et utrumque recipit speciem ab obiecto..... Esse autem cuiuslibet creaturae est determinatum ad unum secundum genus et speciem ». Ac rursum: « Essentia Angeli est ratio totius eius esse, non autem est ratio totius eius intelligere ». Ex conceptibus autem formalibus, saltem directe et immediate, identitas aut distinctio formalis solum potest legitime inferri. — Adde quod, si in sensu reali D. Thomas intelligeretur,

De qua identitate aut distinctione quaerit?

[1] Valentia, *In 1.am p.em D. Thomae, Disp. 4. q. 5. puncto 4.*

eius probatio esset fere inintelligibilis, certo, uti plures volunt, inefficax: quod nescio utrum in D. Thoma sit admittendum.

Exponitur Angelicus.

277. Docet ergo Angelicus: *Intelligere Angeli non esse formaliter eius esse, aut eius realem entitatem substantivam.* Probat. Intelligere Angeli est aliqua actio, formaliter loquendo; ad modum enim actionis concipitur et significatur. Nulla actio est formaliter esse Angeli. Ergo intelligere Angeli non est eius esse. *Prob. min.* Esse Angeli non est formaliter actio transiens; « Nam esse agentis *significatur* intra ipsum; actio autem talis (*transiens*) est effluxus in passum ab agente ». Non est actio immanens, qualis proprie est intelligere. De ratione enim aut formali conceptu actionis immanentis, qualis actio est intelligere, est infinitas; quia secundum rationem sui obiecti formalis, quod est *verum*, in transcendenti quadam universalitate, quantum est de se, habet se ad omnia. De ratione autem esse Angeli et cuiuslibet creaturae non est infinitas, sed magis determinatio ad unum secundum genus et speciem. Et certe substantia Angelica secundum suam realitatem in rerum natura una est tum genere, tum specie: intelligere vero ad genera et species diversas potest protendi. Ergo intelligere Angeli, formaliter loquendo, non est idem ac eius esse.— Hoc pacto verba, sensus, ratiocinatio tota D. Thomae perspicuam habent veritatem; nec oportet in eum finem ad cavillationes Caietani incassum recurrere; nec D. Thomam, quod intentum non probavit, quodammodo incriminari.

Ad articulum 3.um intelligendum sternitur via.

278. Si Angelus non est essentialiter intelligere, seu non est intelligens ex vi suae essentiae seu a se; si substantia Angelica non est productus aliquis intellectualis actus, formaliter loquendo; eius intelligere, formaliter loquendo, a principio aliquo, quod ipsi insit, repetendum est. Est enim intelligere, formaliter loquendo, actio immanens, quae per se ab intrinseco esse debet. Principium autem intrinsecum actionis immanentis aut vitalis dici solet potentia. Hinc querit tertio S. Doctor: *Utrum potentia intellectiva Angeli sit eius essentia.* Respondet *negando*, in sensu tamen, saltem directe et immediate, *non reali, sed formali.* Probat. Quaelibet potentia formaliter, seu ex vi sui conceptus, ordinatur ad proprium actum. Ergo ubi actus sunt formaliter distincti, distinctae sunt etiam formaliter inter se potentiae. Atqui τὸ *esse*, quod est actus essentiae, formaliter distinguitur ab intelligere, quod est actus potentiae intellectivae, uti iam probatum est. Ergo etiam essentia Angeli formaliter distinguitur ab eius potentia intellectiva. — Nemo non videt argumentum hoc modo intellectum stricte evidenterque concludere. Cum enim potentia sit propter actum, et ab actu denominetur formaliter et proxime, quamvis ultime a formali obiecto; si actus sunt conceptu formali distincti, denominabunt potentias formaliter distinctas. Sic in una et eadem facultate intellectuali distinguimus formaliter intelligentiam, rationem, conscientiam, memoriam: et eo inspecto, quod in tota actuum latitudine formale est, distinguimus potentias intellectivas a volitivis etc. Iam vero quod saltem formaliter differant in An-

Proponitur argumentum in sensu formali.

Est evidens.

Declaratur exemplis.

gelo esse et intelligere, aut esse et agere in qualibet creatura aliunde notum est, et omnino probatur ratione S. Doctoris in articulo praecedenti. Ergo saltem formaliter differunt essentia et potentia in qualibet creatura.

279. Si vero S. Doctoris argumentum in sensu reali intelligeretur, haberemus: Quaelibet potentia secundum suam entitatem realem ordinatur ad proprium actum. Ergo ubi actus sunt realiter distincti, realiter distinctae erunt potentiae. Atqui intelligere et esse in Angelo, agere et esse in qualibet creatura sunt actus, alterum potentiae, quae est essentia, alterum facultatis, quae est potentia operativa, et sunt realiter inter se distincti. Ergo etiam eorum propriae potentiae, essentia nimirum et potentia operativa inter se realiter distinguuntur. — In quo argumento, transmisso primo antecedenti, prima consequentia non sequitur. Una enim et eadem realis potentia operativa potest esse ordinata non solum ad plures actus individuos realiter distinctos; sed etiam ad plures species actuum realiter item distinctas: sic eadem potentia visiva ordinatur ad omnes species actuum distinctorum, quae sub generaliori suo formali obiecto continentur, nimirum ad omnes species visionum coloris rubri, viridis, violacei etc. Ergo etiamsi τὸ *esse* distingueretur realiter ab operatione, et quidem realitate non solum individua, sed etiam specifica; ex hoc solo non sequeretur aliam esse realiter potentiam τοῦ *esse*, aliam operationis; atque adeo ultima argumenti illatio non teneret. Mitto reliqua, quae dici possent, quaeque videri possunt apud Toletum, Valentiam, alios in locis laudatis. Unum illud monebo, essentiam in argumento accipi pro potentia propria et physica relate ad *esse:* quod utrum menti D. Thomae consonum sit, ex huc usque dictis satis intelligitur. — Itaque si in sensu reali falsa aut dubia, in sensu autem formali vera et evidentia sunt D. Thomae argumenta; cum eadem ad assertiones confirmandas afferantur, quae formalibus loquutionibus exhibentur, et respondeant ceteris, quae dicuntur; concludi posse videtur D. Thomam, saltem directe et immediate, in sensu formali fuisse loquutum.

Proponitur argumentum in sensu reali.

Deest consequentia.

Monitum.

Conclusio generalis.

280. Diximus: *Directe et immediate.* Non enim arbitramur D. Thomam de reali statu operationum et potentiarum substantiarum creatarum nihil, ne illative quidem, intendisse. Si quis enim D. Thomam attente consideret, praesertim ubi agit de substantiis creatis intellectualibus, inveniet ipsum apprime sollicitum de his substantiis earumque operationibus a divina substantia divinoque operandi modo penitus distinguendis. Evidens hoc est ex prioribus praesentis quaestionis articulis binis, et ex aliis prope locis, quae huc usque relata sunt et possent adhuc afferri. Ad huiusmodi autem distinctionem radicitus constabiliendam consideratio formalis non solum sufficit, sed est omnino necessaria, uti pluries demonstravimus. Neque enim ex eo solo, quod aliquid in Deo realiter invenitur, dari nequit in creatura, aut dari nequit aliquo modo realiter eodem, quo in Deo datur, cum nihil esse possit in creatura, quod in Deo, eminentiori saltem modo, non detur, et

Quid D. Thomas de operationibus et potentiis substantiarum creatarum consequenter doceat?

quin creatura in aliquo realiter Deo magis minusve similis sit; sed quod in Deo id, quod datur, essentialiter datur, unumque idemque formaliter est, simplicissimum, perfectissimum, infinitum; quod datur in creatura, non essentialiter est, sed participative, adeoque pluribus imperfectionibus obnoxium, et a divina puritate ac perfectione infinite distans. Hinc ergo in praesenti quaestione constituit: 1.° Substantias Angelicas, et consequenter substantias omnes inferiores, non esse essentialiter, seu ex vi suae essentiae intelligere aut agere, seu actu intelligere aut agere non esse de substantiarum creatarum quidditate, sed ipsis aliunde, a primo nimirum principio, obvenire: 2.° Has substantias non creari aut produci ad modum alicuius actus secundi substantialis, sed actum secundum seu operationem esse extra rationem earum realitatis. Sequitur ex his actum secundum in ipsis non esse substantiam sed accidens quoddam. Cum autem in ipsis sit, secundum sui conceptum, ad modum cuiusdam effectus; intelligere enim: « Realiter consequitur unionem obiecti cum agente; ex hoc enim quod intellectum fit unum cum intelligente, consequitur intelligere, quasi quidam effectus differens ab utroque »[1]; et sit aliquis motus, sin minus omnino proprius, saltem minus proprius: « Intelligere Angeli est motus eius, ut patet per Dionysium[2] »[3]; fit, ut intelligere Angeli et agere cuiuscumque substantiae creatae sit accidens aliquod physicum realiter aut modaliter a suo principio aut substantia distinctum. Hac ratione, in suis principiis sistendo, videtur Angelicus virtualiter constituere actiones creaturarum esse accidentia quaedam ab earum non solum quidditate, sed etiam substantiva realitate, maiori minorive distinctione, physice etiam loquendo, realiter distincta.

Summa doctrinae Angelici in presenti materia.

Quid inde sequatur de operationibus substantiarum creatarum?

Quid de potentiis?

281. Hoc ita constituto, sequitur horum accidentium intrinsecum aliquod principium in creaturis ipsis esse inveniendum. Et quidem omnium, quae in ente sunt, remotum principium in ipsa quidditate constituitur; est enim quidditas: *Id, quo res est id, quod est*, atque adeo est radix omnium, quae in ente habentur, proprietatum et operationum, et ultima ratio, ut ab aliis omnibus distinguatur. Verum: Estne ipsa quidditas per sese immediatum et proximum principium suarum operationum; an vero est principium immediatum suarum potentiarum, quae subinde sunt principia proxima singularum operationum? D. Thomas, uti notum est, hic et ubique hoc alterum docet. Sed ut definiat quid sint istae potentiae, certissime docet eas distingui saltem formaliter a substantiali quidditate; quod solum revera probant rationes quodammodo *a priori*, quas affert tum hic, tum subinde ubi agit de Anima humana in ipsa *Summa*, tum in aliis operibus. Qua formali distinctione constabilita, potentias docet esse accidentia, non quidem communia, sed omnino propria, seu naturales proprietates:

[1] *Hic, a. 1. ad 1.um*
[2] S. Dionysius, *De divinis Nominibus, c. 4. part. 1.*
[3] *Hic, art. 2. Sed contra.*

« Si accidens, *inquit*, accipiatur secundum quod dividitur contra substantiam, sic nihil potest esse medium inter substantiam et accidens ; quia dividuntur secundum affirmationem et negationem, scilicet secundum esse in subiecto, et non esse in subiecto. Et hoc modo, cum potentia animae non sit eius essentia, oportet quod sit accidens ; et est in secunda specie qualitatis. Si vero accipiatur accidens secundum quod ponitur unum quinque universalium, sic aliquid est medium inter substantiam et accidens ; quia ad substantiam pertinet quidquid est essentiale rei : non autem quidquid est extra essentiam, potest sic dici accidens, sed solum id, quod non causatur ex principiis essentialibus speciei. Proprium enim non est de essentia rei, sed ex principiis essentialibus speciei causatur : unde medium est inter essentiam et accidens, sicut dictum est in solutione ad 1um. Et hoc modo potentiae animae possunt dici mediae inter substantiam et accidens, quasi *proprietates animae naturales* » [1].

Suntne potentiae proprietates physicae?

282. Sed enim si substantiarum creatarum, praesertim spiritualium, potentiae sunt proprietates naturales, suntne proprietates physicae, ac porro realiter distinctae ab ipsa essentia ; an vero sunt proprietes metaphysicae, ab ipsa essentia solum formaliter distinctae ? Quin omnes et singulas, quae propositae quaestioni subiiciuntur, exhibeamus responsiones, inverit solum monere valde communiter, extra scholam D. Thomae, potentias substantiarum creatarum solum formaliter ab earum essentia distingui ; in schola vero D Thomae communissime distingui etiam realiter sive adaequate, sive saltem inadaequate [2]. Mens D. Thomae hac super re nobis liquida non est. Loquutiones enim, quas adhibet, et tota eius doctrina solam distinctionem formalem videntur suadere : solam probant argumenta quasi *a priori*. Argumenta tamen a posteriori plus aliquid videntur innuere. Scribit : « Impossibile est quod alicuius substantiae creatae sua essentia sit sua potentia operativa..... Secundo impossibile apparet hoc speciali ratione in anima propter tria. Primo quidem, quia essentia una est, in potentiis autem oportet ponere multitudinem propter diversitatem actuum et obiectorum. Oportet enim potentias secundum actus diversificari, cum potentia ad actum dicatur. Secundo, idem apparet ex potentiarum differentia, quarum quaedam sunt quarundam partium corporis actus, ut omnes potentiae sensitivae et nutritivae partis ; quaedam vero potentiae non sunt actus alicuius partis corporis, ut intellectus et voluntas : quod non posset esse, si potentiae animae non essent aliud, quam eius essentia. Non enim potest dici quod unum et idem possit esse actus corporis,

Mens D. Thomae hac super re non omnino liquida.

Loca aliquot S. Doctoris.

---

[1] D. Thomas, *Sum. Theol. 1. p. q. 77. a. 1. ad 5.um* — Cfr. inter alia loca, *QQ. DD. De Spiritualibus creaturis, q. unic. a. 11. corp.*, ubi doctrina tradita plenissime evolvitur.

[2] Valentia, *In 1.am p.em D. Thomae, Disp. 6. q. 3. punct 2.* — Suarez, *De Anima, lib. 2. c. 1. n. 2.* — Lossada, *Tract. de Anima, Disp. 4. c. 1.* — Sanseverino, *Philosoph. Christiana, Dynamilogia gener. c. 1. a. 1. etc.*

et separatum, nisi secundum diversa. Tertio, apparet idem ex ordine potentiarum animae, et habitudine earum ad invicem. Invenitur enim quod una aliam movet, sicut ratio irascibilem et concupiscibilem, et intellectus voluntatem: quod esse non posset, si omnes potentiae essent ipsa animae essentia; quia idem secundum idem non movet seipsum, ut probat Philosophus. Relinquitur ergo quod potentiae animae non sunt ipsa eius essentia »[1]. Rursum: « Manifestum est, *inquit*, quod ipsa essentia animae non est principium immediatum suarum operationum, sed operatur mediantibus principiis accidentalibus: unde potentiae animae non sunt ipsa essentia animae, sed proprietates eius. Hoc apparet ex ipsa diversitate actionum animae, quae sunt genere diversae, et non possunt reduci ad unum principium immediatum; cum quaedam earum sint actiones, et quaedam passiones, et aliis huiusmodi differentiis differant, quae oportet attribui diversis principiis. Et ita, cum essentia animae sit unum principium, non potest esse immediatum principium omnium suarum actionum; sed oportet quod habeat plures et diversas potentias correspondentes diversitati suarum actionum; potentia enim ad actum dicitur correlative. Unde secundum diversitatem actionum oportet esse diversitatem potentiarum »[2].

Iudicium auctoris.

283. Argumenta haec *a posteriori*, praesertim prout a Suaresio[3] et aliis Doctoribus in disquisitionibus metaphysicis evolvuntur, non solum absolute faciunt valde probabilem opinionem distinguentem realiter potentias substantiarum creatarum ab earum essentia; idque maxime, si ea addantur, quae ex actibus et habitibus supernaturalibus in praesentem tractationem possunt corrivari; sed etiam reddunt valde probabile hanc esse ipsius D. Thomae sententiam doctrinamque, quamvis aliqua sint tum absolute, tum in D. Thomae doctrina, quae absolutam certitudinem, sub utroque respectu, opinioni huic facile eripiant. Concedimus ergo ex mente et doctrina D. Thomae actus substantiarum creatarum ab earum potentiis reali maiori minorive distinctione realiter distingui: concedimus etiam in doctrina D. Thomae potentias ipsas creatarum substantiarum ab earum essentia reali distinctione probabiliter distingui. Sequiturne hinc ex mente D. Thomae creati entis, aut saltem creatarum substantiarum *esse* ab actuali essentia in sensu adversariorum realiter distingui?

Quaestio

P. Sanctus Schiffini.

284. P. Sanctus Schiffini in suis *Principiis Philosophicis ad mentem Aquinatis* scribit: « S. Doctor constanter exhibet essentiam creaturarum esse potentiam sic distinctam ab actu essendi, quemadmodum potentia operativa earundem distinguitur ab operatione. « Impossibile est, ait, quod actio Angeli vel cuiuscumque alterius creaturae sit eius substantia. Actio enim est proprie actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiae vel essen-

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De spiritualibus creaturis, q. un. a. 11. corp.*
[2] D. Thomas, *QQ. Disp. De Anima, q. un. a. 12. corp.*
[3] Suarez, *Metaph. Disp. 18. Sect. 3. n. 17. seqq.*

tiae. Impossíbile est autem, quod aliquid, quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia admixtum, sit sua actualitas; quia actualitas potentialitati repugnat. Solum autem Deus est actus purus. Ergo in solo Deo sua substantia est suum esse et suum agere » [1]. Gemina habet tum in eadem q. a. 3., tum ubicumque tractat de distinctione operationis et virtutis activae a substantia creaturarum. Atqui manifestum est, praesertim ex tota doctrina S. Thomae, in solo Deo reipsa unum idemque esse actionem et potentiam agendi » [2].

Crisi subiicitur.

285. Verum S. Doctor neque in laudatis verbis, neque ullibi exhibet creaturarum essentiam esse potentiam sic distinctam ab actu essendi, uti earundem potentia operativa distinguitur ab operatione; sed ex eo quod essentia creaturarum non est suum esse et sua actualitas, seu non est essentialiter aut a se actus, infert non sibi essentialiter identificare actionem et potentiam operativam, quemadmodum paulo ante declaratum est: vel etiam ex eo, quod esse et agere sunt actus aut actualitates inter se distinctae infert essentiam et potentiam operativam creaturarum inter se distingui, quin tamen declaret realiterne, an solum formaliter inter sese distinguantur; quamvis, uti constat ex dictis, probabiliter possit colligi quo sensu S. Doctor sit intelligendus. Utramque rationem affert in articulis huc usque discussis. Neutram, sed potius binam aliam rationem quasi *a priori* profert in eadem prima parte q. 77., ubi agit de potentiis animae. Utraque tamen ratio gravissimas insuperabilesque patitur instantias, si ad distinctionem realem demonstrandam adhibeatur. Alibi secundam affert rationem, et subinde convertitur ad argumenta *a posteriori*. Sic: D. Thomas. « Impossibile est, *inquit*, quod alicuius substantiae creatae sua essentia sit sua potentia operativa. Manifestum est enim quod diversi actus diversorum sunt; semper enim actus proportionatur ei, cuius est actus. *Sicut autem ipsum esse est actualitas quaedam essentiae;* ita operari est actualitas operativae potentiae seu virtutis. Secundum enim hoc utrumque eorum est in actu, essentia quidem secundum esse, potentia vero secundum operari. Unde cum in nulla creatura suum operari sit suum esse, sed hoc sit proprium solius Dei, sequitur quod nullius creaturae operativa potentia sit eius essentia » [3]. Rursum: « Unumquodque agit secundum quod actu est illud scilicet quod agit..... Unde oportet quod ex eo, *quod agitur*, consideretur principium *quo agitur;* oportet enim utrumque esse conforme..... Cum ergo id, quod agit, (*nimirum quod fit*) non pertinet ad esse substantiale rei, impossibile est quod principium, quo agit, sit aliquid de essentia rei » [4]. Praeterea: « In nulla substantia creata est idem esse et operatio; hoc enim solius Dei est. Essentia autem est essendi principium,

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 54. a. 1. corp.*
[2] Schiffini, *Op. laud. Philosophia prima, Disp. 4. Sect. 4.*
[3] D. Thomas, *QQ. DD. De Spiritualibus creaturis, q. un. a. 11. corp.*
[4] *Idem, Ibidem, de Anima, q. un. a. 12. corp.*

potentia vero operationis. Ergo, cum ab uno naturaliter non sit nisi unum, nulla substantia, nisi divina, est sua potentia »[1]. Ex quibus patet D. Thomam, non quod vellet P. Schiffini, sed ex doctrina de distinctione formali aut fundamentaliter reali inter *essentiam* et *esse* inferre, saltem immediate et directe, formalem distinctionem inter creatam essentiam et potentiam operativam.

Illatio ex prolatis locis.

D. Thomas in ipsis solam distinctionem formalem insinuat.

286. Atque formalem distinctionem solam inter essentiam et esse in allatis etiam argumentis vehementer insinuat. *Esse*, ait, *est actualitas quaedam essentiae.* Hoc autem nequit intelligi quasi τὸ *esse* sit una ex actualitatibus essentiae; sed necessario significat id, quod saepe in superioribus legimus: *Est ad modum actus— Est sicut actus* etc.: quae, uti item vidimus, apud D. Thomam, *intentiones* aut *rationes formales*, non *res* praeseferunt. Praeterea:

Primo.

Secundo.

Cum id, quod agit, non pertinet ad esse substantiale rei, impossibile est quod principium, quo agit, sit aliquid de essentia rei. Quare? Quia quod fit et quo fit: *Oportet esse conforme.* Ergo si fieret esse substantiale, fieret essentia, et tunc essentia facientis deberet esse principium, quo fieret esse substantiale aut essentia facti. Esse igitur substantiale et essentia in creaturis, per D. Thomam, unum idemque realiter sunt. — Itaque quamvis S. Doctor comparet essentiam et esse cum potentia operativa et operatione in creatis; eiusmodi comparatio non est stricta et paris rationis in utroque extremo, sed lata et analogica. *Essentia*, inquit, *est essendi principium, potentia vero operationis.* Per D. Thomam autem essentia relate ad *esse* est principium *formale*, potentia vero est operationis principium *efficiens.* Essentia ergo et potentia operativa in doctrina D. Thomae non sunt termini stricte, sed solum late et analogice comparabiles. Falsum est igitur D. Thomam exhibere creatam essentiam sic ab esse distinctam, uti potentia operativa distinguitur ab operatione. Quamvis ergo demus P. Schiffini in doctrina D. Thomae actum operationemve realiter distingui a potentia operativa, exinde non habetur in eadem doctrina creatam essentiam ab esse realiter distingui.

Tertio.

Urget P. De Maria.

287. Urget P. De Maria: « Doctor Angelicus probat potentias animae esse distinctas *realiter* ab eius essentia: « Diversi actus etc. », (*uti modo legimus*). Quare, iuxta D. Thomam, *esse* est actualitas realiter distincta ab essentia, sicut operatio est actualitas realiter distincta ab operativa potentia. Hoc perspicuum est cuilibet in dialecticis vel mediocriter versato. Si enim esse non distingueretur realiter ab essentia, ut actus a sua propria et proportionata potentia, futilis esset et captiosa S. Thomae argumentatio, qua probare aggreditur potentias animae realiter distingui ab eius essentia »[2].

Refellitur.

288. Ast enim certum non est Doctorem Angelicum velle probare potentias animae esse *realiter* distinctas ab eius essentia. Nullibi id dicit explicite: et, si alicubi diceret, superesset inqui-

Praemittuntur aliqua.

[1] *Idem, Quodlibet. 10. q. 3. a. 5. corp.*
[2] P. De Maria, *Philosophia prima, Pars. 2. q. 1. a. 5.*

rendum de qua reali distinctione ibi esset sermo, de formaliter nimirum reali, an de fundamentaliter reali. Constat enim ex generali doctrina Aquinatis, a disceptationis vestibulo superius relata, ab ipso reales dici non solum primas intentiones aut conceptus, qui rebus respondent prout in seipsis sunt, sed etiam intentiones secundas, quae ab intellectu formaliter fiunt cum fundamento in re. Tum rationes quodammodo *a priori*, quibus S. Doctor distinctionem probat inter creatarum substantiarum essentiam et potentias, si non ad formalem sed ad formaliter realem distinctionem demonstrandam dicantur allatae, revera futiles et captiosae evadunt, quemadmodum partim ostendimus nos, partim videri potest apud laudatos Valentiam, Toletum, alios, nec conatibus Caietani aliorumque ea nota possunt liberari. Quare qui in eum sensum D. Thomam interpretantur, non ipsi laudi sunt, sed eum iniuria afficiunt. Supersunt argumenta a posteriori, quae plus aliquid videntur exigere. Sed nec ea illa sunt, quae mentem omnino cogant. Potest enim multiplicitas, diversitas, oppositio actuum secundorum variis principiis transeuntibus cum unitate principii permanentis secundum variam perfectionem suam aliter et aliter actuabilis explicari. Forsan id pervidit Angelica mens; ac quando distinctionem inter creatarum substantiarum essentiam et potentias tuebatur, non realem, sed formalem solum intelligebat distinctionem. Eo vel magis, quod ad discrimen inter Deum et creaturas constituendum, quod apertissime prae oculis semper habebat, sufficiebat oppido formalis distinctio. Argumenta tamen *a posteriori*, praesertim cum aliis fidei principiis coniuncta, uti iam monuimus, plus aliquid videntur exigere. Probabile inde fit D. ipsum Thomam, utut non explicite loquutum, plus aliquid, distinctionem nimirum formaliter realem inter creatarum substantiarum essentiam potentiasque intendisse.

289. Hisce positis, si primum detur, nimium confidenter loquutus est P. De Maria, sed in re nihil profecit omnino. Negatur D. Thomam voluisse probare potentias animae ab eius essentia realiter distingui. Neque locus, quem affert, id probat. Argumentum S. Doctoris est, quod iam discussimus: Ubi actus sunt distincti, ibi distinctae sunt potentiae. In creaturis esse et operatio sunt actus distincti. Ergo distinctae sunt etiam essentia et potentia operativa, quarum prior est potentia ad esse, altera ad operationem. — Huiusmodi argumentum, uti ostendimus, in sensu formali probat; in sensu reali non probat. Stat enim realis unitas potentiae cum distinctione actuum non solum individuali aut specifica, sed etiam generica, quae strictissimam praesefert diversitatem, seu stat ut una et eadem res, sub diverso respectu, sit potentia etiam passiva ad actus non solum numerice, sed etiam specifice, imo etiam generice distinctos. Eadem essentia animae, in sententia adversariorum, esset potentia ad *esse*, ad potentias intellectivas et volitivas specie et numero distinctas, radicaret potentias sensitivas: in communi sententia eadem v. g. voluntas est potentia receptiva habituum naturalium et supernaturalium,

Respondetur dictis P. De Maria. Primo.

Declaratur responsio exemplis ex adversario derivatis.

habituum vitiorum et virtutum in magna varietate specifica, actuum denique singulorum. Principium ergo argumenti S. Doctoris in sensu reali falsum est. Ergo si in illo sensu dicit P. De Maria D. Thomam fuisse argumentatum, dicit futiliter et captiose fuisse argumentatum. *Hoc perspicuum est cuilibet in dialecticis vel mediocriter versato.*

Secundo.

290. Demus, quod probabile est, D. Thomam intendisse distinctionem realem inter substantiarum creatarum essentiam et potentias: verum intendebat etiam formalem, imo hanc praecipue intedebat, quando argumentatur *quasi a priori* ex conceptu ipsius *esse*, aut *essentiae*. In huiusmodi enim locis intendit constituere discrimen inter Deum et creaturas. Ad hoc autem distinctio formalis necessaria est, et sufficit, uti iam multoties probavimus, et distinctio realis non requiritur. Ad distinctionem autem formalem inter creaturarum essentiam et potentias constabiliendam ex conceptu aut comparatione essentiae et esse, formalis inter haec distinctio, etiam pro insigniter in dialecticis versato, potest sufficere. Quapropter confidentissima sunt verba P. De Maria: *Quare, iuxta S. Thomam, esse est actualitas realiter distincta ab essentia, sicut operatio est actualitas realiter distincta ab operativa potentia.* Ubinam, quaeso, id dicit S. Doctor? In textu ab ipso laudato habemus: *Sicut ipsum esse est actualitas quaedam essentiae; ita operari est actualitas operativae potentiae seu virtutis.* Ubinam est in S. Doctore illud *realiter* bis additum? D. Thomas ait: *Esse est actualitas quaedam*, non autem actualitas *realiter distincta.* Scimus autem quid, apud Angelicum, *actualitas quaedam* significet.— Tum subdit: *Si esse non distingueretur realiter ab essentia..... futilis esset et captiosa S. Thomae argumentatio, qua probare aggreditur potentias animae realiter distingui ab eius essentia.* Sed D. Thomas non id probare intendit hoc argumento, quamvis forsan intendat aliis, quae subdit. Constituto enim illo principio, Angelicus concludit: *Unde cum in nulla creatura suum operari sit suum esse, sed hoc sit proprium solius Dei, sequitur quod nullius creaturae operativa potentia sit eius essentia.* Non argumentatur ergo D. Thomas ex reali distinctione inter esse et essentiam creaturae; sed ex essentiali aut formali discrimine inter creatum esse et agere negat formalem identitatem inter essentiam et potentias creaturarum. Saltem, ne etiam nos nimis fidenter loquamur, quae dicunt adversarii longissime absunt a reali evidentia.

Dicta adversariorum longe absunt a reali evidentia.

De Angelici doctrina circa materiam primam eiusque esse.

P. Schiffini.

291. Legimus apud P. Schiffini: « Docet passim S. Doctor primam materiam rerum corporalium secundum se esse potentiam, physicam quidem, sed puram omnino, h. e. *denudatam ab omni actu*: unde infert *intrinsecam contradictionem* haberi in eo, quod materia eiusmodi ponatur esse in natura rerum sine forma [1]. Atqui

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 66. a. 1.* — Adde *Eod. loc. ad 3.um* —

manifeste elucere existimo, haec omnia nec veritatem nec sensum habere, si materia reipsa unum idemque esset cum sua exsistentia. Quod si in re huiusmodi essentia ab esse plusquam ratione distinguitur, nihil est cur ad omnem creaturam similem distinctionem non extendamus » [1].

P. De Maria,

292. P. vero De Maria : « Doctrina est S. Thomae, *scribit*, quam Scotus impugnat [2], materiam primam non posse exsistere per divinam virtutem sine forma, cum materia secundum propriam rationem sit ens in potentia, ideoque a forma substantiali habeat, ut actu exsistat [3]. Exinde deducit in substantiis materialibus esse duplicem compositionem ; nimirum ex materia et forma, et ex essentia et esse. En eius verba : « In substantiis compositis ex materia et forma est duplex compositio actus et potentiae : prima quidem ipsius substantiae, quae componitur ex materia et forma; secunda vero ex ipsa substantia iam composita et *esse*, quae etiam potest dici ex eo, *quod est* et *esse* » [4]. Porro si essentia et exsistentia in creaturis non distinguerentur realiter, neque materia prima posset dici mera potentia in genere entis, quae sine forma substantiali exsistere nequit; neque in substantiis compositis esset duplex compositio actus et potentiae ; ita tamen ut materia et forma dividant substantiam materialem, potentia autem et actus dividant ens commune » [5].

Quae exscripsimus, non sola sunt, quae de materia prima docet Angelicus.

293. Verum haec non sola sunt, quae de materia prima docet Angelicus. Oportet autem totam eius doctrinam prae oculis habere, ut verum et plenum S. Doctoris sensum perspiciamus. Angelicus ergo certissime docet, quod de fide est : — α) Materiam primam esse creatam a Deo ; constanterque cum Philosopho tradit eam esse ingenerabilem et incorruptibilem : « Quod est, *inquit*, causa rerum, in quantum sunt entia, oportet esse causam rerum non solum secundum quod sunt *talia* per formas accidentales ; nec (*solum*) secundum quod sunt *haec* per formas substantiales ; sed etiam secundum omne illud, *quod pertinet ad esse illorum quocumque modo.* Et sic oportet ponere etiam materiam primam creatam ab universali causa entium..... Oportet quod etiam illud, quod se habet ex parte potentiae, sit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est » [6]. — Praeterea : « Ostendit (*Philosophus*) quomodo materia corrumpatur, et dicit quod quodammodo corrumpitur, et quodammodo non ; quia secundum quod est in ea privatio, sic corrumpitur cum cessat in ea esse privatio : ut si diceremus aes infiguratum corrumpi, quando desinit esse infigu-

Completur Angelici doctrina. Primo.

---

et q. 44. a. 2. ad 3.um — et QQ. DD. De potentia, q. 4 a. 1. corp.—et Quodlib. 3. q. 1. a. 1. corp.

[1] P. Schiffini, *Op. et loc. laud.*

[2] Scotus, *In II. Sent. Dist. 12. qq. 1. et 2.*

[3] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 66. a. 1. — De Potentia, q. 4. a. 1. — Quodlib. 3. a. 1. quae modo fuerunt relata.*

[4] *Idem, Contra Gentes, lib. 2. c. 54.*

[5] De Maria, *Op. et loc. laud.*

[6] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 44. a. 2. corp. et ad 3.um*

ratum. Sed secundum se, in quantum est quoddam ens in potentia, est ingenita et incorruptibilis. Quod sic patet..... Sed ex hoc non excluditur, quin per creationem in esse procedat »[1]. Iam vero ex eodem Angelico: « Illud, quod producitur, oportet quod secundum esse suum habeat formam producentis; quia productio rei terminatur ad esse rei »[2]. Ergo si materia, ut materia, creatur et producitur a Deo, esto dicatur concreata; ut materia tamen, esse habeat opus est: cum autem secundum se ingenerabilis sit et incorruptibilis, huiusmodi esse semper retinebit.

Secundo.

294. Praeterea docet: — β) Materiam primam non quidem totalem, sed partialem habere essentiam, habere esse sane imperfectum, habere aliquo modo ideam in Deo: « Dicendum, *inquit*, quod ipsa substantia Angeli quodammodo se habet ad esse eius, ut materia ad formam, ut dictum est. Materia autem, si eius essentia definiretur, haberet pro differentia ipsum suum ordinem ad formam, et pro genere ipsam suam substantiam. Et similiter in Angelis ex ipsa natura substantiae ipsorum accipitur genus, ex proportione vero huiusmodi substantiae ad esse accipitur specifica differentia. Unde secundum hoc Angeli differunt specie, secundum quod in substantia unius est plus vel minus de potentia, quam in substantia alterius »[3]. Quae hic de Angelis dicuntur, cum *De Ente et Essentia* ageremus, satis superque fuerunt declarata. Interim, hoc loco, materiae primae essentiam substantialem aliquo modo definibilem assignat Angelicus. Sed enim praeterea ipsum *esse* materiae primae tribuit Aquinas: « Materia prima, *inquit*, aliquo modo *est*; quia est ens in potentia. Deus autem est causa omnium quae sunt..... Deus igitur est causa materiae primae »[4]. Ubi materia prima dicitur *esse*, quia est ens in potentia. Non proinde ad esse, quod ipsi asseritur, sed ad formam dicitur esse in potentia, et ad ea, quae formam consequuntur.

Dicta confirmantur ex speciali loco.

295. Quae dicta sunt, una cum ideae ratione, simul alibi complexus est Aquinas. Quaerit: « *Utrum prima materia ideam habeat in Deo*..... Et videtur quod non. Idea enim, secundum Augustinum, forma est. Sed materia nullam habet formam. Ergo nulla idea in Deo materiae respondet. — Praeterea: Materia non est ens, nisi in potentia. Si ergo idea habet ideato respondere, et habet ideam, oportet quod eius idea sit in potentia tantum. Sed in Deo potentialitas non cadit. Ergo materia prima non habet ideam in ipso. — Praeterea: Ideae sunt in Deo eorum, quae sunt vel esse possunt. Sed materia prima nec est per se separata exsistens, neque esse potest. Ergo non habet ideam in Deo. — Praeterea: Idea est, ut secundum eam aliquid formetur. Sed materia prima nunquam potest formari, ita ut forma sit de essentia

[1] *Idem, In I. Physic. text. 82. Lect. 15.*
[2] *Idem, QQ. DD. De Veritate, q. 5. a. 4. ad 6.um*
[3] *Idem, Quodlibeto 9. q. 4. a. 6. ad 3.um*
[4] *Idem, Contra Gentes, lib. 1. c. 16. sub fin.*

eius. Ergo si haberet ideam, frustra esset idea illa in Deo, quod est absurdum.

Sed contra : Omne, quod procedit in esse a Deo, habet ideam in ipso. Materia est huiusmodi. Ergo et cetera. — Praeterea : Omnis essentia derivatur ab essentia divina. Ergo quidquid habet aliquam essentiam, habet ideam in Deo. Sed materia prima est huiusmodi. Ergo etc.

Respondeo dicendum quod Plato, qui invenitur primo loquutus fuisse de ideis, non posuit materiae primae aliquam ideam ; quia ipse ponebat ideas ut causas ideatorum, materia autem prima non erat causatum ideae. Posuit enim duo principia ex parte materiae, scilicet magnum et parvum ; sed unum ex parte formae, scilicet ideam. Nos autem ponimus materiam causatam esse a Deo. Unde necesse est ponere quod aliquo modo sit eius idea in Deo, cum quidquid ab ipso causatur similitudinem ipsius utcumque retineat. Sed tamen, si proprie de idea loquamur, non potest poni quod materia prima per se habeat ideam in Deo, distinctam ab idea formae vel compositi ; quia idea proprie dicta respicit rem, secundum quod est producibilis in esse. Materia autem non potest exire in esse sine forma, nec e converso. Unde proprie idea non respondet materiae tantum, nec formae tantum ; sed composito toti respondet una idea, quae est factiva totius et quantum ad formam, et quantum ad materiam. Si autem large accipiamus ideam pro similitudine vel ratione, tunc illa possunt per se distinctam habere ideam, quae possunt distincte considerari, quamvis separatim esse non possint: *et sic nihil prohibet materiae primae, etiam secundum se, ideam esse.*

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis materia prima sit informis ; tamen inest ei imitatio primae formae. *Quantumcumque enim* DEBILE ESSE *habeat; illud tamen est imitatio primi entis;* et secundum hoc potest habere similitudinem in Deo. — Ad secundum dicendum quod ideam et ideatum non oportet esse similia secundum conformitatem naturae, sed secundum repraesentationem tantum : unde et rerum compositarum est simplex idea, et similiter *exsistentis in potentia* est idealis similitudo etiam in actu.— Ad tertium dicendum quod quamvis materia secundum se esse non possit ; tamen potest secundum se considerari, et sic potest habere per se similitudinem. — Ad quartum dicendum quod ratio illa procedit de idea practica actu vel virtute, quae est rei prout est in esse producibilis ; et talis idea materiae primae non convenit.

Ad primum, quod in contrarium obiicitur, dicendum quod materia non procedit in esse a Deo, nisi in composito ; et sic ei idea, proprie loquendo, in Deo non respondet. Et similiter dicendum ad secundum quod materia, proprie loquendo, non habet essentiam, sed est pars essentiae totius »[1].

296. Itaque, ex D. Thoma, quamvis materia, proprie et stricte loquendo, non habeat essentiam, *totalem nimirum essentiam ;* habet

Collectio ex loco recitato.

[1] *Idem, QQ. DD. De Veritate, q. 3. a. 5.*

tamen *essentiam partialem*: caret utique *esse perfecto*, quod compositi proprium est; habet tamen *esse debile*, quod est *imitatio primi entis:* unde perfectam ideam distinctam ab idea totius plane non sibi adsciscit; sed sibi adsciscit distinctam etiam ideam imperfectam, non quidem practicam in eius doctrina, sed speculativam, quatenus non proprie *exemplar*, sed *obiectiva ratio* est, secundum quam potest intelligi aut considerari. Quomodo autem haec non opponantur iis, quae in 1.ª parte tradit Angelicus Doctor, secus ac arbitrarie prorsus pronuntiavit Caietanus, satis ostendimus in Commentario illius loci, quem consule [1]. Quomodo vero quae hic dicit de propria essentia et esse, quamvis relate ad compositum partialibus, materiae primae iis locis non repugnent, ubi materia prima dicitur *non-ens* aut *nihilum*, ex iis quae in *Sectione* I. de *nihilo* sunt praemonita, facillime intelligitur. Possent demum modo dicta ex aliis locis ulterius confirmari; sed haec, ne nimii simus, videri possunt apud P. Alamannum, [2] qui tribus supra decem ex capitibus, collatis auctoritatibus, ostendit D. Thomam suam partialem exsistentiam materiae primae adseruisse.

Caietanus alibi a nobis correptus.

P. Alamannus tredecim ex capitibus, collatis auctoritatibus, ex D. Thoma materiae primae esse partiale vindicat.

297. Si loca superius vel indicata vel recitata inter se conferantur, patebit profecto Angelicum docere materiam primam non esse, nec posse esse in actu sine forma, etiam de potentia absoluta. Hoc autem sive quia materia prima est essentialiter ens in potentia ad formam, atque adeo essentialiter exigit formam, ut sit; quare si esset in actu sine forma, esset simul et non esset in actu, haberet simul formam, quam essentialiter exigit, ut sit, et non haberet ex hypothesi; sive quia, si materia esset, in aliquo genere et in aliqua specie esse deberet, quod tamen sine forma non posset nancisci. Docet tamen praeterea materiam primam eo ipso, quod propriam ideam aliquo modo in Deo habet, quodque propriam essentiam definibilem, propriumque esse, utut *debile* et imperfectum; *ex sese* sibi vindicare, ubi creatur, et non *ex forma* esse aliquo modo in actu. Quapropter aut contradictionis incusandus D. Thomas est; aut haec sensu alio et alio a D. Thoma prolata fuisse fatendum est. Hoc alterum absque controversia est verum. Enimvero D. Thomas essentiam exsistentiamque propriissime et simpliciter dictam, uti saepius in superioribus legimus ac praesertim in *De Ente et Essentia*, nonnisi substantiis specifice completis revera attribuit. Ex forma autem habetur, ut substantiae sive materiales, sive etiam immateriales, sint specifice completae. Ex forma consequenter habetur, ut substantiae creatae propriam habeant essentiam exsistentiamque; nec, sine forma, huiusmodi essentia et exsistentia, etiam de potentia absoluta, potest haberi, ut notum est. At si non de essentia exsistentiaque *simpliciter* dicta, sed dicta quodammodo *secundum quid*, seu quatenus potest

Summa totius doctrinae Angelici.

Aut contradictorius D. Thomas, aut aliter et aliter intelligendus.

Hoc alterum verum est.

Declaratur.

---

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, in 1.am p.em D. Thomae, Disp. 2. q. 15. n. 170.*

[2] Alamannus S. I., *Summ. Philos. ex variis libris* D. Thomae, *Physica, p. 1. q. 3. a. 2.*

competere non substantiae completae, sed partibus essentialibus substantiae compositae; huiusmodi essentia et esse, imperfecta et quodammodo secundum quid, certissime a D. Thoma in locis secundo laudatis materiae primae et formae etiam a materia dependenti, unicuique ex sese et non ex alia comparte adseruntur. Certe materia prima non habet ex forma, ut sit ens in potentia, sed ex forma habet, ut sit *haec*, aut *talis* in actu, uti loquitur Aquinas. Dicere igitur ad Angelici mentem fas est materiam primam, *ex se* et *non ex forma*, habere essendi exsistendique *actum entitativum; non ex se* sed *ex forma substantiali* habere essendi exsistendique *actum specificum*, qui simpliciter essendi exsistendique actus dicitur, dum prior ille non dicitur actus, nisi secundum quid. Cum autem actus entitativus et secundum quid essentialiter pendeat, ex D. Thoma, ab actu simpliciter et specifico, atque hunc essentialiter exigat, intelligitur quare D. Thomas, etiam essendi exsistendique actu entitativo materiae primae concesso, neget fieri posse, etiam de potentia absoluta, ut materia prima sola sine forma creetur.

Declaratio nostra est etiam Em. Card. Zigliara.

Eius verba

298. Atque haec nostra declaratio, quae ex verbis ipsis S. Doctoris apertissime fluit, in ipsisque *fere explicite* continetur, est ipsissima declaratio Em. Card. Zigliara; qui rursum, nimia forsan confidentia, eandem dicit esse declarationem Thomistarum omnium, imo, ad rem quod attinet, omnium etiam Scholasticorum. « Potentia, *scribit*, ideo potentia est, quia in suo conceptu importat ordinem ad actum. Actus autem duplex est, actus *essentiae* et actus *exsistentiae*. Primus est ille, quo res constituitur sub determinato essendi modo et determinata rerum specie; sicut *rationalitas*, hoc sensu, est *actus essentiae* hominis. Actus vero exsistentiae est ille, quo *essentia* ponitur extra virtutem suae causae et extra nihilum, seu meram possibilitatem, seu extra statum idealitatis et in ordine realitatis. Ergo potentia *ex se* caret *actu essentiae*, quae *ex se* ad nullum essendi modum seu ad nullam *determinatam* speciem determinatur; caret autem ex se *actu exsistentiae* potentia illa, quae *ex se sola* formaliter non est extra causam et nihilum. Consulto dixi *formaliter*: nam de hoc praecise quaestio nostra est, non de causa efficiente. — Thomistae ergo dicunt materiam primam *ex se* esse puram potentiam, quatenus nempe ex se non habet actum essentiae nec exsistentiae: quamvis affirment *ipsam esse quid physicum ac reale*, ut dictum est..... Quid est essentia, et consequenter *actus essentiae?* Nihil aliud, fatentibus omnibus, nisi id per quod res *in specie ordinatur vel in genere*, ut verbis utar S. Thomae, *Opusc. De Ente et Essentia* c. II..... Quid vult Suarez? Quod materia prima habet ex se quod sit *entitas incompleta*. Quis id negat? Thomistae enim constanter affirmant cum Magistro quod materia habet *in se et ex se* et *non a forma aliquod esse debile* (*QQ. DD. de veritate, q. 3. a 5. ad 1.*); quod *si materiae primae essentia definiretur, haberet pro differentia ipsum ordinem ad formam* (quod non negat Suarez), *et pro genere ipsam suam substantiam* (Quodlib. 9. a. 6. ad 3.). Sed entitas incompleta

est essentia incompleta, et improprie dicta ; est essentia, quae non est essentia prout definitione comprehenditur ».

299. « Quae dixi de actu essentiae, dicantur etiam de *actu existentiae*. Exsistentia enim proprie competit *essentiis*. Ergo eo modo competit alicui *exsistentia*, quo convenit essentia. In compositis autem ex materia et forma, materia non est essentia, sed pars essentiae, quae est substantia composita. Ergo non *materiae* proprie competit *esse* seu exsistentia. « Ipsum esse (*exsistentiae*) non est proprius actus materiae, sed substantiae totius. Eius enim actus est esse, de quo possumus dicere quod sit. Esse autem non dicitur de materia, sed de toto. Unde materia non potest dici quod *est*, sed ipsa substantia est id, quod est ». Haec S. Thomas (*Contra Gentiles, lib. 2. c. 54*), quem omnes Thomistae sequuntur.— Sed Thomistis iterum contradicit verbis Suarez, sed re convenit cum illis. Audiat et iudicet lector..... « Dico secundo: Materia prima etiam habet in se et per se entitatem, seu actualitatem exsistentiae distinctam ab exsistentia formae, quamvis illam habeat dependenter a forma..... Fundamentum huius conclusionis, supposita praecedenti, est, quia esse exsistentiae nullam rem vel modum realem addit supra entitatem essentiae, ut actualem et extra causas positam ; quia hoc ipso, quod entitas concipitur actualis extra causas, concipitur exsistens. (*Hoc principium Suarezii nos negamus, eiusque rationem additam distinguimus : at in praesenti unum et alteram transmittimus, quia* IN QUAESTIONEM, QUAM MODO VERSAMUS, NIHIL INFLUIT). Ex illa autem evidenter sequitur materiam, sicut habet entitatem (*sed imperfectam, ut nos dicimus, et ipse Suarez explicite affirmat*) essentiae actualem, distinctam a forma ; ita habere suum proprium esse exsistentiae (*sed eo modo tantum, quo habet entitatem essentiae, nempe incompletum, hoc est, non determinatum*), quod retinet sub quacumque forma. Unde confirmatur : nam materia eandem numero entitatem actualem (*quam habet*) habet sub forma geniti, quam habet sub forma corrupti. Ergo etiam habet idem numero esse (*proportionatum nempe eius entitati sed imperfectum, ut est esse entitatis*) [1] » [2].

Totum Em.mi caput legendum.

300. Totum Em. Auctoris caput legendum est. In quo, iis missis quae de Suaresio aerem verberante, et de sensu Thomistarum imo Scholasticorum omnium in admittenda, quoad rem, Suaresii doctrina, Auctor scribillat, sequentia notatu digna sunt. Principio quidem Eminentissimus admittit materiam primam *ex se* et *non a forma* habere imperfectum et incompletum *actum tum essendi, tum exsistendi*, quamvis non habeat perfectum et completum, qui non competit nisi substantiae compositae ; et hanc dicit esse doctrinam non solum D. Thomae, quod certum est ; sed etiam, *in re*, Thomistarum, imo Scholasticorum omnium, quod non est aeque certum. Cum tamen actus essendi et exsistendi, simpliciter et proprie loquendo, non sit nec dicatur, nisi actus completus perfectus

Notatu digna.

Materia ex se habet imperfectum actum essendi et exsistendi.

Unde factum, ut aliqui id negarint.

[1] Suarez, *Metaph. Disp. 31. Sect. 4. n. 13. seqq.*
[2] Zigliara, *De mente Concilii Viennensis..... c. 2.*

que; hinc factum putat, ut aliqui materiae primae essendi exsistendique actum aliquando negarint. Infert quaestionem: Utrum materia prima habeat necne essendi exsistendique actum, esse solum de nomine. Putat quaestionem: Utrum exsistentia distinguatur necne realiter ab actuali essentia, nihil influere in praecedentem quaestionem; quamvis innuat suam sententiam et quid, quoad hanc partem, contradicenti Suaresio responderit: quod utrumque qua ratione ab Eminentissimo sit praestitum, in superioribus visum est. Monemus tandem Eminentissimum vocare *actum entitativum* seu *actum essentiae* perfectum completumque essendi actum, quem nos claritatis gratia *actum specificum* diximus, denominatione *actus entitativi* imperfecto actui reservata.

Putat quaestionem esse de nomine. Habeat necne materia prima essendi exsistendique actum.

Putat hanc quaestionem in generalem quaestionem non influere.

Monitum.

301. His ita constitutis, ut P. Schiffini satisfaciamus, respondemus: 1.° Ex Eminentissimo Card. Zigliara quaestionem: Utrum materia prima habeat, vel non, aliquod esse essentiae et exsistentiae, et possit consequenter, vel non possit exsistere sine forma, non pendere absolute ab alia quaestione: Utrum exsistentia realiter necne in creato ente ab actuali essentia distinguatur, neque cum ipsa necessario connecti. Et revera, sive ab essentia actuali sit realiter distincta exsistentia, sive non sit, materia prima, si habet exsistentiam, hanc habebit realiter distinctam, aut indistinctam, prout a parte rei exsistentia est realiter distincta vel indistincta ab actuali essentia. Cum autem exsistentia illa necessario sit partialis et imperfecta, locum relinquit quaestioni: Utrum materia prima, ex vi imperfectae illius exsistentiae, distinctae vel indistinctae realiter, possit necne sine forma exsistere in rerum natura. Falsum igitur est, quod asserit P. Schiffini, verba D. Thomae, si exsistentia non distingueretur realiter ab essentia, non habitura sensum, neque veritatem.—Respondemus: 2.° distinguendo: Quae ex D. Thoma allata sunt, non data reali illa distinctione, non haberent *sensum*, *Neg.* Non haberent *veritatem*, *Subd.* Qua parte asserunt materiae primae incompletam imperfectamque tum essentiam, tum exsistentiam, et negant completam perfectamque, iterum *Neg.* Qua parte docent ex vi incompletae illius essentiae et exsistentiae materiam primam non posse dari in rerum natura sine forma, rursum *Subd.* Si id intelligatur connaturaliter, seu de potentia ordinata, *Neg.* Si supernaturaliter seu de potentia absoluta, iterum *Subd.* Non haberent veritatem certam, *Conc.* Probabilem, *Nego.* Constat ex praemissis declarationibus variorum locorum S. Doctoris etiam illa, quae indicat P. Schiffini, sine ulla reali distinctione inter essentiam et esse, determinatum omnino sensum habere. Contra vero, si per fas et nefas realis illa interseratur distinctio, praeter intrinsecas ipsius absurditates, aliquid contra Angelici sensum necessario dicetur, uti mox videbimus. Quod vero spectat Angelicae doctrinae veritatem, distinctio in omnibus suis membris clarissima est. Fatendum tamen est repugnantiam absolutam, ut materia prima producatur et sit in natura sine forma, non esse evidentem, nec ab omnibus Doctoribus admitti. Nobis vero, quidquid aliqui dicant, verum videtur illam

Prima responsio indirecta Patri Schiffini.

Patet inde falsumo esse, quod asserit P. Schiffini.

Secunda responsio directa.

Declaratur.

esse doctrinam D. Thomae, non quidem certam, sed tum ob eius auctoritatem, tum ob allata ab ipso argumenta, solide probabilem.

Respondetur P. De Maria.

302. Ut autem nimium fidenti P. De Maria respondeamus, concedimus quod primo statuit, D. Thomam docere materiam primam ne de potentia quidem absoluta posse solam sine forma exsistere, et doctrinam hanc a Scoto impugnari. Negamus vero D. Thomam *exinde deducere in substantiis materialibus esse duplicem compositionem.* Id nullibi dicit D. Thomas, ubi agit de materia prima, uti constat ex eius verbis superius recitatis. Agnoscit utique S. Doctor duplicem illam compositionem; sed: — α) eam derivat ex eo, quod in creatis non est idem essentia et esse, et consequenter quod etiam ex hoc capite datur in ipsis potentia et actus: — β) docet duplicem illam compositionem non esse eiusdem rationis: « Nec est autem eiusdem rationis compositio ex materia et forma, et ex substantia et esse »[1]; sed alteram esse physicam et formaliter realem, alteram metaphysicam et rationis, seu fundamentaliter realem, uti, cum de iis locis ageremus, in perspicuis positum est.— Ubi vero subdit: *Porro si essentia et exsistentia in creaturis non distinguerentur realiter, neque materia prima posset dici mera potentia in genere entis etc.*, nescio utrum haec laudi verti possint P. De Maria. Materia prima ex D. Thoma habet suam *quidditatem imperfectam* et suum *esse debile*, et est *ens* in *potentia* et, dum producitur, imitatur Deum, qui agit, quatenus *actu est.* Si autem est in potentia; haec potentia non est ad suam quidditatem et ad suum esse, sed ad formam, a qua fit *haec*, aut *talis*, seu habet esse specificum, aut esse accidentale. Unde nullibi legitur apud D. Thomam *materiam primam esse* MERAM *potentiam in genere entis.* Qui autem id dixerunt in sensu Patris De Maria, quot et quantas devorarint absurditates suo loco dictum est; neque est hic, ubi unice de D. Thoma sumus solliciti, repetendum. Atque hoc idem dicendum est de ultimo, quod invocat, D. Thomae et communi dicto: *Materia et forma dividunt substantiam materialem, potentia autem et actus dividunt ens commune.* Vidimus enim in superioribus philosophema hoc in sensu P. De Maria, nimirum: Ens commune, praedicamentale tamen, dividi in essentiam et exsistentiam realiter distinctas, tanquam in potentiam et actum, non solum non esse D. Thomae et veterum Scholasticorum, sed esse aperte contra D. Thomam, divisionem illam in novem generibus accidentium certo negantem[2].

Negatur consequutio.

Nullibi legitur apud D. Thomam: *Materiam primem esse meram potentiam in genere entis.*

Corripitur ultime.

303. Contra vero ex laudatis D. Thomae locis omnino habetur S. Doctorem in creato ente distinctionem illam realem adversariorum nullo modo agnovisse. Docet enim materiam primam ex se habere partialem imperfectamque quidditatem, quia est *imitatio primae formae;* habere *suum esse debile*, quia *creatur*, quia *est*, quia est *imitatio primi entis;* imo ideo habere realem quidditatem, quia habet esse, indistinctum proinde realiter a quidditate:

Contra in locis laudatis D. Thomas docet essentiam et esse in creato ente non distingui realiter. Ostenditur.

[1] D, Thoma, *Contra Gentiles, lib. 2. c. 54.*
[2] *Vide supra, Sect. 1. n. 63. seqq. — Sect. 3. n. 89.*

« Quamvis, *inquit*, materia prima sit informis ; tamen inest ei imitatio primae formae. Quantumcumque enim debile esse habeat ; illud tamen est imitatio primi entis » ; habere esse specificum perfectumque a forma substantiali, sine qua in rerum natura, ne de potentia quidem absoluta, posset exsistere. Quaero : Quodnam sit illud esse imperfectum proprium materiae primae ? Estne entitatula illa Aegidiana adversariis in deliciis ? Ast vero D. Thomas, uti huc usque vidimus, nullibi illius entitatulae ingerit mentionem. Hic explicite saltem illam non meminit ; implicite respuit. Ipsum *esse debile* materiae primae tribuit, uti tribuit imperfectam quidditatem. Materia autem prima suam imperfectam quidditatem ex se habet, et non ex entitatula alia superaddita. Materia prima *est*, quia creatur et imitatur ex se primum ens, quod actu est ; non quia ei *imprimitur actualitas realiter distincta*, uti loquitur Aegidius. Adversarii ipsi illam entitatulam materiae primae, qua tali, negant. Dicunt enim, non tamen ex D. Thoma, materiam primam esse *meram* potentiam in genere entis, et caram illam suam entitatulam esse compositi. Ad haec, entitatula illa, iuxta ipsos, dum novum compositum fit, desinit esse et *quodammodo* corrumpitur, uti corrumpitur ipsa forma substantialis materialis. Materia autem prima secundum se, seu secundum esse, quod habet, quodque in ipsa positivum est, ex Philosopho et D. Thoma, non corrumpitur, sed est incorruptibilis uti est ingenerabilis. Ergo esse debile materiae primae ipsi, ex D. Thoma, identicum est, seu est ipsa, ut realis est, et sibi ipsi, ut mere possibili, opposita. Uti autem D. Thomas loquitur de imperfecto esse materiae primae ; sic etiam loquitur de esse perfecto, quod formaliter quidem datur a forma, efficienter a Deo. Posita forma substantiali, quin unquam alterius entitatulae fiat mentio, res simpliciter est ; et tamdiu est, quamdiu formâ materia informatur. In ipsis locis ab adversariis laudatis legimus : « Creationis terminus est ens actu : ipsum autem, quod est actus, est forma. Dicere igitur materiam praecedere sine forma, est dicere ens actu sine actu ». Ac rursum : « Quidquid in rerum natura invenitur, actu exsistit : quod quidem non habet materia nisi per formam, quae est actus eius ». Ubi est hic entitatula Aegidiana ? Actus, quo materia perfecte exsistit, est forma : et, forma materiam informante, res est. Extranea et repugnans D. Thomae est igitur entitatula illa.

D. Thomas.

Extranea et repugnans Divo Thomae est entitatula Aegidiana.

304. At vero P. Schiffini paulo aliter eandem urget difficultatem. « In hoc praecise, *inquit*, ex mente Angelici reponi debet proprius modus essendi formae subsistentis seu spiritualis, quatenus haec distinguitur a forma sive accidentali sive substantiali non subsistenti, quod illa, secus ac ista, communicat quidem suum esse materiae cui unitur, ex qua communicatione materia habet ut sit actu in rerum natura, potest tamen illud sibi soli reservare, atque ita subsistere etiam composito dissoluto. Sic docet *2. Contr. Gent. cc. 57. 68. ; QQ. DD. De Anima a. 1.* In hoc posteriori testimonio haec inter cetera notari debent. Proponit sibi difficultatem sequentem. « Esse corporis est esse corruptibile et ex par-

P. Schiffini aliter urget eandem difficultatem.

D. Thomas.

tibus quantitativis resultans. Esse autem animae est incorruptibile et simplex. Ergo corporis et animae non est unum esse ». Huic certe obiectioni, si materia corporalis exsisteret per esse distinctum ab eo, quo anima subsistit etiam post fata corporis, alia responsio aptari deberet, quam quae traditur a S. Doctore his verbis: « Dicendum, *ait*, quod illud, quod proprie corrumpitur, non est forma, neque materia, neque ipsum esse, sed compositum. Dicitur autem esse corporis corruptibile, *in quantum corpus per corruptionem deficit ab illo esse, quod erat sibi et animae commune, quod remanet in anima subsistente.* Et pro tanto dicitur etiam ex partibus consistens esse corporis, *quia ex suis partibus corpus constituitur tale, ut possit ab anima esse recipere* », *loc. cit. ad 14.* »[1]

Respondetur.

305. Pace carissimi fratris in Christo, quid ex dictis concludendum sit non satis apparet. Doctrina, quam ab initio D. Thomae adscribit, utique S. Doctoris est, utut *cc. 57. et 68. 2. contra Gentes* non sit formaliter expressa. Dato vero illo discrimine in modo habendi esse inter formam subsistentem et non subsistentem, aut etiam accidentalem, quid inde? Nihil ipse infert aperte. Intelligitur autem ex intentione proferendi illam doctrinam, ipsum in ea opinione esse: D. Thomam eo ipso, quod forma subsistens communicat materiae suum esse, ut haec actu sit, et tamen sibi tale esse reservat, ut sit etiam a materia separata: D. Thomam, inquam, eo ipso quod hoc sentit, sentire etiam esse exsistentiae realiter distingui ab esse essentiae. En materia quae, quamvis habeat essentiam suam, exsistit tamen esse animae. Hoc esse igitur distinctum est re ab essentia materiae. — Erit igitur quid? Res aliqua? Realis rei modus? Quid denique? Porro D. Thomas nihil horum aut dicit, aut infert. Audiamus ergo ex ipso Thoma primo quidem: *Quomodo ipsa anima habeat esse;* subinde vero: *Quomodo hoc esse materiae aut corpori communicet.* Et quamvis in superioribus, ac praecipue in *De Ente et Essentia*[2], haec fuerint notata; ad complendam tamen et clariorem reddendam illam doctrinam non pigeat pauca dictis addere.

Colligitur eius mens, quamvis aperte non proferat.

Affertur D. Thomas.

306. Probaturus S. Doctor: « *Quod substantiae intellectuales sunt incorruptibiles* », inter egregia alia, scribit sequentia: « Quod per se alicui competit, de necessitate, et semper, et inseparabiliter ei inest: sicut rotundum per se quidem inest circulo, per accidens autem aeri; unde aes quidem fieri non rotundum est possibile, circulum autem non esse rotundum est impossibile. Esse autem per se consequitur ad formam. Per se enim dicimus, *secundum quod ipsum.* Unumquodque autem habet esse secundum quod habet formam. Substantiae igitur, quae non sunt ipsae formae, possunt privari esse secundum quod amittunt formam: sicut aes privatur rotunditate secundum quod desinit esse circulare. Substantiae vero, quae sunt ipsae formae, nunquam possunt privari esse: sicut si aliqua substantia esset circulus, nunquam posset fieri non ro-

---

[1] Schiffini, *Op. et loc. laud.*

[2] *Vide supra n. 123. seqq. huius Sect.*

tunda. Ostensum est autem supra [1] quod substantiae intellectuales sunt ipsae formae subsistentes. Impossibile est igitur quod esse desinant. Sunt igitur incorruptibiles » [2].

307. Hoc loco docet Aquinas τὸ *esse* per se competere formae, atque adeo *de necessitate, et semper, et inseparabiliter*, data nimirum ipsa forma. Docet etiam *per se* dici *secundum quod ipsum*, videlicet praecise *qua forma*, non autem quatenus haec aut illa est. Quod autem huiusmodi est, aut ipsa essentia est, aut pars essentiae, aut proprietas aliqua metaphysica realiter essentiae identica, et solum formaliter distincta; nequit autem esse aut proprietas physica, aut proprie dictum accidens. Utrumque enim hoc est per se ab essentia separabile. Et accidens quidem stricte dictum, ex Angelici doctrina, non fundatur in principiis naturae communis, sed in principiis individuantibus; proprium autem fluit quidem necessario ex natura communi, ea tamen lege, ut talis proprii exigentia naturae sit essentialis et ab ea inseparabilis, satisfactio autem talis exigentiae sit solum connaturaliter necessaria atque porro, generatim saltem loquendo, possit divinitus non conferri. Superest igitur ut formae, secundum quod forma, esse competat aut uti essentia et nota essentialis, aut uti proprietas metaphysica; forma enim, cum simplex sit, caret partibus essentialibus. Quamvis vero S. Doctor videatur dicere τὸ *esse* competere formae, uti rotunditas competit circulo, atque adeo competere uti notam essentialem; non est tamen haec eius mens, secus omnes substantiae spirituales, imo omnes formae substantiales essent per se entia, seu haberent esse per essentiam, quod certissime a toto D. Thoma infinite distat. Superest igitur, ut sic τὸ *esse* formae, qua tali, dicat per se competere, sicut proprietas metaphysica *per se* competit naturae aut essentiae. Et hoc est, quod clare S. Doctor iis verbis significat: *Esse autem per se consequitur ad formam.* Nisi quis velit dicere rotunditatem in ipso circulo non esse notam quidditativam, sed proprietatem metaphysicam ex quidditate fluentem, quatenus circulus est: *Figura plana, cuius omnia puncta aeque distant a centro;* ex quo necessario sequitur circulum esse: *Figuram planam rotundam.* Atque haec doctrina omnino consonat cum doctrina capitum immediate praecedentium, uti claret ex iis, quae in commentationem illorum capitum superius dicta sunt. Sequitur hinc τὸ *esse*, et quidem perfectum specificumque, ex doctrina D. Thomae, in formis substantialibus non realiter, sed solum formaliter ab ipsis formis distingui, et entitatulam Aegidianam, ceu propriam D. Thomae, in formis substantialibus esse commentitiam.

Collectio ex loco allato.

Ex doctrina D Thome τὸ *esse* specificum in formis substantialibus ab ipsis non realiter, sed solum formaliter distinguitur.

308. Subdit D. Thomas: « Adhuc in omni corruptione, remoto actu, remanet potentia. Non enim corrumpitur aliquid in omnino non-ens, sicut nec generatur aliquid ex omnino non-ente. In substantiis autem intellectualibus, ut ostensum est [3], actus est ipsum

Adhuc D. Thomas.

[1] *Supra, c. 50.*
[2] D. Thomas, *Contr. Gent. lib. 2. c. 55.*
[3] *Supra, c. 53.*

esse ; ipsa autem substantia est sicut potentia. Si igitur substantia intellectualis corrumpatur, remanebit post suam corruptionem: quod est omnino impossibile. Omnis igitur substantia intellectualis est incorruptibilis »[1]. — Quaero : quare est omnino impossibile, ut remaneat actu substantia intellectualis sine suo esse, si de physica potentia et physico actu realiter distinctis sermo est? Non est enim substantia intellectualis, uti materia prima, secundum totum suum esse imperfectum in potentia ad formam ; sed est actus perfectus specificusque, quamvis non omnino purus, sed includens aliquam potentialitatem. Si autem accidens, quia actus est, et sane minus purus quam substantia intellectualis, ex D. Thoma, potest divinitus conservari sine esse, quod habebat in subiecto ; quare non potest conservari, sed est omnino impossibile, ut sine suo esse conservetur divinitus substantia intellectualis, si suum esse ab ipsa realiter distinguitur? Data reali distinctione, illa tanta dependentia unius ab altero, ut sit omnino impossibile, ut substantia remaneat, pereunte esse, difficillime probabitur ; imo facillime non poterit probari, cum vix aut ne vix quidem id in materia prima relate ad formam possit probari. At si esse et substantia seu essentia substantiarum intellectualium *re* idem sunt, quamvis formaliter differant ; nec proinde sunt vera seu physica potentia et physicus actus, sed substantia est : *sicut potentia*, ut ait Aquinas, atque porro esse, *sicut actus ;* erit plane in aperto non posse ullo modo sic corrumpi substantiam intellectualem ut, amoto esse aut actu, ipsa substantia, quae *uti potentia* est, utcumque remaneat. Atque hoc est, quod ait Angelicus : *Si substantia intellectualis corrumpatur, remanebit post suam corruptionem.* Cum enim potentia, quae post omnem corruptionem remanet, hic sit ipsa quidditas spiritualis, quae sibi τὸ *esse* realiter identificat, si fiat hypothesis propriae corruptionis substantiae intellectualis, haec post corruptionem erit eadem, quae prius, quod absurdum est. Itaque Angelicus, supposita ex priori argumento reali identitate inter essentiam actualem et esse substantiae intellectualis, infert hypothesim propriae corruptionis talis substantiae esse hypothesim contradictoriam, atque adeo *omnino impossibilem.* Ubinam est hic entitatula Aegidiana? De illa D. Thomas nunquam cogitavit.

Quaestio

Clarissime excluditur entitatula Aegidiana.

309. Quod vero D. Thomas in argumentis primo et quarto repetit : *Per formam substantia fit proprium susceptivum eius, quod est esse*, iam in superioribus declaratum est. Fit enim substantia susceptivum, non physicum sed metaphysicum ; quatenus per formam vel completur vel constituitur substantia completa, cuius proprie est esse aut exsistere in rerum natura : unde esse intelligitur quasi ad formam consequi et recipi in substantia, quae creatur aut quocumque modo producitur. — Iterum notamus, cum hic circulum eiusque rotunditatem ad ostendendam inseparabilitatem τοῦ *esse* a forma D. Thomas in medium afferat ; alibi vero

Declarantur aliquot verba, quae aequivocationi dare locum possent.

Notandum.

[1] *Idem, loc. laud. c. 55.*

lumen et corpus diaphanum, aut subiectum et albedinem, aut, si id ita esset, actionem et potentiam activam ad significandam aut declarandam compositionem ipsius esse cum essentia; facile intelligitur a S. Doctore exempla huiusmodi ut mera exempla afferri, ut aliquo modo illustretur, quod in singulis locis praecipue intenditur, et non ut in omnibus ex parili currant.

Collectio ex tota doctrina huc usque declarata de substantia intellectuali.

310. Itaque, ex doctrina D. Thomae, substantia intellectualis, dum est, non distinguitur realiter a suo esse; imo si, *ut actu est*, spectetur, includit in suo reali conceptu ipsum esse, sicut circulus includit rotunditatem. Videndum iam est: quomodo huiusmodi substantia, si informans materiam sit, suum esse materiae communicet. S. Doctor, in loco a P. Schiffini laudato ex *QQ. DD.*, postquam Empedoclis Galenique errores retulit et confutavit de animae natura; retulit etiam opinionem Platonis, animam nimirum solam esse hominem, et uniri corpori uti motorem mobili, et uti nautam navi, ait: « Sed haec opinio stare non potest. Manifestum est enim id, quo vivit corpus, animam esse. Vivere autem est esse viventibus. Anima igitur est, quo corpus humanum habet esse actu. Huiusmodi autem forma est. Est igitur anima humana corporis forma..... Relinquitur igitur quod anima est *hoc aliquid* (*individuum nimirum in genere substantiae, ut S. Doctor explicat*), ut per se potens subsistere, non quasi habens in se completam speciem; sed quasi perficiens speciem humanam ut forma corporis, et sic similiter est forma et hoc aliquid »[1]. Ex expressa D. Thomae doctrina, anima dat corpori *esse actu*, quia dat ipsi vivere, utique in actu, ut aiunt, primo. Dat autem corpori vivere in actu primo per sui communicationem, et non per aliquam entitatulam absolutam aut modalem a se realiter distinctam. Ergo dat esse actu per sui communicationem, et non per aliquam entitatulam absolutam aut modalem a se realiter distinctam. Rursum dat corpori esse actu, quatenus forma est et complet naturam humanam; ipsa enim est quae, cum ratione sui actualitatem sibi vindicet, efficit ut tota aut completa natura actu sit. At forma est et complet naturam humanam sua ipsa entitate, et non per entitatulam aliam a se realiter distinctam. Ergo eodem modo dat corpori esse actu. Verum cum anima simul forma sit, simul hoc aliquid, aut individuum subsistens in genere substantiae, sequitur ipsam nullo modo habere a corpore esse actu et subsistere, atque adeo posse etiam esse sine corpore. Quid haec cum *esse*, quod sit entitatula a substantia animae realiter distincta et corpori communicata. Sed de his ubertim in *De Ente et Essentia* actum est, nec sunt omnia ubique repetenda.

Quomodo substantia spiritualis suum esse materiae communicet, si sit forma informans.

D. Thomas.

Illatio.

311. Ast vero P. Schiffini difficultati illi a se ex S. Doctore excerptae aliam ait aptandam fuisse responsionem, si exsistentia ab actuali essentia realiter non distingueretur: non tamen quae nam huiusmodi responsio futura fuisset subindicat. Curiositas animo insidet illam responsionem agnoscendi. Nobis optima vi-

Accedimus propius ad P. Schiffini.

Legitima curiositas.

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De Anima, q. un. a. 1. corp.*

Responsio D. Thomae amussitata.

detur et omni ex parte amussitata D. Thomae responsio. Difficultas erat: « Esse corporis est esse corruptibile et ex partibus quantitativis resultans. Esse animae est incorruptibile et simplex. Ergo corporis et animae non est unum esse ». Respondet D. Thomas in forma per partes. Esse corporis est corruptibile, *Dist. 1.am mai. part.* Quasi proprie ipsum esse corrumpatur, *Neg. 1.am mai. part.* Quatenus corpus per corruptionem compositi deficit ab illo esse, quod erat sibi et animae commune, et quod remanet in anima subsistente, *Conc. 1.am mai. part.* Ad secundam partem. Esse corporis est ex partibus quantitativis resultans, *Dist.* Est formaliter resultans aut consistens ex partibus quantitativis, *Neg. 2.am mai. part.* Est denominative resultans aut consistens ex partibus quantitativis, quatenus ex suis partibus corpus constituitur tale, ut possit ab anima esse, aut actuationem recipere, *Conc. 2.am mai. partem.* Concedo minorem. Ergo corporis et animae non est unum esse, *Dist. consequens.* Formaliter *Neg. consequentiam.* Denominative, *Subd. Consequens.* Denominatione derivata ab eo, quod ad esse quodammodo praesupponitur, *Conc. consequentiam.* Denominatione ab ipso formaliter esse derivata, *Neg. consequentiam.* Quae responsio est omnino D. Thomae. Propositae difficultati S. Doctor immediate subdit: *Sed diceretur, quod corpus humanum ipsum esse corporis habet per animam.* Quasi dicat: Etsi corpus, ut corpus, non exigit actuari aut constitui reale in rerum natura principio incorruptibili et spirituali; si tamen *humanum sit*, ipsam corporis actualitatem ab anima, quae principium spirituale et incorruptibile est, exigit recipere. Recipit autem non per communicationem alicuius entitatulae a se realiter distinctae; sed quatenus anima subsistens, quae ex se *actus est* quia forma, et *actu est* quia subsistens, materiam informando, ipsam facit esse et subsistere in ratione corporis, viventis, sensitivi, quamvis non in ratione intellectivi, cuius perfectionis materia est incapax. Ex vi autem huius actualitatis intellectivae, quam materiae non communicat, sed sibi reservat, ipsa potest etiam sola, seu sine corpore, sine vita vegetativa, sine vita sensitiva, non radicaliter sed formaliter inspectis, post corporis fata subsistere.

Ostenditur.

Confirmatur nostra declaratio.

312. Hanc doctrinam S. Doctor plenius quidem, ut vidimus, in aliis operibus evolvit, satis autem hoc loco innuit praesertim in variarum difficultatum solutione. « Ad 15.um dicendum quod in definitionibus formarum aliquando ponitur subiectum *ut informe*, sicut cum dicitur: *Motus est actus exsistentis in potentia.* Aliquando autem ponitur subiectum formatum, sicut cum dicitur: *Motus est actus mobilis — Lumen est actus lucidi.* Et hoc modo dicitur anima (*in definitione Philosophi*): *Actus corporis organici, physici;* quia anima facit ipsum esse corpus organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum ». Itaque anima per seipsam dat corpori ipsum esse corpus organicum. « Ad 16.um dicendum quod principia essentialia alicuius speciei ordinantur non ad esse tantum, sed ad esse huius speciei. Licet igitur anima possit per se esse, non tamen potest in complemento suae speciei esse sine corpore ». Ergo

a principiis essentialibus habetur esse, non autem ex D. Thoma ab entitatula, nescio qua; quamvis principia essentialia non ad solum esse, sed etiam, imo primo, ad speciei complementum ordinentur. « Ad 17.um dicendum quod licet esse sit formalissimum inter omnia; tamen est etiam maxime communicabile, licet non eodem modo ab inferioribus et superioribus (*formis aut gradibus formalibus*) communicetur. Sic ergo corpus esse animae participat; sed non ita nobiliter sicut anima ». Corpus enim in gradu τοῦ *esse* intellectivi non communicat. « Ad 18.um dicendum quod quamvis esse animae sit quodammodo corporis; non tamen corpus attingit ad esse animae participandum secundum totam suam nobilitatem et virtutem: et ideo est aliqua operatio animae, in qua non communicat corpus ». Secundum hanc autem nobilitatem intellectualem sibi anima esse reservat, et retinet etiam formaliter destructo corpore. Nihil in his est entitatulae superadditae, ac multo minus evidenter.

Excluditur omnino entitatula, nescio quae.

De Angelici doctrina circa esse exsistentiae naturae humanae in Deo Verbo Incarnato, 3. p. quaest. 17.

313. In hac D. Thomae quaestione illud doctrinae caput continetur, quo pro reali sua distinctione asserenda, ad declarandamque S. Doctoris mentem multum fidunt adversarii. « Realis distinctio, *scribit P. Billot*, inter essentiam et esse in creatis tantae est necessitatis, ut sine illa unio duarum naturarum in uno eodemque divino supposito videatur undequaque inintelligibilis. Verum doctrina de unitate actus essendi in Christo minime fundatur *super doctrinam philosophicam hactenus declaratam; quin imo, quod apud nos esse exsistentiae non sit re idem cum natura, directe eruitur et solide deducitur vel ex sola veritate revelata unionis naturae ad Deum secundum subsistentiam; et ideo, etiamsi praefata distinctio non probaretur efficaciter ex argumentis pure rationalibus mox* (nuper vel modo) *indicatis, adhuc remaneret theologice demonstrata*, ut suo loco videbimus, et firma semper consisteret theologia de Verbo Incarnato. Igitur ad abundantiam iuris praemissa sunt argumenta pure metaphysica, ut scilicet mens connaturalius praeparetur ad inveniendam fidei intelligentiam, et perfecta concordia rationis cum revelatione facilius ei appareat. Ceterum, quia conclusiones nostrae de unione hypostatica nequaquam innitentur demonstrationibus philosophicis, quas plerique adversariorum pro inani systemate habere volunt, non est cur in iis firmandis ampliorem nunc operam collocemus; sed satis est, absolute loquendo, *si a conclusione theologica de reali distinctione essentiae et esse* postmodum demonstranda removeatur *saltem* evidens contradictio » [1].

P. Billot.

314. Sed haec sunt nimis fidenter dicta, uti in more est iis, ex quorum ore (sic videntur arbitrari) D. ipse Thomas loqui censendus est. Enimvero pro merito disiicere quae P. Billot hoc loco profert, pleraque alia, quae subinde adiicit, praesentis nostri

Nimis fidenter loquitur.

[1] Billot, *De Verbo Incarnato, In 3. p. D. Thomae, q. 2. 2. sub fin.*

Non est huius loci pro merito disiicere dicta P. Billot.

institutí haudquaquam est: praestabimus plene, et abundanter, et cumulate in *Tractatu De Incarnatione*, si illum, quemadmodum in ardentissimis votis est, Iesus Christus sic dederit concinnare, ut quod in nostrum discipulorumque privatum usum exaratum fuit, publici iuris fieri aliquando possit. Ad praesens institutum quod attinet, ex P. Billot: *Realis distinctio inter essentiam et esse in creatis tantae est necessitatis ut, sine illa, unio duarum naturarum in uno eodemque divino supposito videatur undequaque inintelligibilis.* Atqui tamen Patres ad tradendam illius mysterii intelligentiam, et uberem quidem, quantum id in mysterio potest haberi, intelligentiam, nunquam illius distinctionis meminere; primi subsellii Theologi non pauci illam positive respuunt, et mysterii intelligentia apud illos non est minus clara, quam apud adversos, si apud hos analogica mysterii notio aliqua potest informari; et, quod caput et nostrum est, nullo modo ex illa distinctione mysterii intelligentiam, uti mox videbimus, quaerit Aquinas. Ergo.

Animadversio in Patrem Billot.

Communis Ecclesiae fides.

315. Communis Ecclesiae fides et praedicatio est et fuit semper Dei Patris Verbum assumpsisse ex sanctissima Dei genitrice, B. Virgine Maria, naturam humanam, non assumpsisse personam humanam. In huius dogmatis intelligentiam declarationemque, uti habetur ex Anathematismis S. Cyrilli aut ex definitione Ephesina, ex definitione Chalcedonensi, ex canonibus Constantinopolitani II. et ex Patribus, qui contra cuiusvis generis Nestorianos scripserunt, nunquam dictum est Verbum assumpsisse naturam humanam sine entitatula Aegidiana τοῦ *esse* humani, quam ipse suo divino *esse* supplevit; vel sine entitatula alia modali, quam supplevit sua personalitate; sed duo omnino Patres intelligebant tuebanturque. Horum primum est: Naturam Christi humanam nunquam fuisse in se et separatim a Verbo, sed iam inde a primo conceptionis instanti fuisse in Verbo, Verboque unitam. Secundum est: Unionem naturae humanae ad Verbum fuisse non accidentalem, ut Nestoriani (hac una denominatione complectimur haereticos omnes, qui eodem modo blasphemabant) non verebantur asserere, sed substantialem; non quidem secundum naturam, sed secundum hypostasim, quatenus divina et humana natura in Christo sic unitae sunt, ut Patres dicerent: « Unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum (ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν Ἰησοῦν υἱὸν μονογενῆ) in duabus naturis inconfuse, immutabiliter (ἀτρέπτως - *inconvertibiliter*), indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam (καὶ μίαν ὑπόστασιν) concurrente, non in duas personas partitum atque divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum »[1]. Sequitur hinc, ut illa intelligentia catholici dogmatis, quam P. Billot ex sua distinctione derivat, si utcumque intelligentia est, est saltem intelligentia *praeter intelligentiam et doctrinam Patrum.*

Definitio Ephesina, Chalcedonensis, Constantinopolitana, Patres.

Duo docent.

Primum.

Secundum.

Verba definitionis Chalcedonensis.

Intelligentia P. Billot, si utcumque dogmatis intelligentia est, est *praeter doctrinam Patrum.*

[1] Denzinger, *Enchiridion etc. Definitio Concil. Chalced.*

316. Imo, si quis penitius rem consideret, opinio P. Billot et aliorum, cum quibus ipse sentit, est non solum praeter intelligentiam et doctrinam Patrum, sed est etiam *contra intelligentiam et Patrum doctrinam*. Eadem definitio Chalcedonensis habet: « Sequentes sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium et (graece deest: *et*) Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate (τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι), et eundem perfectum in humanitate, Deum vere, et hominem vere eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, (καὶ) consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, *per omnia nobis similem absque peccato* ». Quam eandem doctrinam Patres in suis operibus pluribus modis evolvunt, uti notum est. Atqui si τὸ *esse* humanum esset entitatula illa Aegidiana realiter a quidditate hominis distincta, et tali entitatula Christi humanitas careret, Christus non esset perfectus in humanitate, omnimodis non esset per omnia nobis similis absque peccato; in *esse* enim humano abs dubio nobis similis non esset, cum similitudo pro actuali formalique possessione eorum, quae in reali humanitate reperiuntur, a Conciliis et Patribus reponatur.

Imo est *contra doctrinam Patrum*.

Adhuc Chalcedonense.

Ostenditur doctrinae Patrum contraria entitatula aegidiana.

317. Respondet P. Billot: « Si in sensu adversariorum Patres interpretari placet, statim consequitur inveniri in Christo et humanam personalitatem, quia et personalitatem in nobis Verbum Creator inseruit..... Rursum..... sequeretur Verbum debuisse assumere omnes individualitates humanas, seu illud omne, quo unum individuum distinguitur ab altero..... Quae si absurda sunt, evidens est loquutiones Patrum hoc sensu esse intelligendas: Verbum scilicet assumpsisse quidquid pertinet ad speciem humanam, cum omnibus proprietatibus ipsam speciem consequentibus, sola excepta deordinatione, quae non erat primaevae conditionis, sed per originale peccatum fuit inducta » [1].

Responsio P. Billot.

Ex nostra doctrina sequela duplex adversa.

318. Verum sequelae P. Billot nullae sunt. Nulla est prima; quia personalitas, iuxta Patres, non est quid physicum, sed metaphysicum. Est enim ipsa *totietas naturae in se et sibi*, seu adaequata naturae perseitas. Hoc autem natura habet non per entitatulam Aegidianam, neque per aliam entitatulam modalem, sed per se ipsam, hoc ipso quod secundum connaturalem sui rationem et exigentiam, qua ad alium non ordinatur, nec connaturaliter ordinari potest, relinquitur. Itaque, assumpta natura secundum omnia, quae ipsi physice insunt, non quatenus in se et sibi est, sed ut sit in alio et alii, huic naturae denominatio personae nullo modo competet; atque adeo, assumpta natura secundum omnia physica, non sequitur ut fuerit assumpta persona, aut ut inveniatur in Christo humana persona. Atque haec est ipsa Patrum responsio, quam P. Billot aliquantillum verba immutans paulo ante retulit ex Damasceno, et cuius nunc oblitus videtur. « Neque ut seorsim subsisteret Dei Verbi caro condita est (οὐ γὰρ

Impugnatur responsio. Sequelae nullae.

Personalitas non est physicum quid, sed metaphysicum.

Damascenus.

[1] Billot, *Op. et q. laud.* § 5.

ἰδιοσυστάτως ὑπέςη ἡ τοῦ Θεοῦ Λόγου σὰρξ), aut praeter Dei Verbi personam alia facta fuit persona; sed cum in ea subsisteret (ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὑποςᾶσα) facta est potius ἐνυπόςατος, (h. e. in alio subsistens), quam seorsim in seipsa subsistens hypostasis (καὶ οὐ καθ' ἑαυτὴν ἰδιοσύςατος ὑπόςασις) » [1]. — Nulla item est secunda sequela; quia uti non fuit necesse, ut Verbum assumeret omnes naturas humanas, sic non fuit necesse ut assumeret omnes individualitates humanas; « Quia per hoc, quod natura in aliquo individuo assumpta est, praeparatur curatio omnibus, qui similem naturam habent » [2], ait Angelicus. At entitatula Aegidiana, iuxta P. Billot, in nulla natura assumitur. Ergo iuxta Patres non potest salvari; quod enim non est assumptum, non est salvatum. [3]

Nulla secunda sequela.

Quare.

D. Thomas.

Entitatula Aegidiana, iuxta Patres, non potest salvari.

319. Quapropter loquutiones Patrum, praesertim si in contextibus inspiciantur, non possunt intelligi, uti vellet P. Billot, de assumptione humanae naturae quoad ea, quae speciem constituunt et naturam specificam consequuntur. Patres enim loquuntur de natura non abstracta, sed reali; ac minus multo loquuntur de tali natura abstracta, quae esset in genere entis, *mera potentia*, vix aut ne vix quidem intelligibilis aut intelligenda, quae ab ipso exsistendi actu, quidquid entitativae actualitatis potest habere, debeat recipere, uti revera fingunt adversarii. Tum Patres, quod Verbum veram et perfectam suscepit naturam humanam, dicunt ipsum suscepisse non solum essentialia naturae et proprietates metaphysicas essentiam consequentes; sed suscepisse etiam proprietates physicas, partes integrales, accidentia demum ipsa, quae ad perfectionem et ornatum ipsius realis naturae requiruntur. Intelligebant proinde naturam, quae physica nulla perfectione ad naturam realem requisita careret. Ipsum autem esse exsistentiae ad eiusmodi conceptum omnino requiritur. Contra mentem igitur Patrum et Conciliorum statuit P. Billot Verbum assumpsisse naturam humanam sine, non quidem Aegidiano, sed vero esse exsistentiae.

Loquutiones Patrum non explicantur a P. Billot.

320. Imo, inspecta non sane Auctoris catholicissimi, si ita loqui fas est, mente sed re ipsa, P. Billot contra ipsum fidei dogma statuit Verbum naturam humanam assumpsisse sine humana exsistentia, quam divino esse supplevit. Si enim ita esset, unio divinae naturae et humanae in Verbo facta esset in ipso esse divino Verbi. Si facta esset in esse divino Verbi, facta esset in natura, et non in persona. Ergo si Verbum assumpsit naturam humanam sine humana exsistentia, et hanc supplevit suo esse divino, unio divinae naturae et humanae in Verbo facta esset in natura et non in persona. Hoc autem est contra ipsum fidei dogma, et est pura renovatio haeresis Eutychianae et rigidioris erroris Ubiquistarum. *Maior* patet. Si enim Verbum unitum esset naturae

Imo inspecta, non catholicissimi Auctoris intentione, sed ipsa re intelligentia P. Billot est contra ipsum dogma.

Probatur.

---

[1] Ioannes Damascenus, *De Fide Orthod. lib. 3. c. 9.*

[2] D. Thomas, *In III. Dist. 2. q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. ad 1um.*

[3] Cfr. Nazianzenum, *Epist. 1. ad Cledonium Presbyterum, 101. in Ed. Migne.* — Damascenum, *De Fide Orthodoxa, lib. 3. c. 6. etc.*

humanae ita, ut suo esse exsistentiae suppleret esse humanum, quod naturae deesset, id quod immediate unitum esset naturae humanae, esset ipsum esse Verbi; terminus autem talis unionis esset unicum esse Verbi et naturae humanae. Atqui si ita esset, unio facta esset in ipso esse Verbi. Quando enim dicimus: *Unio facta est in persona*, hoc utique intelligimus: Personam immediate unitam esse naturae humanae, huius autem unionis terminum esse unicam personam Verbi et naturae humanae. Ergo si unio sic facta est, ut ipsum esse Verbi unitum sit immediate naturae humanae, et huius unionis terminus est unicum utriusque esse, unio facta est in ipso esse Verbi. — *Prob. minor.* Esse in divinis, iuxta constantem Patrum Doctrinam et communem Theologorum sensum, accensetur praedicatis absolutis atque porro naturae; imo formalissime est ipsa natura divina, quae est ipse ὁ ὤν. Si ergo unio naturae divinae et humanae facta esset in esse Verbi, facta esset in natura Verbi et non in persona.

Doctrina realis distinctionis renovat haeresim Eutychianam.

321. Quod vero hoc esset renovare haeresim Eutychianam et errorem Ubiquistarum est omnino evidens. Utique Eutychiani alii alio modo dicebant ex unione unicam factam esse ex divina et humana Domini naturam; praecipue vero dicebant *confusione*, *compositione*, *conversione:* quandoquidem vero conversio formalis compositionem includit, uti in confusione continetur *absorptio* et *alteratio*, Chalcedonense modos illos varios loquendi complexum est damnavitque, aiendo: *Inconfuse*, *inconvertibiliter* — ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως. Hoc autem praemonito, iuxta P. Billot et sibi consentientes, divinum esse aut divina natura uniretur cum natura humana tanquam proprius actus physicus cum propria potentia physica, et mera quidem potentia, quae omnem suam actualitatem, *consistentiam* ait, in rerum natura ex illo actu divino formaliter deberet repetere. Hoc autem plus longe est, quam mera confusio, imo iuxta doctrinam generalem adversariorum, est vera et proprie dicta physica compositio. Est ergo certissime haeresis Eutychiana. Cum autem divinum esse aut divina natura intrinsece tunc pertineret ad actualitatem realitatemque naturae humanae, haec in Christo haberet modo quidem incomprehensibili, uti Ubiquistae blaterant, praedicata absoluta ad divinam naturam pertinentia, atque adeo esset omnipotens, immensa, ubique. Sic nimia contentio parat abyssum?

Respondet P. Billot.

322. *Sed dicet P. Billot:* Tunc unio facta esset in natura, quando unio facta esset in esse absoluto; non autem, si facta est in esse personali. Atqui non in esse absoluto, sed in esse personali facta est. « Vult doctrina ista, *ait P. Billot*,..... non esse in humanitate assumpta creatum actum substantialis exsistentiae, sed *personale esse Verbi* ei communicari eo modo, quo communicari potest esse subsistens. Ideo *ipsum esse Verbi* supplet *proprium esse humanitatis*, *sed modo eminentiori.* Supplet, inquam, pro quanto praestat humanitati *consistere* in natura rerum..... gerendo vices alterius comprincipii, sine quo natura creata extra causas constare nullatenus potest. Supplet tamen eminentiori modo, quia esse

Verbi nec recipitur in humanitate, nec contrahitur ad eam, nec qualibet alia ratione mutatur, sed semper subsistendo in seipso,..... sustentat naturam creatam. Quapropter Verbum *extendit* ad humanitatem suum subsistendi actum per hoc solum, quod humanitas a Deo producta est et conservatur non sub proprio esse ipsius, sed ut communicata hypostasi Verbi, cuius increata exsistentia eidem humanitati est loco esse proprii »[1]. Et haec eadem in tota tractatione repetit; ex qua id demum habetur, ut nulla prorsus mysterii capi possit theologica intelligentia, sed mysterium ipsum videatur absurdum. Ast haec, ut pro dignitate demonstrarentur, speciale opus sibi vindicarent.

Impugnatur P. Billot.

323. Itaque ut directe et breviter, prout praesens fert institutum, de toto systemate P. Billot aliquid innuamus, primum omnium monemus distinctionem illam τοῦ *esse personalis* ut aliquo modo distincti ab *esse absoluto* a Doctoribus saltem aliquibus utique admitti ad significandum in divinis, uti dantur tres personae relativae seu tres verae et reales relationes, sic dari tres veritates, bonitates, exsistentias transcendentales *relativas;* hae tamen non solum realiter identicae sunt divinae essentiae, et in suo conceptu divinam essentiam formaliter includunt; sed etiam ratione divinae essentiae sunt formaliter subsistentes. « Relatio in divinis, *ait S. Doctor*, non est sicut accidens inhaerens subiecto, sed est ipsa divina essentia: unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat relationem, ut subsistentem. Et hoc est significare relationem per modum substantiae, quae est hypostasis subsistens in natura divina, licet subsistens in natura divina non sit aliud, quam natura divina »[2]. Alii tamen Doctores sunt, inter quos eminet Caietanus, qui contendunt relationes divinas secundum *esse ad* non esse perfectiones transcendentales, sed esse *non perfectiones*, seu a perfectione et imperfectione abstrahere. Hi consequenter relativas perfectiones transcendentales pro tribus divinis personis non multiplicant, nec agnoscunt esse personale sic uni personae proprium, ut alteri secundum suam rationem formaliter non competat, quamvis competat eminenter et virtualiter ratione essentiae, et formaliter per circuminsessionem[3]. Patres vero Ecclesiae, uti in superioribus ex Petavio docuimus, τὸ *esse* simpliciter praedicatis absolutis, non autem relativis in divinis accensent: et idem in praesenti quaestione D. Thomas videtur sentire[4].

Praenotandum.

Doctorum quorundam opinio de esse absoluto et relativo in divinis.

D. Thomas.

Doctores alii, Caietanus.

Iuxta secundos, P. Billot ius non est invocandi esse personale Verbi.

324. Hisce praeiactis, iuxta Patrum doctrinam, et Caietani aliorumque opinionem, Patri Billot ius non est invocandi esse personale Verbi, uti aliquo modo ab esse absoluto distinctum; et consequenter si unio cum natura humana facta esset secundum esse

[1] Billot, *Op. et loc. laud. Thesis 7. § 4.*
[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 29. a. 4. corp.*
[3] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, In 1.am p.em D. Thomae, Disp. 3. q. 28 § 3.*
[4] *Cfr. a. 2. ad 3.um*

Verbi, facta esset secundum naturam Verbi, et haberemus clarissime haeresim Eutychianam et errorem Ubiquistarum. Iuxta opinionem vero aliorum, qui agnoscunt esse personale aliquo modo distinctum ab absoluto, aliquo utique modo possunt praefatae haereses caveri; sed, in doctrina P. Billot et sociorum, non sine gravissimis aliis in ipso Incarnationis dogmate inconvenientibus, aut erroribus.

Iuxta priores vero, potest quidem esse personale invocari; sed in doctrina P. Billot non sine aliis inconvenientibus.

325. *Ipsum esse Verbi supplet proprium esse humanitatis, gerendo*, ait, *vices alterius comprincipii, sine quo natura creata extra causas constare nullatenus potest.* Hoc ultimum probatum est nec demonstrari, nec esse necessarium, imo nec esse rationi congruum, prout a P. Billot adstruitur, et a D. Thoma, ex huc usque dictis, non solum non evidenter traditum, sed potius evidenter non traditum. Esse autem Verbi supplet esse proprium humanitatis, sed quomodo? *Per hoc solum*, inquit P. Billot, *quod humanitas a Deo producta est et conservatur non sub proprio esse ipsius, sed ut communicata hypostasi Verbi, cuius increata exsistentia eidem humanitati est loco esse proprii.* Quaero: Quo pacto humanitas producta communicetur hypostasi Verbi? Non quidem per physicam receptionem ipsius hypostasis Verbi; quia *esse Verbi nec recipitur in humanitate, nec contrahitur ad eam, nec qualibet alia ratione mutatur*, sed solummodo *sustentat naturam creatam.* Sed quomodo sustentat? Per decretum aliquod ordinis quasi moralis? Tunc unio humanitatis ad Verbum erit extrinseca, moralis, ordinis mere intentionalis, non intrinseca, realis, vera, sed solummodo metaphorica, seu secundum existimationem, contra dogma catholicum; et praeterea humanitas esset sine sua actualitate, realis et non realis, aliquid contradictorium denique. Per decretum aliquod ordinis physici, active conservando humanitatem, vi cuius conservationis ipsa Verbo communicaretur? Tunc sustentatio efficienter haberetur, non quasi formaliter, et non Verbum stricte sustentaret humanitatem et suo esse suppleret τὸ esse humanitatis, sed suppleret media aliqua actione; adeoque non substantialiter sed accidentaliter cum humanitate uniretur, secus ac habet catholicum dogma; et praeterea illa actio propria esset totius Trinitatis, non solius Verbi, ac tota Trinitas esset et dici deberet incarnata. Sustentaret demum *extendendo ad humanitatem suum subsistendi actum*, inquit Auctor, seu quasi formaliter per suum ipsum esse? Hoc certe deberet dici. Sed quomodo hoc, si esse Verbi nec recipitur, nec recipi potest quasi formaliter in humanitate? Incapacitas intrinseca etiam potentiae activae, per P. Billot, nequit auferri, nisi per aliquid intrinsecum: quod quamvis magna ex parte falsum sit, nunc tamen ab ipso accipimus. At vero, si ita est, quomodo intrinseca imo intimissima incapacitas essentiae seu potentiae passivae ad exsistendum sine actu exsistentiae (essentia enim, ex ipso, est *mera potentia*, quae absolute est ad exsistendum se sola intrinsece incapax), sine intrinseco actu auferetur? Id, ait, fieri nequit actu limitato, sed non apparet repugnantia, ut fiat actu puro et infinito. Certe si actus purus et infinitus

Notantur inconvenientia. Primum.

Secundum.

Tertium.

physice reciperetur et posset actuare potentiam in ratione causae formalis, abs dubio nulla appareret repugnantia, ut actu puro et infinito incapacitas essentiae ad exsistendum sine suo actu, actu illo puro et infinito vinceretur. Auctor autem dicit et potentiae incapacitatem intrinsecam non posse auferri sine actu intrinseco, et actum purum et infinitum non posse in ratione actus intrinsece recipi. Non poterit ergo, iuxta ipsum, actus purus et infinitus intrinsecam essentiae incapacitatem ad exsistendum auferre. Mitto alia plura, quae quomodo a P. Billot viro docto et acutissimo potuerint dici, non satis intelligo.

Intelligentia mysterii a P. Billot tradita non necessaria.

326. Quapropter explicatio aut theologica intelligentia mysterii unionis hypostaticae, quam concinnat P. Billot, primo quidem non est necessaria; cum, iuxta Patres, alia longe facilior et magis tundata tradi possit. Secundo talis est, ut ex illa mysterium evadat omnino inintelligibile ac fere absurdum: idque quia principium suae distinctionis realis, quo tanquam hypothesi et norma dirigitur, ipsum coniicit in absurditates ac fere ad mysterii negationem implicitam adducit. Ex quo non sequitur, ut illa distinctio relinquatur ad modum cuiusdam conclusionis theologicae demonstrata; sed sequitur potius, ut ipsa revelatae doctrinae videatur adversa.

Talis est, ut mysterium evadat inintelligibile, ac fere absurdum, idque ex vi suae distinctionis realis.

Ex quo fit, ut illa distinctio non solum dici nequeat conclusio theologica, sed ex mysterio Incarnationis excludatur.

Obiectio P. Billot ex De Lugo.

327. Instat P. Billot: Si natura humana in Christo sua non caret substantiali exsistentia, Verbum et natura humana duo erunt entia completa. Ex duobus autem entibus completis nequit haberi unum per se, aut unio substantialis. Ergo. — Tum binae naturae rationales, sua propria substantiali exsistentia donatae, sunt duae personae. Esset ergo in Christo duplex persona: quod est Nestorianum. — Respondeo ad 1.um: *Dist. mai.* In ratione naturae, *Conc. mai.* In ratione substantiae aut subsistendi, *Subd. mai.* Verbum, *Conc. mai.* Natura humana, *rursum Subd. mai.* Connaturaliter, *Conc. mai.* Supernaturaliter, *Neg. mai.* Distinguo pariter minorem. In eo, in quo completa sunt, et quatenus completa sunt, *Conc. min.* Secus, *Neg. min.* Ergo inter Verbum et naturam humanam haberi nequit substantialis unio, *Dist. consequens.* In ratione naturae, *Conc. consequentiam.* In ratione substantiae aut subsistendi, *Subd. consequens.* Naturaliter aut connaturaliter, *Conc. consequentiam.* Supernaturaliter, *Neg. consequentiam.* Verbum et natura humana in ratione naturae sunt entia omnino completa; essentiae enim rerum sunt omnino indivisibiles. Nequeunt ergo inter sese substantialiter sic uniri, ut una habeatur per se natura. In ratione vero subsistendi Verbum quidem est omnino completum, cum sic sit in se et per se, ut non possit ulla ratione ordinari ad aliud, ut in ipso sit et illius sit, seu ut in ipso quodammodo ad modum partis sit, et ab ipso in exstando et operando pendeat. At natura humana id habet solum connaturaliter, eo ipso quod naturaliter est natura substantialis, singularis, totalis, quae proinde ad aliud non ordinatur, nec connaturaliter ordinari potest. Ast absolute non habet totam perfectionem essendi in se et sibi, ac porro per se, cum limitata sit; imo habet

Obiectio altera.

Responsio ad 1.um obiectionem

Declaratur responsio.

potentiam obedientialem, ut supra omnem sui exigentiam possit ad suppositum dignius ac praesertim infinitum ordinari, ut in eo sit physice illiusque sit, atque adeo ab eo in subsistendo pendeat. Hoc autem haberi potest, si substantia limitata in praecisa subsistendi ratione intrinsecus modificetur, ordineturque physice ad subsistendum in illo supposito per intrinsecam *coaptationem* ipsius ad hoc, uti ex fundamento Scripturarum: *Corpus autem aptasti mihi*,[1] Patres frequentius loquuti sunt.[2] Ut, quantum quidem fieri potest, rem exemplo aliquo illustremus, supponamus statuam ex chalybe magnetica vi instructam; supponamus item minutissimum pulverem cupreum, qui ex sese in terra quidem posset in se stare, non posset autem elatus a terra. Si pulvis hic chalybis magnetica vi attractus illi statuae coaptaretur, staret utique, idem in natura manens, elatus a terra atque in statua quodammodo subsistens, tanquam aliquid ad ipsam pertinens; dum illa sola, in se prorsus intrinsece immutata, staret supra pedes suos; et quae prius erat solummodo ex chalybe et levis omnino, nunc habet etiam cuprum ad se pertinens, et est quodammodo crispata, et potest secundum illud cuprum aliquas alias operationes perficere, v. g. lucem refrangere. Hoc exemplo non sane explicatur mysterium, sed manuducitur intellectus ad conceptum aliquem analogicum mysterii informandum sine absurdis fictionibus, quas in suis declarationibus adversarii sectantur. Atque ex his patet responsio ad 2um. Natura enim humana in ratione subsistendi intrinsecus modificata, ac physice ad subsistendum in Verbo ordinata, ipsique substantialiter unita, non stat in se, sed in Verbo; non est sui iuris physici, sed Verbi. Non habet ergo adaequatam perseitatem, nec est persona; sed unica persona est ipsum Verbum, quod subsistit in utraque natura, ratione cuius modi subsistendi, persona Christi a Conciliis et Patribus post unionem dicitur quodammodo *composita*. Haec est Ecclesiae fides de unione hypostatica, fere tot verbis in Concil. Oecum. V. definita: « Si quis..... non confitetur, sicut Sancti Patres docuerunt, unionem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali secundum compositionem, id est, secundum subsistentiam factam (οὐχ ἐμολογεῖ τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ κατὰ σύνθεσιν, ἤγουν κατὰ ὑπόστασιν γεγενῆσθαι), et propterea unam substantiam (τὴν ὑπόστασιν), qui est Dominus noster Iesus Christus, unus de Sancta Trinitate, talis anathema sit. Cum enim multis modis unitas (*unio*) intelligatur (πολυτρόπως γὰρ νοουμένης τῆς ἑνώσεως), qui impietatem Apollinaris et Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum, quae convenerunt, colentes, unitionem (ἕνωσιν) secundum confusionem (κατὰ σύγχυσιν) praedicant; Theodori autem et Nestorii sequaces divisione (τῇ διαιρέσει) gaudentes, affectualem unitatem (σχετικὴν τὴν ἕνωσιν — relativam unionem) introducunt. Sancta

Conceptus unionis hypostaticae iuxta doctrinam scripturarum et Patrum.

Declaratur exemplo.

Responsio ad secundum.

Definitio Concilii Constantinopolitani II

[1] *Hebr. 10. 5.*

[2] Cfr. Hilarium, *De Trinitate, lib. 10. n. 15.* — Augustinum, *Epist. 137. Ad Volusianum, c. 2. n. 8.* — Leonem M., *Sermo 30, De Nativitate Christi, Serm. 10. c. 3.* etc. Ed. Migne.

Dei vero Ecclesia, utriusque perfidiae impietatem eiiciens, unitionem (τὴν ἕνωσιν) Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Unitio (ἕνωσις) enim pro compositione in Christi mysterio non solum *inconfusa* ea, quae convenere, conservat, sed neque divisionem suscipit »[1].

Ad D. Thomam redeundum.

328. Sed iam tempus est, ut ad D. Thomam redeamus. Doctrina, quam modo proposuimus, iisdem etiam verbis expressa invenitur in quaestione: *De unione Verbi Incarnati*, inter *Quaestiones Disputatas* Doctoris Angelici. Liceret ergo ex illa quaestione et doctrinam nostram de Unione Hypostatica confirmare, et ad eam Angelici mentem in aliis eius operibus exigere. Quandoquidem autem aliqui, inter quos etiam P. Billot, contendunt quaestionem illam non esse genuinum S. Doctoris opus; alii vero, quamvis eius authentiam agnoscant, volunt tamen D. Thomam mutasse postea sententiam; nos ab illa quaestione omnino abstra hemus, non quod putemus non posse eius authentiam probari; sed quia illa non egemus, et quia nova istaec disquisitio in longos errores nos lectoresque nostros frustra coniiceret. Si vero ex aliis operibus S. Doctoris, ac praesertim ex primo et ultimo ex theologicis, qualia omnibus consentientibus sunt *Libri Distinctionum* et *Summa Theologica*, probaverimus D. Thomam adversariorum sententiae haudquaquam favere; una erit probatum contra illos, qui agnoscunt authentiam quaestionis *De unione Verbi Incarnati*, S. Doctorem in explicanda Unione Hypostatica sententiam suam nunquam mutasse. Ad rem igitur venientes, a doctrina *Summae* ordiemur, quam ab initio in praesenti disquisitione tanquam ducem selegimus.

Quaestio: De Unione Verbi Incarnati.

Quare illa non utamur.

Ordiemur a doctrina Summae Theologicae.

329. D. ergo Thomas, cum *Summae q. XVII. a. I.* definierit Christum, eo ipso, quod est una hypostasis aut persona in duabus naturis subsistens, non esse ulla ratione *duo*, sed *unum* tum masculine aut determinate, tum neutraliter aut indeterminate; articulo II. unum etiam *esse* in ipso asserit esse agnoscendum. Quo pacto id asserat S. Doctor, an nimirum *ontologice*, seu ipsa re inspecta, an *logice*, seu inspecta logica iudicii veritate, an *dialectice*, seu proxime propositione iudicium mentis ac porro rem ipsam exhibente considerata, non una omnium mens est. Caietanus, cum quo in praesenti materia omnino consentit Em. Card. Satolli, expresse opinatur non de veritate iudicii aut dialecticae propositionis, seu de modo loquendi sermonem esse, sed de ipsa re; atque adeo non: *Utrum unum esse in Christo cogitandum dicendumve sit;* sed: *Utrum unum reapse in Christo sit esse*, a D. Thoma inquiri. Putat autem hanc quaestionem, utut ontologicam, optime positam fuisse inter quaestiones de consequentibus Unionem Hypostaticam, quod unitas, etsi nihil re addit supra ens, tamen ens, quasi eiusdem passio, quodammodo consequitur. Verum Caietano τὸ *esse*, de quo agit S. Doctor, est *esse*, ut aiunt, *exsistentiae*, quod in eius sententia personam iam subsistentiae aut personalitatis physico

Quid D. Thomas docet 3. p. q. 17. a. 1

Quid. a, 2.

Quo pacto, ontologice, logice, dialectice?

Caietanus, Em. Card. Satolli.

[1] Denzinger, *Enchiridion etc. Syn. Oecum. V. can. 4.*

modo constitutam supponit, ipsique, uti suo loco in praenotandis monuimus, ultimam affert actualitatem [1]. P. autem Billot, qui non admittit personalitatem distinctam a substantiali esse exsistentiae, ac minus multo physicum modum τῷ *esse* substantialis exsistentiae praevertentem, unde Caietanum in hoc sancto iure suggillat [2]; sed contendit ipsum substantiale esse exsistentiae, a substantiali totalique natura singulari, aut ab individuo talis naturae requisitum, ipsam formaliter esse subsistentiam aut personalitatem; docet *esse*, de quo S. Doctor loquitur, esse ipsum *esse* personale, seu esse in se et per se ipsius substantiae [3]. Em. Card. Satolli, ut diximus, Caietano subscribit, et in eo etiam a P. Billot videtur differre quod, secus ac iste facit, supponit distinctionem realem inter creati entis essentiam exsistentiamque, ut D. Thomam intelligat, non autem ex Thoma intellecto eam infert. Scribit enim: « Sensus huius litterae (*de qua agimus*) et Auctoris est: Non inveniri in Christo aliquod esse actualis exsistentiae substantiale, nisi esse exsistentiae divinum. Nam..... Nec est praetereunda mens S. Doctoris de reali distinctione exstantiae et essentiae, nec non personae ac singularis naturae in quavis creata re, etiamsi intellectuali » [4]. Hi ergo Doctores arbitrantur D. Thomam docere, in praesenti loco, sic dari unum *esse* in Christo, idemque divinum, ut Humanitas non proprio exsistentiae *esse*, sed *esse* ipsius Verbi exsistat, aut etiam subsistat.

P. Billot.

Quid speciatim inter Em. Card. Satolli et P. Billot.

330. Suaresius autem quaerit: « *Utrum simpliciter dicendum sit: Christum habere unum esse, vel plura.* — In hoc dubio fere iam non relinquitur quaestio in re ipsa, sed in modo loquendi et enunciandi propositiones. Nam in re constat, suppositis quae diximus, sicut natura humana et divina in Christo distinctae res sunt, ita etiam habere exsistentias distinctas, prout ad naturas pertinent. Solum ergo videtur relinqui quaestio de propositionibus ipsis: *An, simpliciter loquendo, Christus dicendus sit habere plura esse propter naturas, vel unum esse propter suppositum.* Et hunc existimo esse sensum quaestionis a D. Thoma hic propositae, quidquid Caietanus dicat, quod ex sequentibus constabit » [5]. Docet subinde Eximius Doctor Angelicum loqui de esse exsistentiae ad personam pertinente, eiusque mentem esse: 1.° Dari in Christo unum tantum esse substantiale completum et perfectum: 2.° Huiusmodi *esse* Christi Domini, quatenus Deus et Homo est, non esse unum per omnimodam simplicitatem, sed per admirabilem compositionem et substantialem unionem naturae humanae cum persona Verbi, et naturalis exsistentiae humanitatis cum personali exsistentia seu subsistentia Verbi Dei [6]. Et in eundem omnino sensum D. Thomam

Suarez.

Suaresii doctrina

Valentia.

---

[1] Caietanus, *In 3. p. D. Thomae, q. 17. a. 2.* — Cfr. *eiusdem p. q. 4. a. 2.*
[2] Billot, *De Verbo Incarnato, q. 2. II. Opinio Caietani.*
[3] *Idem, Ibidem, q. 17 § 2.*
[4] Em. Card. Satolli, *De Incarnatione, pars 2. q. 17. Conclusio 2, n. 5.*
[5] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 36. Sect. 2. n. 1.*
[6] *Idem, Ibidem, nn. 3. et 4.*

interpretatur P. Valentia [1], Theologis aliis pluribus, etiam ex veteribus Thomistis, allatis, qui in eadem cum ipso fuerunt sententia. Toletus tandem D. Thomam ad mentem Caietani intelligit; reiicit autem utrumque [2].

Quid Toletus.

Nostra sententia.

331. Ut quid nobis hac super re videatur, candide aperiamus, monemus imprimis parvi esse momenti: Utrum D. Thomas ontologice, logice aut dialectice quaestionem moverit. Si de mentis iudicio aut de propositione iudicium efferente loquitur, mentis iudicium rebus respondens, propositionemque ontologice veram abs dubio contemplatur: si vero rem ipsam discutit ac definit, res haec talis erit, ut vero iudicio veraque enunciatione possit exhiberi. Quidquid autem proxime intendat, ceu ratum haberi debet in articulo secundo de re ipsa, seu de ipso esse: Sit necne unicum an multiplex, primo aut ultime quaestionem moveri ac definiri. Si autem de re ipsa aut primo aut ultime movetur quaestio, placet magis ratio a P. Billot ex Suaresio non laudato allata, quare D. Thomas quaestionem hanc inter eas, quae sunt de consequentibus unionem, collocarit, quam quae affertur a Caietano. Sed de his consule auctores citatos.

Prae Caietano placet P. Billot in reddenda ratione methodi D. Thomae.

D. Thomas loquitur de esse, prout pertinet non ad naturam, sed ad personam.

D. Thomas.

332. Monendum secundo est τὸ *esse*, de quo D. Thomas loquitur, uti apud omnes relatos Doctores convenit, esse quidem ipsum *esse* exsistentiae; sed non prout hoc ad naturam utcumque pertinet, verum prout pertinet ad personam aut hypostasim, seu esse ipsum *esse personale*, quo persona simpliciter EST. Ait enim: « Esse pertinet ad *naturam* et ad *hypostasim*: ad *hypostasim* quidem, sicut ad id, *quod habet esse*; ad *naturam* autem, sicut ad id, *quo aliquid habet esse*..... Est autem considerandum quod, si est aliqua forma vel natura, quae non pertineat ad *esse personale* hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur esse illius personae simpliciter, sed secundum quid..... Sed illud esse, quod pertinet *ad ipsam hypostasim* vel *personam secundum se*, impossibile est in una persona vel hypostasi multiplicari ». — Rursum: « Esse capitatum, et esse corporeum, et esse animatum, totum pertinet *ad unam personam Socratis*: et ideo ex omnibus his non fit nisi unum esse in Socrate ». Quapropter infert: « Sic igitur, cum humana natura coniungatur Filio Dei hypostatice vel personaliter, ut supra dictum est [3], et non accidentaliter, consequens est quod secundum humanam naturam non adveniat ei novum *esse personale*, sed solum nova habitudo *esse personalis* praeexsistentis ad naturam humanam ». Certissimum igitur est D. Thomam hic loqui de esse, quo persona simpliciter est, seu de esse exsistentiae prout ad personam pertinet, seu demum de *esse personali*.

D. Thomas non agnoscit in Christo, nisi unum esse personale.

Quid esse personale.

333. Cum haec in confesso sint, in confesso etiam est D. Thomam in Christo non agnoscere nisi unicum esse personalis exsistentiae. Quaestio nunc est: Quid, hoc S. Doctoris loco, veniat

---

[1] Valentia, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 1. q. 17. puncto un.*

[2] Toletus, *Enarratio in 3.am p.em D. Thomae, q. 17. a. 2.*

[3] *Supra, q. 2. aa. 5. et 6.*

nomine τοῦ *esse personalis*. Caietanus, Em. Satolli, aliique, uti intelligitur ex praemissis, volunt nomine τοῦ *esse personalis* hic venire increatum ipsum aeternumque ac simplicissimum Dei Verbi *esse* humanitati Christi ipsa assumptione aut unione communicatum; ita ut humanitas Christi propria connaturali et substantiali exsistentia ac subsistentia creata careat, exsistat autem substantialiter ac porro subsistat increata ac simplicissima exsistentia et subsistentia Verbi. Differunt tamen in hoc, quod Caietanus et Em. Satolli contendunt naturam humanam, ordine rationis, primo quidem suppositari aut personificari subsistentia Verbi, et consequenter exsistere Verbi exsistentia; quia etiam in humanis natura prius fit subsistens physico subsistentiae modo, atque porro fit capax aut susceptiva τοῦ *esse* exsistentiae, et postea distinctum ipsum *esse* exsistentiae recipit; P. autem Billot, qui vult suppositum aut personam realiter distincto ipso substantiali *esse* exsistentiae formaliter constitui, contendit etiam Christi humanitatem persona Verbi ipsi substantialiter communicata simul constitui in Verbo exsistentem subsistentemque. — Contra vero Suarez, Valentia, Doctoresque alii ab ipsis laudati, volunt D. Thomam *per unum esse personale* in Christo non intelligere solum simplicissimum esse Verbi naturae humanae communicatum, sed intelligere τὸ *esse* quodammodo compositum ex esse simplicissimo Verbi et ex esse humanitatis, ad eum modum quo persona Christi, vel persona Christus a Conciliis et Patribus dicitur composita. « Concedo, *inquit Suaresius*, hic esse sermonem de esse exsistentiae, ut sic, et de unitate illius; non tamen de unitate simplici, sed composita; nec de exsistentia solius humanitatis, sed totius Christi Dei et hominis, de quo in praecedenti articulo quaesitum fuerat: *An sit unum vel duo* »[1].

Caietanus, Em. Satolli, alii.

In quo conveniunt?

In quo differunt.

Suarez, Valentia, Doctores alii.

334. Ex duplici hac, et sane tum auctoritate tum ratione fundata expositione articuli S. Doctoris illud primum colligimus, non posse ex hoc articulo, si quid revera potest, neque nostram, neque adversariorum sententiam *evidenter* probari. Oporteret alterutram, imo omnem aliam expositionem (neque enim binae illae expositiones sunt stricte in omnibus contradictoriae) evidenter excludere, ut una determinata evidenter firmaretur. Hoc autem nobis satis esset superque ad evidenter demonstrandum non probari evidenter D. Thomam distinctionem illam realem adversariorum inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque tradidisse. Si enim probabile est D. Thomam hic sentire naturam humanam in Christo suo connaturali esse, incompleto quidem supernaturaliter et ad Verbum supernaturaliter ordinato, non fraudari, cum quo esse Verbi completum unum, compositum tamen quodammodo, *esse* constituit; nequit esse evidens humanitatem in Christo carere suo connaturali esse, et exsistere, etiam secundum suam incompletam rationem, increato ac simplicissimo esse Verbi. Si autem hoc non est evidens, neque ex hoc fieri potest evidens actualem essen-

Illatio ex dictis.

[1] Suarez, *loc. laud. n. 6.*

tiam in creatis ab exsistentia, in sensu adversariorum, realiter distingui.

Secunda expositio potius aut unice est sensus D. Thomae. Ostenditur primo.

335. Quod vero potius, imo forsan unice, e mente D. Thomae sit secunda expositio, ex sequentibus intelligetur. Principio quidem D. Thomas *formaliter explicite* non dicit humanitatem in Christo carere suo connaturali esse exsistentiae, et exsistere increato ac simplicissimo esse Verbi, uti dicunt adversarii; huiusmodi enim verba in toto articulo non inveniuntur. Imo, inspecta certissima ac saepissime, uti in superioribus vidimus, inculcata eius doctrina: *Esse exsistentiae competere formae subsistenti omnino per se — τὸ Esse esse inseparabile a forma subsistenti — Formam omnem dare formaliter esse exsistentiae vel simpliciter, vel secundum quid — Dare huiusmodi esse, non quasi producendo aut conferendo entitatulam aliquam, quae sit mera actualitas, sed quatenus vel complet naturam substantialem, ad communicationem suae perfectionis substantivae materiam attollendo, vel accidentalem perfectionem confert subiecto:* inspecta, inquam, hac doctrina, non poterat sine contradictione dicere naturam humanam carere in Christo connaturali suo esse, et hoc esse suppleri increato ac simplicissimo esse Verbi, uti evidens est. Utique in responsione ad 2.um dicit Angelicus: « Illud esse aeternum Filii Dei, quod est divina natura, fit esse hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitatem personae ». Ast enim imprimis S. Doctor non dicit esse aeternum Filii Dei supplere esse creatum humanae naturae assumptae, uti evidens est; nec ob datam modo rationem poterat dicere, praesertim cum, uti huc usque probatum est, τὸ *esse* exsistentiae, iuxta non Aegidium sed D. Thomam, non sit entitatula quaedam a natura, quae formam includit, separabilis, sed sit ipsa realis natura, quatenus est extra nihilum aut extra causas. Tum aeternum esse Filii Dei fit esse huius hominis, seu Verbi caro-facti, *in quantum humana natura assumitur in unitatem personae.* Ratio igitur unitatis τοῦ *esse* in Christo, per D. Thomam, est unio personalis cum Verbo. Ad unionem autem personalem cum Verbo, uti declaratum est, non requiritur ut natura humana careat suo connaturali exsistentiae *esse*, quod suppleatur ab *esse* Verbi; sed ut ipsa sit in ratione exsistendi et subsistendi obedientialiter aut supernaturaliter incompleta, et radicaliter capax ut ordinetur ad exsistendum et subsistendum in supposito infinito et dependenter ab ipso, ita ut physice ipsius fiat, ipsumque verum hominem constituat. Quapropter aeternum esse Filii Dei fit, iuxta D. Thomam, *completive* esse huius hominis, quatenus non per donum creatum, sed ipsa sua infinita substantia ad se ordinatam et in ratione exsistendi sibi coaptatam perficit humanam naturam; ad eum modum, quo lucis radius crystallum invadens efficit ut ipsa dilatetur illumineturque, atque adeo sibi in exsistendo coaptetur et a se perficiatur; consequiturque ut in ista perfectione dilatationis v. g. et luciditatis sine ipso non possit persistere. Fit praeterea esse huius hominis *substantialiter attributive* quatenus, cum non accidentali ratione, uti radio lucis crystallus, sed in ipsa sua substantiali

Occurritur difficultati.

realitate natura humana ad Verbum ordinetur ipsique coaptetur; Verbumque sit non accidens, quod ad subiectum refertur, sed substantia infinita, ad quam natura humana in ratione non quidditatis sed realitatis ordinatur: fit ut esse aut realitas naturae humanae Verbo debeat substantialiter attribui, ita ut quod in natura humana Christi *est et subsistit*, Verbum sit et non homo. Hinc autem unitas τοῦ *esse* in Christo, uti authentice Concilia docuerunt et Patres, per compositionem quandam substantivam aut secundum subsistentiam tandem habetur.

336. Atque huiusmodi sensus clarissime eruitur ex doctrina corporis articuli, quam non exponit Caietanus, sed omnino pervertit. Docet D. Thomas: « Esse pertinet ad naturam et ad hypostasim: ad hypostasim quidem sicut ad id, *quod habet esse;* ad naturam autem sicut ad id, *quo aliquid habet esse* ». Ergo *esse* est non solum hypostasis, sed etiam naturae, quamvis hypostasis sit, ut *quod*, naturae vero, ut *quo;* utrumque revera EST in rerum natura. Subdit autem S. Doctor: « Est autem considerandum quod si est aliqua forma vel natura, quae non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur esse illius personae simpliciter, sed secundum quid: sicut esse album est esse Socratis, non in quantum est Socrates, sed in quantum est albus ». Quid hic vocat esse personale? Abs dubio illud, quo Socrates est Socrates. Hoc autem non est entitatula Aegidiana, sed tota ipsa Socratis substantialis realitas; sicut esse accidentale est accidentalis realitas, v. g. realis albedo, qua albus est. Quod clarius intelligitur ex iis, quae postea subnectit: « Sicut in Socrate ponitur aliud esse, secundum quod est albus, et aliud, secundum quod est homo; quia esse album non pertinet ad ipsum esse personale Socratis; esse autem capitatum, et esse corporeum, et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis: et ideo *ex omnibus his non fit, nisi unum esse in Socrate* ». Ergo esse personale in Socrate est ipsa tota substantia composita ex partibus sive essentialibus tum materiali tum formali, sive integralibus. Et *ex his omnibus fit unum esse*, abs dubio unione et compositione; quia haec omnia simul coniuncta unum secundum suam substantiam denominant Socratem. Docet subinde esse, quod pertinet ad suppositum, si accidentale sit, in una et eadem persona multiplicari posse, non posse autem, si sit personale: « Et huiusmodi esse (*accidentale nimirum*) nihil prohibet multiplicari in una hypostasi vel persona; aliud enim est esse, quo Socrates est albus, et quo Socrates est musicus. Sed illud esse, quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam secundum se, impossibile est in una hypostasi vel persona multiplicari; quia impossibile est quod unius rei non sit unum esse ». Quaero: Quodnam sit huiusmodi esse quod potest vel non potest multiplicari? Certe non est esse, prout pertinet ad naturam vel partem aut quasi partem naturae. Quae enim pertinent ad naturam vel partem naturae, multiplicantur pro multiplicitate naturae vel partis naturae. Quare ait: « Quia in Christo sunt duae naturae et una hypostasis, necesse est quod

Ostenditur secundo multipliciter.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

ea, quae ad naturam pertinent in Christo, sint duo; quae autem pertinent ad hypostasim in Christo, sint unum tantum ». Est igitur esse, prout pertinet ad hypostasim. Ergo ubi forma vel natura non constituit hypostasim, aliud est per se suppositum et consequenter esse suppositale illius formae vel naturae; aliud per se esse ipsius hypostasis. Ubi vero forma vel natura suppositum aut personam constituit, aut substantialiter subinde per substantivam unionem advenit, ibi unum est esse personale ex substantialibus omnibus constitutum; quia una est persona composita, una composita res, unum ens compositum. Consequenter ex iis, quae supposito iam constituto substantialiter adveniunt, non constituitur novum suppositum, vel nova persona, sed praecedens suppositum aut persona novum acquirit respectum ad id, quod substantialiter advenit; quatenus quod prius erat et dicebatur esse secundum illa, quibus constituebatur, nunc est et dicitur esse

Declaratur exemplis.

etiam secundum id, quod substantialiter ei advenit. Advenit accidentaliter Socrati albedo, scientia, musica; advenit oculus, vel brachium, quo carebat. Secundum priores formas constituitur aut denominatur novum suppositum, album, sciens, musicus per se, per accidens autem Socrates albus, sciens, musicus; quia accidit albo, scienti, musico esse Socratem: secundum posteriores quasi formas aut partes ad integram naturam Socratis pertinentes, non constitnitur nec denominatur novum suppositum, sed ipse Socrates

Quinto.

nunc est et dicitur esse secundum oculum vel brachium. Quapropter, infert, cum natura humana per unionem hypostaticam substantialiter adveniat hypostasi Verbi, ipsa non constituit nec denominat novam personam, nec novum esse personale; sed hypostasis Verbi novum respectum, qui in Verbo rationis est, in natura humana realis, ad talem naturam acquirit, et secundum eam Verbum est et dicitur homo. « Sic igitur cum humana natura coniungatur Filio Dei hypostatice vel personaliter, ut supra dictum est, et non accidentaliter; consequens est quod, secundum humanam naturam, non adveniat ei novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis praeexsistentis ad naturam humanam; ut scilicet persona illa iam dicatur subsistere non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam ».

Summa doctrinae D. Thomae, et conclusio argumenti praecipue intenti.

337. Itaque doctrina D. Thomae est: Si forma vel natura supposito praeexsistenti advenit accidentaliter, novum per se suppositum constituit aut denominat, prout illa forma aut natura substantialis est aut accidentalis, et consequenter constituit per se aut denominat novum esse suppositale aut personale, seu novum aliquid, *quod est;* quamvis per accidens ad praecedens suppositum pertineat: contra vero, si advenit substantialiter, non constituit novum suppositum et novum esse personale, sed praecedens suppositum novum acquirit respectum ad id, quod ei substantialiter unitur, ut nimirum iam sit et dicatur esse etiam secundum id, quod ei substantialiter unitum est. Atqui natura humana substantialiter unitur Filio Dei. Ergo secundum naturam humanam non habetur novum esse personale, sed solum novus respectus

vel nova habitudo τοῦ *esse* personalis Filii Dei, qui prius secundum naturam divinam erat et dicebatur Deus ; nunc, supposita substantiva unione aut quasi compositione, secundum naturam humanam EST et dicitur homo.

338. Sed videamus breviter quomodo Caietanus Aegidiana suaque entitatula Angelicum pervertat. « Dicitur quod proculdubio sensus litterae huius, et doctrina Auctoris est, in Christo non inveniri aliquod esse actualis exsistentiae substantiale, nisi esse exsistentiae divinum. Clare siquidem patet ex processu huius articuli tolli a Christo omne esse, quod a quacumque re personali in Christo est, nisi a deitate ». Hoc falsum est. Tollitur enim a Christo, ut personalia constituant novam hypostasim, aliam ab hypostasi Verbi, quae SIT secundum naturam humanam realem, et non secundum fictam entitatulam Aegidianam. Subdit Caietanus : « Fundatur enim vis rationis litterae super hoc, quod sive forma, sive materia, sive pars, sive natura, quaecumque sit, spectans ad personalitatem alicuius, non affert suum esse ». Haec est perversio. Ista omnia ex littera afferunt esse, ut *quo ;* non constituunt autem esse, ut *quod*, quia non ad se, sed ad alium, qui EST, substantive pertinent. Addit : « Et propterea oportet alterum duorum dicere, aut quod natura humana non spectet ad personalitatem Christi, aut quod non attulerit Christo esse, quod dedisset personae humanae, quam constituisset, si non fuisset assumpta ». Addo tertium ex littera : Aut quod non attulerit Christo esse, ut *quod*, sed attulerit esse, *quo* Christus vere *est* et dicitur homo. Probat : « Ad hoc namque fundavit se Auctor super pertinentia vel impertinentia formae ad personalitatem alicuius, ut pertinentia ad personalitatem alicuius privata fore singulis propriis esse ex hoc ipso, quod ad alterius personalitatem spectant, monstraret : quoniam in hoc differunt personales a non personalibus formis, quod non personales habent singulae singula propria esse, ut patet de albedine, dulcedine, quantitate etc. ; personalia autem carent singulis esse ». Sed haec sunt revera impertinentia. Auctor Angelicus agnoscit in pertinentibus et non pertinentibus ad personalitatem alicuius *esse*, ut *quo ;* in non pertinentibus vero agnoscit *per se* aliud suppositum et esse, ut *quod*, distinctum ab hypostasi, cuius sunt per accidens aut secundum quid, et quam accidentaliter denominant, aut cui dant *esse* talem vel qualem ; in pertinentibus demum non agnoscit aliud suppositum et *esse*, ut *quod*, distinctum per se ab hypostasi, sed docet illam hypostasim in illis et ex illis, aut simplici aut composita quadam ratione, prout illa identica sunt aut substantialiter unita, et *esse*, et *subsistere*. Subnectit : « Et propterea si pro quia humanitas in Christo personalis res est, oportet quod careat suo proprio esse, quod constat vocari esse actualis exsistentiae, natum principiari ab humanitate, seu natum esse humanitatis, ut principii *quo* »[1]. Verum ex S. Doctore humanitas in Christo non debet carere suo

Quomodo Caietanus Angelicum perverlat.

Prima perversio.

Secunda perversio.

Tertia perversio.

Quarta perversio.

Omnimo impertinens.

Quinta perversio.

[1] Caietanus, *In hunc art. D. Thomae.*

esse, ut *quo*, sed solummodo suo esse, ut *quod*, aut propria hypostasi, *quae sit ;* caret autem huiusmodi esse, ex D. Thoma, non quod secum non ferat entitatulam primo Caietanianam, quam deridet ipse P. Billot, Caietano addictissimus, et secundo Aegidianam omnibus adversariis carissimam ; sed, ex littera, quia hypostatice aut substantive unitur Filio Dei, qui humanitate est homo, et in humanitate subsistit. Quod, praeter dicta, mire confirmant,

D. Thomas. quae D. Thomas dicit ad 4um. « Dicendum, *ait*, quod anima in Christo *dat esse corpori*, in quantum facit ipsum actu animatum; quod est dare ei complementum naturae et speciei. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrumque, hoc totum compositum ex anima et corpore, prout significatur nomine humanitatis, *non significatur*, ut *quod est*, sed ut *quo aliquid est*. Et ideo ipsum esse est personae subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam ; cuius habitudinis causa est anima, in quantum perficit humanam naturam informando corpus ».

Rursum D. Thomas. 339. Itaque ad 1.um ait : « Dicendum quod esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est ; personam autem sive hypostasim consequitur, sicut habentem esse. Et ideo magis retinet unitatem secundum unitatem hypostasis,

Declaratur. quam habeat dualitatem secundum dualitatem naturae ». Ubi nota quod sive S. Doctoris verba accipiuntur, sicut sunt in littera, sive prout vult Caietanus : « Et ideo magis secundum unitatem hypostasis retinet unitatem, quam secundum dualitatem naturae habeat dualitatem » ; non excluditur, ut naturae esse habeant, ut *quo :* sed cum unum sit *esse* habens, *quod* simpliciter dicitur *esse*, potius dicendum est unum esse ex una persona, quae utrâque naturâ *est*, quam duo esse propter duas naturas, quibus est. — Atque hinc ad 3.um ubi D. Thomas ait : « Et ideo tres personae (*in divinis*) non habent nisi unum esse. Haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personae, et aliud esse naturae ». Missis iis, quae suo more cavillatur Caietanus, et non ex D. Thoma, sed de suo et quidem falso dicit, v. g. quod divina natura, praecise in ratione absoluta naturae, habet esse, ut *quo* et ut *quod* seu subsistentiam absolutam : iis ergo missis, dicimus D. Thomam velle, si natura divina non esset tum realiter tum formaliter inadaequate personis identica, haberetque esse, utique ut *quo*, realiter distinctum ab esse trium personarum, tres personas retenturas singulas suum esse personale distinctum, ac ex vi illius naturae triplex esse habituras *simpliciter*, quamvis illa *esse* essent unum *secundum quid*, seu ratione naturae. In Christo autem, in quo natura humana habet esse, ut *quo*, distinctum realiter ab esse naturae et personae divinae, ratione unius personae habetur *simpliciter* unum esse, ut *quod*, quamvis ratione naturae sint duo esse, ut *quo*, adeoque secundum quid. Itaque cum antea dixerit unitatem aut pluralitatem τοῦ *esse* attendi magis secundum unitatem personae, quam secundum dualitatem naturae, sequitur quod in Christo non dicendum sit dari duo esse, sed simpliciter unum esse ; uti dici

deberent simpliciter tria esse in divinis, si personae divinae haberent esse realiter distinctum ab esse aut realitate naturae divinae [1]. Sed de hac tota quaestione confer Suaresium, loco laudato, ubi si praescindatur a subsistentia absoluta in Deo, ad quam alludit, reliqua sunt vere et nervose dicta; sed cave cavillationes Caietani qui, ut Aegidianum esse osuro D. Thomae per fas et nefas appingat, mirum quantum insumit ingenii, in meliori causa profuturi.

Consulendus Suaresius, uno praetermisso, quod innuitur.

340. Eandem tradit doctrinam Angelicus ubicumque de eadem re agit. « Loquendo, *ait*, de *esse* secundum quod est actus entis (*nimirum ens in actu*), sic dico quod, secundum secundam opinionem, oportet ponere tantum unum esse; secundum alias autem duas, oportet ponere duo esse. Esse enim subsistens (forsan: *subsistentis*) est quod habet esse, tanquam eius *quod est;* quamvis sit naturae vel formae, tanquam eius *quo* est. Unde nec natura rei, nec partes eius *proprie dicuntur esse*, *si esse praedicto modo accipiatur ;* similiter autem nec accidentia; sed suppositum completum, *quod est secundum omnia illa*..... Prima ergo opinio, quae ponit duo subsistentia (*in Christo*), ponit duo esse substantialia. Similiter tertia opinio, quia ponit quod partes humanae naturae adveniunt divinae personae accidentaliter, ponit duo esse, unum substantiale, et aliud accidentale. Secunda vero opinio, quia ponit unum subsistens, et ponit humanitatem non accidentaliter advenire divinae personae, oportet quod ponat unum esse. Impossibile est enim quod unum aliquid habeat duo esse substantialia; quia unum fundatur super ens. Unde si sint plura esse, secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est quod dicatur unum. Sed non est inconveniens quod esse unius subsistentis sit per respectum ad plura: sicut esse Petri est unum, habens tamen respectum *ad diversa principia constituentia ipsum :* et similiter suo modo unum esse Christi habet duos respectus, *unum ad naturam humanam*, *alterum ad divinam.* — Ad 1.um ergo dicendum quod *forma facit esse ;* non ita quod illud esse sit materiae, aut formae, sed subsistentis. Quando ergo compositum ex materia et forma est per se subsistens, acquiritur ex forma illi composito esse absolutum per se: quando autem non est per se subsistens, non acquiritur per formam esse illi composito; sed subsistenti, cui hoc adiungitur, acquiritur respectus secundum esse ad hoc, quod ei additur » [2].

Ubique eandem doctrinam tradit Angelicus.

Locus ex III. Dist. 6. q. 2.

341. Haec expositione non indigent: usque adeo evidens est eadem illa esse, quae in *Summa* legimus. Loquitur de esse, *prout est actus entis.* Huiusmodi esse dicit pertinere ad subsistens aut ad suppositum, ut *quod ;* ad naturam vero vel ad partes naturae, ut *quo.* Infert nec naturam nec partes naturae *proprie dici esse*, sed suppositum *secundum illa omnia.* Ergo suppositum non *est* per entitatulam Aegidianam, sed per realem naturam et partes naturae. — Applicat Christo generalem doctrinam, et dicit illas

Collectio ex loco laudato.

[1] Cfr. D. Thomam, *Summ. Theol. 3. p. q. 3. aa. 6. et 7.*
[2] D. Thomas, *In III. Dist. 6. q. 2. a. 2. corp. et ad 1.um*

opiniones aut haereses, quae plura ponunt supposita in Christo, sive id fiat explicite, sive implicite (uti fit ab illis, qui ponunt duarum naturarum unionem non hypostaticam, sed accidentalem) debere ponere duo esse in Christo: iuxta doctrinam vero fidei, non posse poni nisi unum esse, prout est eius, *quod est*, quamvis hoc habeat plures respectus *ad diversa principia constituentia ipsum, ut quo — ad naturam humanam et ad divinam.* Ergo illud unum esse non est omnino simplex, sed est aliquo modo compositum ex variis constituentibus. — Notandum quod ait ad 1.um, ex substantiali unione ad aliud subsistens, compositum ex materia et forma non esse *per se subsistens*, nec habere esse, *ut quod.*

342. Eadem omnino doctrina in *Quodlibetis* invenitur. Distinguit primum Aquinas *esse*, prout est *copula verbalis*, et prout est: *Actus entis, in quantum est ens, id est, quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura;* tum *esse*, quod est: *Ei quod proprie et vere habet esse, vel est*, et *quo aliquid est.* Subdit: « Esse ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti: huic autem attribuitur esse duplex. *Unum scilicet esse* RESULTANS EX HIS, EX QUIBUS EIUS UNITAS INTEGRATUR, quod proprium est esse suppositi substantialis. Aliud esse..... accidentale..... Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, *ad cuius integritatem concurrit etiam humanitas*, quia unum suppositum est utriusque naturae; ideo oportet dicere quod esse substantiale, quod proprie attribuitur supposito, in Christo est unum tantum; *habet autem unitatem ex supposito, et non ex naturis* »[1]. Ergo, per D. Thomam, τὸ *esse*, etiam prout *attribuitur* supposito, non est entitatula Aegidiana, simplicissima, universalissima, sed *resultat ex his, ex quibus eius unitas integratur;* et in Christo ad unius rei subsistentis *integritatem concurrit etiam humanitas.* Quapropter esse Christi, Dei-Hominis, non est solum esse simplicissimum et aeternum Verbi; sed est esse utriusque naturae, ut *quo* compositum quodammodo Christi esse, *ut quod*, integratur. — Atque, licet brevius, eodem modo loquitur in *Compendio Theologiae.* « Ea vero, *inquit*, quae ad suppositum sive hypostasim pertinent, unum tantum in Christo confiteri oportet. Unde *si esse accipiatur secundum quod unum esse est unius suppositi, videtur dicendum quod in Christo sit tantum unum esse.* Manifestum est enim quod PARTES DIVISAE SINGULAE PROPRIUM ESSE HABENT; secundum autem quod in toto considerantur, non habent suum esse (*ut quod nimirum; de hoc enim esse proprie loquitur*), sed omnes sunt per esse totius. Si ergo consideremus Christum, *ut quoddam integrum suppositum duarum naturarum*, eius erit unum tantum esse, sicut et unum suppositum »[2]. Dixerat autem capite praecedenti: « In Domino Iesu Christo..... suppositum, hypostasis vel persona est id, quod *constat ex tribus substantiis, corpore scilicet, et anima, et divinitate:* et sic in Christo sicut est una tantum persona, ita unum

Locus ex Quodlibeto 9. q. 2. a. 3.

Illatio.

Locus ex Compendio Theologiae, c. 212.

[1] D. Thomas, *Quodlibeto, 9. q. 2. a. 3. corp.*
[2] Idem, *Compendium Theologiae, c. 212. n. 1.*

suppositum et una hypostasis ». Et pari ratione *unum esse* tribus constans.

343. Doctrina igitur continens Aquinatis, quod *ad rem* attinet, non est retractatio aut correctio illius, quam in quaestione: *De unione Verbi Incarnati* tradiderat; sed est solum, *quoad modum*, plenior explicatiorque eiusdem doctrinae declaratio. Placet, post dicta, coronidis modo exscribere quae in illa quaestione leguntur. Quaeritur: « *Utrum in Christo sit unum tantum esse*..... Respondeo dicendum quod huius quaestionis est quodammodo eadem ratio et praemissae; quia de eodem dicitur aliquid esse unum et ens. Esse enim proprie et vere dicitur *de supposito subsistente*. Accidentia enim et formae non subsistentes dicuntur esse, in quantum *eis aliquid subsistit*, sicut albedo dicitur ens, in quantum *ea est aliquid album*. Considerandum est autem quod aliquae formae sunt, quibus est aliquid ens non *simpliciter*, sed *secundum quid*, sicut sunt omnes formae accidentales. Aliquae autem formae sunt, quibus res subsistens simpliciter habet esse, quia videlicet *constituunt esse substantiale rei subsistentis*. In Christo autem suppositum subsistens est persona Filii Dei, quae *simpliciter substantificatur per naturam divinam*, non autem simpliciter substantificatur per naturam humanam; quia persona Filii Dei fuit ante humanitatem assumptam, nec in aliquo persona est augmentata seu perfectior per naturam humanam assumptam. *Substantificatur autem suppositum aeternum per naturam humanam, in quantum est hic homo.* Et ideo sicut Christus est *unum simpliciter* propter unitatem suppositi, et *duo secundum quid* propter duas naturas; ita habet *unum esse simpliciter* propter unum esse aeternum aeterni suppositi. Est autem et *aliud esse* huius suppositi, non in quantum est aeternum, sed in quantum est temporaliter homo factum. *Quod esse*, etsi non sit esse accidentale; quia homo non praedicatur accidentaliter de Filio Dei, ut supra habitum est; non tamen est esse principale sui suppositi, sed secundarium. Si autem in Christo essent duo supposita, tunc utrumque suppositum haberet proprium esse sibi principale, et sic in Christo esset simpliciter duplex esse.— Ad 1.um ergo dicendum quod esse humanae naturae non est esse divinae. Nec tamen simpliciter dicendum est quod Christus sit duo secundum esse; quia non ex aequo respicit utrumque esse suppositum aeternum » [1].

Locus ex *De unione Verbi Incarnati* a. 4.

344. Quo in loco, si omnia ponderentur, habentur eadem principia, eaedem declarationes, eadem princeps conclusio, quae in aliis omnibus S. Doctoris operibus invenimus. Si quid discriminis est, totum in eo est, quod esse, ut *quo*, pertinens ad naturam humanam, prout per unionem fit proprium Verbi, quod est, *ut quod*, in eadem natura, ut in divina, hic dicitur *esse secundarium*, alibi dicitur *integrare* unum quodammodo compositum Christi esse. Sed haec aequivalentia sunt, et loquendi modo solummodo differunt. Observa tamen, amabo, heic etiam, quod ubique legimus in ope-

Declaratur.

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De Unione Verbi Incarnati, q. un. a. 4. corp.*

Animadversio notanda.

ribus D. Thomae, suppositum, quod proprie EST, dici *esse simpliciter*, aut *secundum quid*, per formam aut substantialem aut accidentalem, et non per *entitatulam Aegidianam*, de qua D. Thomas nunquam cogitavit.

345. Atque dicta huc usque ad negativam veritatis ostensionem possunt sufficere; quae enim ex mysterio Eucharistico poterant afferri, iam a Soto in superioribus fuerunt satis declarata. Maneat igitur distinctionem formaliter realem inter creati entis actualem essentiam et esse non probari evidenter a D. Thoma fuisse traditam, sed probari potius fere evidenter oppositum.

Conclusio generalis demonstrationis negativae.

§ II.

Probatur eadem assertio positive.

Argumentum generale.

346. Ex doctrina D. Thomae positive infertur in creato ente essentiam actualem non distingui realiter, in sensu adversariorum, ab eiusdem exsistentia. Ergo ex doctrina D. Thomae evidenter concluditur non probari evidenter S. Doctorem distinctionem illam tradidisse: imo potius concluditur non tradidisse. *Consequentia* est evidens; secus enim oporteret dicere Angelicum in variis locis contradictoria docuisse; quod, aequa ratione, apud nos et apud nostros in praesenti controversia adversarios omnino est nefas. Quae consequentia firmius stat in nostra doctrina. Cum enim plusquam satis probaverimus adversariorum distinctionem illam ex nullis D. Thomae locis evidenter ostendi; si insuper positive ostendatur D. Thomam oppositum tradidisse, evidentia negabitur sententiae adversariorum non ob solam reverentiam in S. Doctorem, et ob generalem praesumptionem quod vir sapientissimus non sibi contradicit; sed etiam ob perspectam rei veritatem, quae exigit ut, si unum demonstratur et auctor in reliquis est sibi consentiens, ex ipso oppositum rei demonstratae nunquam possit evidenter inferri.

Consequentia evidens.

Prob. Ant. I. In D. Thoma τὸ *esse* est ipsa realis res, ut contradistincta a seipsa, ut possibili.

347. *Prob. Ant. I.* Ex doctrina D. Thomae, realiter loquendo, τὸ *esse* est ipsa realis res, ut contradistincta a seipsa, ut possibili. At realis res non distinguitur distinctione formaliter reali a sua actuali essentia, uti evidens est. Ergo ex doctrina D. Thomae τὸ *esse* non distinguitur distinctione formaliter reali ab actuali essentia. — Etiam in ente creato, de quo loquimur, *minor* et *consequentia* argumenti sunt evidentes; maior vero fere in singulis, quae ex D. Thoma huc usque dicta sunt, fuit probata. Illustratur autem: — α) « *Esse*, *inquit Aquinas*, dupliciter dicitur..... Uno modo, secundum quod est copula verbalis..... Alio modo *esse* dicitur actus entis, in quantum est ens, id est, quo denominatur aliquid *ens actu in rerum natura;* et sic esse non attribuitur nisi rebus ipsis, quae in decem generibus continentur: unde ens a tali esse dictum per decem genera dividitur. Sed hoc esse attribuitur alicui dupliciter. Uno modo, ut sicut ei, *quod proprie et vere* HABET ESSE *vel* EST; et sic attribuitur soli substantiae per se subsistenti: unde

Probatur ex Quodlibeto 9. q. 2. a. 3. corp.

Textus D. Thomae.

quod vere *est*, dicitur substantia *in I. Physic. text. comm. 27.* Omnia vero quae non per se subsistunt, sed in alio et cum alio, sive sint accidentia, sive formae substantiales aut quaelibet partes, *non habent esse ita, ut ipsa vere sint;* sed attribuitur eis esse alio modo, id est, ut *quo aliquid est:* sicut albedo dicitur esse, non quia ipsa in se subsistat, sed quia ea habet aliquid esse album. Esse ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei subsistenti; huic autem attribuitur esse duplex. Unum scilicet esse resultans ex his, ex quibus eius unitas integratur, quod proprium est esse suppositi substantiale. Aliud esse est supposito attributum praeter ea, quae integrant ipsum, quod est esse superadditum, scilicet accidentale; ut esse album attribuitur Socrati, cum dicitur: *Socrates est albus* » [1].

348. Quo in loco primum omnium notatu dignum est, per D. Thomam idem significare *habere esse* et *esse:* « Quod vere et proprie habet esse, *inquit*, vel est ». Rursum: « Quod vere est ». Et: « Non habent esse ita, ut ipsa vere sint, sed..... ut quo aliquid est ». Baculo igitur nituntur arundineo Doctores illi, quos in superioribus memoravimus, qui quod creaturae a D. Thoma ac saepe ab aliis dicuntur *habere esse*, inferunt per D. Thomam et veritatem τὸ *esse* in ipsis realiter ab essentia distingui. Hic creaturae etiam *habent esse* vel *sunt.* Ergo *habere esse* non necessario distinctionem illam significat, uti, saltem non necessario, illam significat verbum: *Sunt*, quod τῷ *habere esse* aequivalet. — Praeterea heic, per D. Thomam, τὸ *esse* est realis ipsa quidditas, prout realis est. Et sic forma sive substantialis sive accidentalis, et quaelibet partes suppositi realis dicuntur *esse, ut quo;* suppositum vero ipsum dicitur *esse, ut quod*, et huius esse dicitur *resultare ex his, quibus eius unitas integratur.* Unitas autem suppositi est unitas rei vel substantialis quidditatis; et variis partibus sive essentialibus sive integralibus ipsa rei quidditas aut constituitur aut integratur. Quapropter ex hac doctrina infert, ut vidimus, humanitatem integrare in Christo rem subsistentem et, ut est in supposito divino, constituere cum divina natura unum esse substantiale Christi Dei-Hominis. Per D. Thomam ergo, realiter loquendo, τὸ *esse* est ipsa realis quidditas, et non ficta aliqua entitatula, de qua nunquam cogitavit. — Quod vero τὸ *esse*, per D. Thomam, sit ipsa realis quidditas, ceu a se ut possibili contradistincta, innuitur a S. Doctore ubi ait: « Esse dicitur actus..... quo denominatur aliquid *ens actu in rerum natura.* Ens autem actu in rerum natura a se, ut possibili, immediate et quasi primo contradistinguitur. Ergo, per D. Thomam τὸ *esse* est ipsa realis res, prout a se, ut possibili, contradistincta.

Declaratur.

D. Thomae *habere esse* et *esse* idem est.

Conclusio.

349. Legimus: — β) « Dicendum quod hoc, quod dico *esse*, est inter omnia perfectissimum. Quod ex hoc patet, quia actus est semper perfectior potentia: quaelibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc quod esse ponitur. Nam humanitas vel igneitas potest considerari *ut in potentia materiae exsistens*, vel

Prob. ex QQ. DD. De potentia, q. 7. a. 2. ad 9.um Textus D. Thomae.

[1] D. Thomas, *Quodlibeto 9. q. 2. a. 3. corp.*

in virtute agentis, aut etiam *in intellectu:* sed hoc, *quod est esse*, efficitur *actu exsistens.* Unde patet quod hoc, *quod dico esse*, est actualitas omnium actum, et propter hoc est perfectio omnium perfectionum. Nec intelligendum est quod ei, *quod dico esse*, aliquid addatur, quod sit eo formalius, ipsum determinans, sicut actus potentiam. Esse enim, quod huiusmodi est, est aliud secundum essentiam ab eo, cui additur determinandum. Nihil autem potest addi ad esse, quod sit extraneum ab ipso, cum ab eo nihil sit extraneum, nisi non ens, quod non potest esse nec forma, nec materia. Unde non sic denominatur esse per aliud, sicut potentia per actum, sed magis sicut actus per potentiam. Nam et in definitione formarum ponuntur propriae materiae loco differentiae, sicut cum dicitur quod anima: *Est actus corporis physici, organici.* Et per hunc modum hoc esse ab illo esse distinguitur, in quantum est talis vel talis naturae. Et per hoc dicit Dionysius quod, licet viventia sint nobiliora quam exsistentia; tamen *esse est nobilius quam vivere;* viventia enim non tantum habent vitam, sed cum vita simul habent et esse »[1].

Declaratur.

350. Hoc loco S. Doctor respondet difficultati, quae breviter sic posset proponi: Ipsum esse est imperfectissimum. Essentia Dei est perfectissima. Essentia igitur Dei non est ipsum esse. *Prob. mai.* Ipsum esse determinatur per decem praedicamenta, uti materia prima per omnes formas. Ergo est, uti materia prima, imperfectissimum. — Respondet in forma. *Dist. mai.* Ipsum esse per essentiam aut subsistens est imperfectissimum, *Neg. mai.* Esse participatum, *Subd.* Quatenus dicit ipsam exstandi actualitatem, aut formaliter loquendo, *Neg. mai.* Quatenus dicit rei exsistentis quidditatem, aut realiter loquendo, adhuc *Subd.* Si abstracte et indefinite accipiatur, iterum *Neg. mai.* Si concrete et determinate, ens nimirum, vivens, sapiens etc. *Conc. Mai.* — *Conc. min. Contrad. consequens.* Non est ipsum esse per essentiam aut subsistens, *Neg. consequentiam.* Non est ipsum esse participatum, *Conc. consequentiam*, sed nego ipsum esse participatum, quatenus dicit exstandi actualitatem, aut abstracte et indefinite accipitur, esse imperfectissimum, quamvis imperfectissum sit, si concrete et determinate accipiatur. Huius ratio est, quod τὸ *esse*, si pro exstandi actualitate aut formaliter accipitur, innuit id, quod formalissimum est in qualibet re, atque adeo id, quod est perfectissimum; si vero, realiter loquendo, accipitur abstracte et indefinite, complectitur totum id, quod potest denominari *esse.* Nulla autem est perfectio, quae aliquod *esse* non sit, et solum non ens ab *esse* removetur. Omnem igitur perfectionem τὸ *esse* abstracte et indefinite complectitur, et sic est perfectissimum; quamvis ens concrete et determinate, prout dicit aliquid solum exsistens, sit imperfectius vivente, et vivens sapiente. — Ad probationem, *Dist. ant.* Uti determinatur potentia per actum, qui ipsam perficit, atque adeo uti determinatur materia per formam, *Neg. Ant.* Uti determinatur

τὸ *esse* formaliter, aut indefinite acceptum perfectissimum.

[1] D. Thomas, *QQ. DD. De potentia, q. 7. a. 2. ad 9.um*

actus per potentiam, quae contrahit eius amplitudinem perfectionemque, *Conc. ant.* Et, sub data distinctione, *Neg. consequentiam.* Haec eadem illa difficultas, responsio et doctrina est, quam S. Doctor repetit in *Summa Theologica* [1], et quam nos in nostris Disputationibus in 1.am p.em eo loci declaravimus, intulimusque ex mente D. Thomae realem indistinctionem inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque. Habes autem magnam partem in superioribus, [2] quae citato loco scripsimus. Non sunt illa repetenda; sed solum ex hoc loco probanda, secundo, est maior argumenti ab initio propositi.

Probatur intentum.

351. S. Doctor probat τὸ *esse* exsistentiae esse inter omnia perfectissimum, quia est omnium actus aut actualitas, et ultima quidem ac pura actualitas, quae nequit, uti potentia, alio actu determinari; quamvis, si de esse non per essentiam sed participato sermo sit, hoc esse contrahi possit, uti actus per potentiam contrahitur. At, realiter loquendo, huiusmodi actus, in creato ente, per D. Thomam, est ipsa realis res ut contradistincta a seipsa, ut possibili. Ergo. Maior est evidens, et minor probatur. Ait S. Doctor: « Actus est semper perfectior potentia: quaelibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc, quod esse ponitur. Nam humanitas vel igneitas potest considerari ut in potentia materiae exsistens, vel ut in virtute agentis, aut etiam ut in intellectu: sed hoc, quod habet esse, efficitur actu exsistens. Unde patet quod hoc, quod dico esse, est actualitas omnium actuum, et propter hoc est perfectio omnium perfectionum ». Hisce verbis S. Doctor apertissime opponit realem rem sibi ipsi, ut possibili, realem humanitatem aut igneitatem possibili humanitati aut igneitati. Docet autem realem v. g. humanitatem esse actum, quatenus *est* vel *esse habet*, quod, ex dictis, per D. Thomam idem est: « Quaelibet forma signate non intelligitur in actu, nisi per hoc, quod (*ipsa*) esse ponitur — hoc, quod habet esse, efficitur actu exsistens ». Est ergo realis v. g. humanitas, ceu a se ut possibili contradistincta, eius esse. Aliis verbis: Per D. Thomam, realiter loquendo, realis humanitas, ut a possibili contradistincta, est actus exstandi. Actus exstandi est eius esse. Ergo. Nec obstat, quod D. Thomas non dicit: *Non intelligitur aut efficitur actus, sed in actu actu.* Idem enim est per D. Thomam esse in potentia, et esse potentiam, uti constat ex verbis sequentibus *Humanitas potest considerari ut in potentia materiae exsistens.* Sic autem est potentia logica aut obiectiva. Ergo, ubi de possibili et reali sermo est, idem est *esse in actu* et *esse actum.*

Realis humanitas actus.

Occurritur difficultati.

352. Hoc loco S. Doctor docet, formaliter loquendo, τὸ *esse* rerum omnium exsistentium, qua talium, esse rationem quandam. Ergo, realiter loquendo, docet τὸ *esse* esse reales ipsas res, ceu sibi ipsis, ut possibilibus, oppositas. *Consequentia* est evidens; quia, uti in notionibus praeviis ac saepe in superioribus visum

Confirmatur — τὸ *esse*, formaliter loquendo, ratio quaedam.

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1 p. q. 4. a. 1. ad 3.um et 2. ad 3.um*

[2] *Cfr. supra, Sect. 2. n. 29. nota 3.*

est, rei ratio, per D. Thomam, nihil est aliud, quam ipsa res prout potest intellectui obiici ac sub determinato quodam respectu considerari. *Prob. ant.* Et quidem quod S. Doctor heic directe loquatur de ipso *esse* formaliter inspecto est omnino evidens. Hoc enim significant fere singulae loquutiones, quibus vocat τὸ *esse actum — actualitatem omnium actuum et perfectionem omnium perfectium — quo res et forma intelligitur in actu:* quare subdit *nihil ipso esse formalius*, cum praeter ipsum *non detur*, *nisi non-ens.* Quod vero τὸ *esse* formaliter inspectum, per D. Thomam, sit rei ratio, patet. *Quaelibet forma signata*, inquit, *non intelligitur in actu, nisi per hoc, quod esse ponitur — humanitas potest considerari ut in potentia.* Ergo loquitur S. Doctor de rerum respectibus variis, prout menti possunt obiici. — Tum D. Thomas dicit τὸ *esse actualitatem omnium actuum, et perfectionem omnium perfectionum,* non certe solum in ordine physico, sed in quocumque ordine. Quod homo intelligitur non solum possibilis, sed actu positus, actualitas intellecta est ultima eius perfectio in ordine intelligibilitatis; uti realis actualitas in ordine realitatis. Convenientia, quae *est* inter iudicii affirmativi subiectum et praedicatum, est actualitas et perfectio in ordine logico. Rectitudo, quae *est* in actu humano, est ipsius actualitas et perfectio moralis. Huiusmodi autem *esse* in ordine metaphysico, physico, logico, morali, absque ulla controversia, non praesefert nisi uniuscuiusque rei rationem aliquam, seu rem sic aut aliter intellectui obiiciendam.— Ad haec, docet D. Thomas τὸ *esse* non posse determinari per aliquid formalius ipso, sed solum per subiectum aut potentiam quam actuat; quia ut actuaretur actu aliquo se formaliori deberet dari aliqua alia actualitas in ratione essendi ab *esse* essentialiter distincta. Nulla autem datur aut dari potest huiusmodi actualitas; quia in ratione essendi, praeter esse, non datur nisi non-ens, quod nulla potest esse actualitas. *Nec intelligendum est*, inquit, *quod ei, quod dico esse, aliquid addatur, quod sit eo formalius, ipsum determinans, sicut actus potentiam. Esse enim quod eiusmodi est* (esset), *est* (deberet esse) *aliud secundum essentiam ab eo, cui additur determinandum. Nihil autem potest addi ad esse, quod sit extraneum ab ipso, cum ab eo nihil sit extraneum nisi non ens, quod non potest esse nec forma, nec materia.* Esse igitur, de quo loquitur Aquinas, est esse secundum totam abstractionem et communitatem metaphysicam. Huiusmodi autem esse analogica quaedam ratio communis est, quae in individuis cum ipsis realiter identificatur et expressiori conceptu effertur. Nec quemquam movere debet, quod Thomas ait τὸ *esse* determinari ac contrahi non *sicut potentia per actum, sed magis sicut actus per potentiam.* Nam, uti in praenotionibus docuimus ex ipso Thoma, cum *de actu et potentia ageremus*, contractio aut limitatio actus per potentiam, uti potentiae per actum, potest haberi in quocumque ordine, et aliquando quidem per actum et potentiam realiter distincta in ordine physico, aliquando vero per actum et potentiam formaliter distincta in ordine metaphysico aut in alio ordine. Hic autem, cum de *esse*

Ostenditur primo.

Declaratur.

Ostenditur secundo.

Praeoccupatur difficultas.

universalissime inspecto contrahendo per essentiam sermo sit, evidentissime sermo est de actu per potentiam contrahendo in ordine metaphysico, adeoque contrahendo per potentiam solum formaliter distinctam.

353. Praeterea : — γ) quaerit Aquinas : « *Utrum anima sit simplex*..... Respondeo dicendum..... Alii dicunt quod anima est composita ex *quo est* et *quod est*. Differt autem *quod est* a materia; quia *quod est* dicit ipsum suppositum habens esse ; materia autem non habet esse, sed compositum ex materia et forma. Unde materia non est *quod est*, sed compositum. Unde in omnibus illis, in quibus est compositio ex materia et forma, est etiam compositio ex *quo est* et *quod est*. In compositis autem ex materia et forma *quo est* potest dici tripliciter. Potest enim dici *quo est* ipsa forma partis, quae dat esse materiae. Potest etiam dici *quo est* ipse actus essendi, scilicet *esse*, sicut quo curritur, est actus currendi. Potest etiam dici *quo est* ipsa natura, quae relinquitur ex coniunctione formae cum materia, ut humanitas, praecipue secundum ponentes quod forma, quae est totum, quae dicitur quidditas, non est forma partis, de quibus est Avicenna. Cum autem de ratione quidditatis vel essentiae non sit quod sit composita, vel compositum, consequens poterit inveniri et intelligi aliqua forma simplex non consequens compositionem formae et materiae. Si autem inveniamus aliquam quidditatem, quae non sit composita ex materia et forma, illa quidditas aut est suum esse, aut non. Si illa quidditas sit esse suum, sic erit essentia ipsius Dei, quae est suum esse, et erit omnino simplex. Si vero *non sit ipsum esse*, oportet *quod habeat esse acquisitum ab alio*, sicut est omnis quidditas creata. Et quia haec quidditas posita est non subsistere in materia, non acquireretur sibi esse *in altero*, sicut quidditatibus compositis, imo acquiretur esse *in se ;* et ita ipsa quidditas erit hoc, *quod est*, et ipsum esse suum erit *quo est*. Et quia *omne, quod non habet aliquid a se, est possibile respectu illius ; huiusmodi quidditas cum habeat esse ab alio, erit possibilis respectu illius esse, et respectu eius, a quo esse habet*, in quo nulla cadit potentia. *Et ita in tali quidditate invenietur potentia et actus, secundum quod ipsa quidditas est possibilis, et esse suum est actus eius.* Et hoc modo intelligo in Angelis compositionem potentiae et actus, et de *quo est* et *quod est;* et similiter in anima. Unde Angelus vel anima potest dici quidditas, vel natura, vel forma simplex, in quantum eorum quidditas *non componitur ex diversis ;* tamen advenit sibi compositio horum duorum, scilicet quidditatis et esse » [1].

Prob. ex I. Dist. 8. q. 5. a. 2. corp. Textus D. Thomae.

354. Ex splendido hoc loco, in quo Angelicus *reflexe* aperit mentem suam : *Et hoc modo intelligo.....*, et ex quo fere omnia confirmantur, quae in superioribus dicta sunt, habemus : — α) *Quo est* et *quod est* non esse *res*, sed esse *solas intentiones* aut considerationes mentis, rebus variis, prout earum fert natura, applicandas explicandasque. *In compositis ex materia et forma* QUO EST *potest*

Declaratur locus insignis.

[1] D. Thomas, *In I. Dist. 8. q. 5. a. 2. corp.*

dici tripliciter : — β) *Esse suum*, pro D. Thoma, esse *ipsum esse — habere esse a se, et non ab alio.* Ait enim : *Si illa quidditas sit suum esse, sic erit essentia ipsius Dei, quae est suum esse, et erit omnino simplex. Si vero non sit* IPSUM ESSE, *oportet quod habeat esse acquisitum* AB ALIO..... *Et quia omne, quod non habet* ALIQUID A SE : — γ) Potentiam et actum in creato ente haberi ex eo, quod creata essentia ex se possibilis est, seu est potentia *non subiectiva, sed obiectiva*, quae dum producitur, acquirit esse et fit actualis, vel actu. *Et quia omne, quod non habet aliquid a se,* EST POSSIBILE *respectu illius ; huiusmodi quidditas, cum habeat esse ab alio,* ERIT POSSIBILIS, RESPECTU ILLIUS ESSE, ET RESPECTU EIUS, A QUO ESSE HABET, *in quo nulla cadit potentia :* ET ITA IN TALI QUIDDITATE INVENIETUR POTENTIA ET ACTUS, SECUNDUM QUOD IPSA QUIDDITAS EST POSSIBILIS, ET ESSE SUUM EST ACTUS EIUS: —

Probatur intentum.

δ) In postremis autem S. Doctoris verbis habetur explicite nostra maior probanda : Ex doctrina D. Thomae, realiter loquendo, τὸ *esse* est ipsa realis res, a se, ut possibili, contradistincta. Dicitur enim: *Invenietur potentia et actus, secundum quod ipsa quidditas est possibilis, et esse suum est actus eius.* Ergo in creato ente τὸ *esse* est ipsa actualis quidditas aut realis res, a se, ut possibili, contradistincta.

Prob. idem. ant. II.

In Deo, et in singulis creatis entibus, ex D. Thoma, essentia actualis sibi realiter identificat τὸ *esse* De Deo nulla controversia.

355. *Prob. idem ant. II.* Quamvis D. Thomas doceat in solo Deo τὸ *esse* inveniri essentialiter seu a se, atque porro inveniri in omnibus creatis entibus per participationem et ab alio, uti apud omnes ratum est ; tamen docet etiam non solum in Deo, de quo non est controversia, sed etiam in singulis creatis entibus essentiam actualem, prout ipsa est, sibi realiter identificare τὸ *esse.* Ergo ex doctrina D. Thomae creati entis actualis essentia distinctione formaliter reali a suo esse non distinguitur. *Consequentia* est evidens. Antecedens, quoad partem controversam, probatur discurrendo per singula entia. Nam D. Thomas τὸ *esse* creatum

Prob. de esse creato indefinite considerato.

considerat : — α) *indefinite*, et docet *sola ratione* a quidditativis praedicatis distingui, ac proinde realiter identificat. Ait enim : « Licet ipsum esse sit perfectius, quam vita, et ipsa vita quam ipsa sapientia, si considerentur *secundum quod distinguuntur ratione;* tamen vivens est perfectius quam ens tantum ; quia vivens etiam est ens, et sapiens est ens et vivens »[1].

Prob. de substantiis intellectualibus.

356. Considerat : — β) τὸ *esse in substantiis intellectualibus*, docetque ipsum esse proprietatem metaphysicam earum quidditati realiter identicam, uti rotunditas est realiter identica circulo : [2]

Prob. de anima humana. Textus D. Thomae.

357. Considerat : — γ) τὸ *esse in anima humana*, ipsumque eius quidditati realiter docet identificari : « Anima ad obiecta duplicem cognitionis modum habet. Unum in se, ut separata accipitur. Tunc enim cognoscibilis est secundum modum sui esse; quia est *actus perficiens potentialitatem.* Non enim in anima sunt duo actus,

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 4. a. 2. ad 3.um — Cfr. De Veritate, q. 20. a. 2. ad 3.um, et q. 22. a. 11. ad 4.um Sed contra etc.*

[2] *Vide supra, n. 306. seqq. huius sect. 3.ae*

scilicet sua essentia, quae est sua potentialitas, et esse suum. *Sed esse suum est sua actualitas, ratione cuius ipsa essentia animae est actus corporis. Omnis enim forma participat actum, qui est primus, per essentiam;* sed hoc analogice fit. Duos autem actus eiusdem ordinis impossibile est aliquod unum participare simul; sicut impossibile est eandem materiam duas formas substantiales simul participare. Alium autem modum cognitionis..... »[1]. — Docet nimirum Angelicus animam, in statu separationis, esse directe a se cognoscibilem secundum rationem sui *esse;* quia ratione sui *esse* perficit aut actuat suam potentialitatem, id nimirum quod erat possibile, et sic est ens actu, atque adeo directe ab intellectu cognoscibile. Non enim potentialitas animae, quae est sua essentia, est aliquid reale distinctum a suo esse; secus in ipsa essent duo actus, unus nimirum essentia, alius esse, quod est impossibile aliquod unum participare simul; sed esse suum est sua actualitas, seu actualitas suae potentialitatis aut possibilitatis, ratione cuius actualitatis ipsa essentia animae est actus corporis. Per D. Thomam ergo esse animae est ipsa realis essentia animae, ut a possibili contradistincta, atque adeo est ipsi essentiae animae, realiter loquendo, realiter identicum. Hunc esse sensum S. Doctoris intelligitur non solum ex iis, quae in argumento praecedenti retulimus ex *I. Distinctionum;* sed etiam ex iis, qaae hoc loco praecedunt, in quibus eadem traditur doctrina, quam declaravimus in capite 5. *De Ente et Essentia.* Docet nimirum Aquinas animam, quod inter substantias intellectuales magis recedit ab actu puro, qui Deus est, plus habere de potentia, minus de actu, seu plus de non ente, quam de ente. Ratione suae potentialitatis ipsam accedere quoddammodo ad materiam, et connaturaliter ac primo non habere esse nisi in materia. Hinc eius connaturalis modus essendi est quodammodo potentialis, nec proinde est ipsa cognoscibilis in actu, nisi quatenus actu aliquo secundo actuatur. At separata a materia, cum eius realitas aut eius esse actuet quod in ipsa erat solum possibile, est secundum suum esse ens in actu, atque adeo est directe in se cognoscibilis. Hoc autem esse, hunc actum non esse aliquid realiter distinctum, ab essentia, quae est ipsa, ut possibilis, sed esse ipsam essentiam, quae erat possibilis, in actu positam, secus duo actus eiusdem rationis, aut duo realia entia essent in una anima, quod est impossibile, uti impossibile est dari duas formas substantiales in una materia. Lege ipsum S. Doctoris Opusculum. Certissime igitur docet Angelicus in anima, realiter loquendo, *esse* exsistentiae suae essentiae esse realiter identicum.

Declaratur.

Concluditur.

358. Considerat: — δ) τὸ *esse in materia prima*, eamque, uti suo loco vidimus,[2] docet habere ex sese, prout est ens in potentia ad formam, *esse debile et* imperfectum, διὰ τὸ *esse* formae perficiendum, ut in specie constituatur, adeoque suum illud esse debile sibi esse

Prob. de materia prima.

[1] *Idem, De principio individuationis, circa med.*

[2] *Videsis supra n. 293. seqq. huius Sectionis 3.ae*

Praeter superius allata, afferuntur alia documenta.

realiter identicum. Quae quamvis possent sufficere ; placet tamen sequentia addere testimonia, ut assertio nostra plenius illustretur. « Materia prima, *inquit*, aliquo modo EST, quia est ens in potentia » [1]. Rursum : « Quod est maxime verum et maxime ens est causa essendi omnibus exsistentibus. Unde hoc ipsum esse potentia, quod habet materia prima, sequitur derivatum esse a primo essendi principio, quod est maxime ens » [2]. Et : « Quia materia secundum id, *quod est*, est in potentia ens ; necesse est, ut secundum potentiae diversitatem sint diversae materiae. Nec aliud dicimus materiam substantiam, quam ipsam positionem, quae est in genere substantiae..... Sic igitur in rebus ex materia et forma compositis, materia quidem *secundum se considerata*, *secundum modum suae essentiae*, habet esse in potentia, et hoc ipsum est ei ex aliqua participatione primi entis : caret vero *secundum se considerata* formâ, per quam participat esse in actu secundum proprium modum » [3], scilicet formae. Legesis totum caput eorum, quae huc usque dicta sunt, non immemor. Alibi S. Doctor docet materiam primam esse ex sese bonum transcendentale, atque adeo aliquo reali modo ens. [4]

Prob. de composito.

359. Considerat : ε) τὸ *esse in composito* tum generatim, tum speciatim, docetque τὸ *esse* ipsi realiter esse identicum. Ergo ex D. Thoma neque in composito τὸ *esse* ab actuali essentia realiter distinguitur. *Prob. ant.* Et quidem de composito generatim scribit : « Res ergo composita non est suum esse : et ideo dicit (*Boetius*) quod in : *Omni composito aliud est esse, et aliud ipsum* compositum, *quod est participatum* (al. *participandum*) *ipsum esse* ». [5] Quo loco uti in superioribus data opera de ipso agentes demonstravimus, negat quidem Aquinas cum Boetio rem compositam esse *suum esse*, seu esse totum esse essentialiter seu a se, atque porro esse formaliter *ipsum esse;* expresse tamen docet rem compositam aut compositum esse realiter illud esse, quod a Deo ex parte, seu secundum partem recipit : *Compositum, quod est participatum ipsum esse.* — Speciatim vero in viventibus docet vivere in actu primo ipsis esse tum essentiam, tum *esse.* Docet clarissime esse essentiam ubi, postquam ait nos ex cognitione accidentium devenire in cognitionem quidditatis, et consequenter nominibus accidentium denominare quidditates, prosequitur : « Sic ergo dicendum est de vita. Nam vitae nomen sumitur ex quodam exterius apparente circa rem, quod est movere seipsam ; non tamen est impositum hoc nomen ad hoc significandum, sed ad significandam substantiam, cui convenit secundum suam naturam movere seipsam, vel agere se quocumque modo ad operationem.

Generatim.

Speciatim in viventibus.

[1] *Idem, Contra Gentes, lib. 2. c. 17.*
[2] *Idem, In VIII. Physiorum, Lect. 2. parum a princ.*
[3] *Idem, Opusc. De Angelis, c. 8.*
[4] *Idem, QQ. DD. De Malo, q. 1. a. 2. corp.*
[5] *Idem. Super Boetium De Hebd. Lect. 2. circa fin. — De Spiritualibus Creaturis, q. un. a. 1. ad 5.um*

Et secundum hoc vivere nihil aliud est, *quam esse in tali natura*, et *vita* significat hoc ipsum, sed in abstracto; sicut hoc nomen *cursus* significat ipsum *currere* in abstracto. Unde vivum non est praedicatum accidentale, sed substantiale..... *Vivere est sentire vel intelligere, id est*, HABERE NATURAM AD SENTIENDUM VEL INTELLIGENDUM »[1]. Sed docet simul: « Vivere quandoque sumitur pro ipso esse viventis »[2]. Sermo autem hic est de esse exsistentiae, uti patet ex titulo articuli collato cum titulo articuli praecedentis. Quaestio enim est: *Utrum intelligere Angeli sit eius esse;* dum in praecedenti fuerat quaesitum: *Utrum intelligere Angeli sit eius substantia.* Ad haec: « Esse, *inquit*, dicitur dupliciter. Uno modo dicitur esse ipsa quidditas vel natura rei, sicut dicitur quod definitio: *Est oratio significans quid est esse;* definitio enim quidditatem rei signat. Alio modo dicitur esse ipse actus essentiae; sicut vivere, quod est esse viventibus, est animae actus, non actus secundus, qui est operatio, sed actus primus »[3]. Ex quibus: « Secundum S. Thomam, vivere in actu primo est *esse* (existentiae) viventibus. Atqui, secundum S. Thomam, essentia viventibus est vivere in actu primo. Ergo, secundum S. Thomam, essentia viventibus est esse (exsistentiae) ». Quod argumentum nullum continet terminum aequivocum.[4] De eodem enim vivere in actu primo D. Thomas constituit identitatem cum *esse* exsistentiae: *Dicitur esse ipse actus essentiae*, ut contradistinctus ab *esse*, quod est *ipsa quidditas.* Constituit realem identitatem inter *vivere in actu primo* et *habere naturam ad sentiendum et intelligendum*, seu inter *vivere in actu primo et essentiam.* Ergo constituit identitatem inter esse exsistentiae et essentiam viventis. Atque haec reliquae Angelici doctrinae apertissime consonant.[5] — Quapropter in ipso composito Theandrico D. Thomas paulo ante docuit nos Christi Dei-Hominis esse exsistentiae non solo increato aeternoque Dei Verbi naturaeve divinae *esse* constare, sed integrari ipsa humanitate assumpta huiusque partibus substantivis tum essentialibus, tum integralibus; quae non sunt rursum repetenda. Ergo Aquinas in quolibet reali ente realiter identificat essentiam et esse; et consequenter in ente creato, ex eius mente, actualis essentia non distinguitur distinctione formaliter reali ab eiusdem esse.

Speciatim in composito Theandrico.

360. *Prob. idem ant. III.* Docet plane Aquinas τὸ *esse* proprium esse Dei effectum, ceu causae efficientis aut unicae per creationem, aut principalis per effectionem quamlibet; ita ut causae secundae non producant τὸ *esse*, nisi uti eius instrumentum, atque adeo in virtute ipsius[6]; sed simul docet Deum non dare esse,

Prob. idem ant. III.

---

[1] *Idem, Summ. Theol. 1. p. q. 18. corp. et ad 1.um*
[2] *Idem, Ibidem, q. 54. a. 2. ad 1.um*
[3] *Idem, In I. Dist. 33. q. 1 a. 1. ad 1.um*
[4] *Idem, QQ. DD. De Potentia, q. 7. a. 2. corp. — Compendium Theologiae, c. 68. etc.*
[5] *Vide supra, n. 144. huius sect. 3.ae*
[6] D. Thomas, *QQ. DD. De potentia, q. 7. a. 2, corp. — Compendium Theol. c. 68. etc.*

Forma omnis dat formaliter esse, a se realiter proinde indistinctum.

nisi per formam, tanquam per formalem causam. Hinc forma omnis dat formaliter esse proportionatum, substantialis quidem *esse simpliciter*, accidentalis vero *esse secundum quid;* dat autem huiusmodi esse, quatenus aut complet naturam, eamque aptam reddit, ut simpliciter in rerum natura sit, vel ut subiectum, quod habet esse simpliciter, sit aliqualiter. Atqui eiusmodi doctrina realiter identificantur in creato ente actualis essentia et esse, et consequenter non distinguuntur distinctione formaliter reali. Ergo ex doctrina D. Thomae in ente creato actualis essentia non distinguitur distinctione formaliter reali ab eiusdem exsistentia. *Consequentia* patet, et *minor* declaratur. Nam si esse in creato ente formaliter non habetur, nisi per formam, tanquam per causam formalem;

Forma nequit esse ipsius *esse* causa materialis.

ergo: — α) forma ipsa aut essentia, sive adaequata ut in substantia Angelica, sive inadaequata uti in substantia composita, nunquam esse poterit ipsius esse causa materialis proprie dicta; causa enim materialis proprie dicta contradistinguitur a causa formali; et altera rationem habet propriae potentiae subiectivae, altera rationem proprii physicique actus. Atqui si τὸ *esse* in creato ente realiter ab actuali essentia distingueretur, sicut proprius et physicus actus a propria subiectiva potentia, forma esset aut adaequate aut inadaequate propria causa materialis ipsius esse, uti clarum est et,

P. Remer contra D. Thomam.

contra D. Thomam, tot verbis docet P. Remer: « Essentia se habet ad esse ut causa materialis, in qua producitur et recipitur esse »[1]. Ergo. — Praeterea: — β) Si forma dat esse uti causa formalis, et modis illis omnibus in *maiori* assertis; ergo forma est principium formale essendi, et non in essendo formaliter principiata; omnis

Forma principium formale essendi, et non in essendo principiata. D. Thomas.

enim causa in suo ordine est principium et non principiatum, seu effectus; tum id expresse a D. Thoma docetur: « Forma, *inquit*, est principium essendi, ut *quo* aliquid est, cum tamen et esse formae, et esse materiae in composito sit ab uno agente. Si ergo sit aliqua substantia creata, quae sit forma tantum, potest habere principium essendi efficiens, non formale »[2]. Et: « Forma est causa essendi materiae, et agens. Unde agens, in quantum reducit materiam in actum formae transmutando, est ei causa essendi. Si quid autem est forma subsistens, non habet esse per aliquod formale principium, nec habet causam transmutantem de potentia in actum »[3]. At in sententia adversariorum forma in ratione essendi esset formaliter non principium, sed principiata; haberet enim entitatulam illam Aegidianam, *qua* formaliter esset. Ergo.—

Forma dat esse per sui communicationem, et non per distinctam formam aliam.

Adde quod, si modis illis omnibus in maiori assertis τὸ *esse* datur a forma, datur necessario per sui communicationem, et non per realiter distinctam formam aliam; omnis enim formalis causa sui communicatione formalem effectum producit.

[1] Remer, *Ontologia q. 1. §. 3. n. 54. 7.°*

[2] D. Thomas, *QQ. DD. De potentia, q. 6. a. 6. ad. 4.um* — Cfr. *De Anima, q. un. a. 6. Obiect. et Resp. ad 9.um*

[3] *Idem, Summ. Theol. 1. p. q. 75. a. 5. ad 3.um*

361. *Prob. mai. quoad omnia asserta. Deus non dat esse, nisi per formam, tanquam per formalem causam.* « Dicendum quod esse naturale per creationem Deus facit in nobis nulla causa agente mediante, sed tamen mediante aliqua causa formali; forma enim naturalis principium est esse naturalis. Et similiter esse spirituale gratuitum Deus facit in nobis nullo agente mediante, sed tamen mediante aliqua forma creata, quae est gratia »[1]. Atque hoc ipsum in textibus ultimo laudatis satis clare aperteque continetur, ut non necesse sit alia in medium afferre testimonia. — *Forma omnis dat formaliter esse proportionatum, substantialis quidem esse simpliciter, accidentalis esse secundum quid.* « Quia forma, *inquit*, est principium essendi, necesse est quod, secundum quamlibet formam habitam, habens aliqualiter esse dicatur. Si ergo forma illa non sit praeter essentiam habentis, sed constituat eius essentiam; ex eo, quod habet talem formam, dicetur habens *esse simpliciter*, sicut homo ex hoc, quod habet animam rationalem. Si vero sit talis forma, quae sit extranea ab essentia habentis eam, secundum illam formam non dicetur esse simpliciter, sed *esse aliquid* (*verbum est a Boetio adhibitum, quod hic retinet S. Doctor, et cuius loco alibi usurpat dictionem:* SECUNDUM QUID), sicut secundum albedinem homo dicitur esse albus »[2]. Singula in illa maiori asserta alibi S. Doctor exhibet: « Sicut ex forma et materia, *inquit*, relinquitur esse substantiale, quando componitur; ita ex accidente et subiecto relinquitur esse accidentale, quando accidens subiecto advenit »[3]. De forma vero substantiali ait: « Ad hoc, quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur. Quorum unum est ut forma sit principium essendi substantialiter ei, cuius est forma: principium autem dico non effectivum, sed formale, *quo aliquid est et denominatur ens.* Unde sequitur aliud, scilicet quod forma et materia conveniant in uno esse, quod non contingit de principio effectivo cum eo cui dat esse; et hoc esse est in quo subsistit substantia composita, quae est una secundum esse ex materia et forma constans »[4]. De forma accidentali vero ait: « Accidentia, quia non subsistunt, non est eorum proprie esse; sed subiectum *est aliquale* secundum ea »[5]. Sed relege loca alia quae, cum doctrinam Angelici *Contra Gentes* et *De Incarnatione* discuteremus, allata sunt, ubi cavillationes adversariorum de forma dante *esse*, quia, complendo speciem, efficit ut quidditas sit τοῦ *esse* susceptiva, invenies dissolutas.

Deus dat esse per formam, tanquam per formalem causam. D. Thomas.

Forma omnis dat esse preportionatum. D. Thomas.

Rursum D. Thomas.

362. *Prob. idem ant.* IV. D. Thomas diserte docet essentiam actualem et *esse* in omni ente esse idem *re*, et differre *ratione*. Ergo ex eius doctrina essentia actualis et esse non distinguuntur distinctione formaliter reali. *Prob. ant.* S. Doctor, exponendo et

Prob. idem ant. IV. D. Thomas diserte docet in omni ente essentiam actualem et *esse* esse idem realiter, et differre ratione.

[1] *Idem, QQ. DD. De Veritate, q. 27. a. 1. ad 3.um*
[2] *Idem, Super Boetium De Hebdom. Lect. 2.*
[3] *Idem, De Ente et Essentia, c. 7.*
[4] *Idem Contra Gentes, lib. 2. c. 78.*
[5] *Idem, QQ. DD. De Veritate, q. 27. a. 1. ad 8.um*

Textus D. Thomae. adprobando Philosophi doctrinam, scribit: « Intendit (*Philosophus*) probare quod unum et ens cadunt sub eadem consideratione, et quod habent species sibi correspondentes. Quod manifestius probaretur, si unum et ens essent idem *re et ratione*, quam si sint *idem re* et *non ratione*. Quod autem sint idem *re*, probat duabus rationibus, quarum primam ponit ibi (*in textu sub lit. b.*): quae talis est. Quaecumque duo addita uni nullam diversitatem afferunt, sunt penitus idem. Sed unum et ens addita homini, vel cuicumque alii, nullam diversitatem afferunt. Ergo sunt penitus idem. Minor patet. Idem enim est dictu: *homo*, et *unus homo;* et similiter est idem dictu: *ens homo*, vel *quod est homo:* et non demonstratur aliquod alterum, cum secundum dictionem replicamus, dicendo: *est ens homo*, et *homo*, et *unus homo*. Quod quidem probat sic. Idem enim est generari et corrumpi *hominem*, et *id, quod est homo:* quod ex hoc patet, quia generatio est via ad esse, et corruptio mutatio ab esse ad non esse. Unde nunquam generatur *homo*, quin generetur *ens homo;* nec unquam corrumpitur *homo*, quin corrumpatur *ens homo*. Quae autem simul generantur et corrumpuntur, sunt unum. Et sicut dictum est quod *ens* et *homo* non separantur in generatione et corruptione, similiter apparet de *uno*. Nam, cum generatur *homo*, generatur *unus homo;* et cum corrumpitur, similiter corrumpitur. Unde manifestum est quod appositio in istis ostendit idem, et per hoc, quod additur vel *unum*, vel *ens*, non intelligitur addi aliqua natura supra hominem. Ex quo manifeste apparet quod unum non est aliud praeter ens; quia quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem. Patet autem ex praedicta ratione non solum quod *sunt unum re*, sed quod *differunt ratione*. Nam, si non differrent ratione, essent penitus synonyma, et sic nugatio esset, cum dicitur: *ens homo*, vel *unus homo*. Sciendum est enim quod hoc nomen: *Homo*, imponitur a quidditate, sive a natura hominis; et hoc nomen: *Res*, imponitur a quidditate tantum; hoc vero nomen: *Ens*, imponitur ab actu essendi; et hoc nomen: *Unum*, ab ordine vel indivisione; est enim unum ens indivisum. Idem autem est quod habet essentiam et quidditatem per illam essentiam, et quod est in se indivisum. Unde ista tria: *res*, *ens*, *unum*, significant *omnino idem*, sed *secundum diversas rationes*.

363. « Hic ponit secundam rationem ad idem, quae talis est. Quaecumque duo praedicantur de substantia alicuius rei per se, et non per accidens, illa sunt idem secundum rem. Sed ita se habent unum et ens, quod praedicantur per se, et non secundum accidens de substantia cuiuslibet rei; substantia enim cuiuslibet rei est unum per se, et non secundum accidens. Ens ergo et unum significant idem secundum rem. Quod autem ens et unum praedicentur de substantia cuiuslibet rei per se et non secundum accidens, sic potest probari. Si enim praedicarentur de substantia cuiuslibet rei per aliquod ens ei additum, de illo iterum necesse est praedicari ens; quia unumquodque est unum et ens. Aut ergo iterum de hoc praedicatur per se, aut per aliquid aliud ad

ditum. Si per aliquid aliud, iterum esset quaestio de illo addito, et sic erit procedere ad infinitum. Hoc autem est impossibile. Ergo necesse est stare in primo, scilicet quod substantia rei sit una et ens per seipsam, et non per aliquid additum. Sciendum est autem quod circa hoc Avicenna aliud sensit. Dixit enim quod unum et ens non significant substantiam rei, sed significant aliquid additum. Et de ente quidem hoc dicebat, *quia in qualibet re, quae habet esse ab alio, aliud est esse rei, et substantia sive essentia eius. Hoc autem nomen :* Ens, *significat ipsum esse. Significat igitur, ut videtur, aliquid additum essentiae.* De uno autem hoc dicebat, quia aestimabat quod illud unum, quod convertitur cum ente, sit idem quod illud unum, quod est principium numeri. Unum autem, quod est principium numeri, necesse est significare quandam naturam additam substantiae ; alioquin cum numerus ex unitatibus constituatur, non esset numerus species quantitatis, quae est accidens substantiae superadditum. Dicebat autem hoc, quod unum convertitur cum ente, non quia significat ipsam rei substantiam vel entis ; sed quia significat accidens, quod inhaeret omni enti, sicut risibile, quod convertitur cum homine. — *Sed in primo quidem non videtur dixisse recte. Esse enim rei, quamvis sit aliud ab eius essentia ; non tamen est intelligendum quod sit aliquod superadditum ad modum accidentis, sed quasi constituitur per principia essentiae. Et ideo hoc nomen :* Ens, *quod imponitur ab ipso esse, significat idem cum nomine, quod imponitur ab ipsa essentia.*— De uno autem non videtur esse verum..... »[1].

Avicenna.

A D. Thoma correptus.

364. In hoc loco S. Doctor loquitur de *Ente* participialiter sumpto, prout nempe ipsum esse exsistentiae includit, et quidem quatenus ipsam τοῦ *esse* realem rationem includit. *Docet* autem cum Philosopho, *probat, tuetur contra Avicennam* huiusmodi ens *re esse idem* cum sua essentia et *sola ratione distingui.* Maior est evidens. Loquuntur enim Philosophus et D. Thomas prout *ens* et *essentia* aliqua ratione differunt vel possunt differre. Ens autem nominaliter sumptum pro ipsa essentia non includente esse abs dubio ab essentia non differt. Itaque, in hac hypothesi, quaerere : *Utrum ens et essentia differant necne inter se*, idem esset ac quaerere : *Utrum essentia et eadem essentia, homo et homo differant necne inter se*, quod esset nugatorium. — Atque de ente participialiter sumpto sic loquuntur, ut de ipso loquantur, quatenus realem exsistentiam includit. Loquuntur enim prout secundum proprium conceptum *Ens* dicitur. Ens autem dicitur proprie, quatenus essentia includit esse : *Ens*, inquit, *imponitur ab actu essendi — Hoc nomen :* Ens *imponitur ab ipso esse.* — Praeterea de ente loquuntur, prout ens est terminus generationis, non ens corruptionis. Ens autem est terminus generationis, et non ens corruptionis, quatenus realem exsistentiam positive aut negative includunt. — Adde quod si non esset hic sermo de ente, quatenus realem exsistentiam includit, dici deberet sermonem hic esse de ente, quatenus significat essen-

Declaratur. Philosophus et D. Thomas loquuntur de ente participialiter sumpto, prout nimirum includit reale esse.

Probatur primo.

Secundo.

Tertio.

Confirmatur.

[1] D. Thomas, *In IV. Metaph. Lect. 2.*

tiam non *absolute*, sed aliquo modo *respective*, nimirum connotando respectum aliquem ad esse. Hoc autem dici nequit. Nam si de solo transcendentali respectu esset sermo, ad quid operosa demonstratio per processum in infinitum, si ens non diceretur per se de substantia cuiuscumque rei? Si enim ens non significat hic nisi essentiam, quae esse connotaret in obliquo, clarum omnino erat essentiam de seipsa per se et non per aliud aut per accidens dici.—

Confirmatur. Praeterea ea ratione accipitur ens, qua Avicenna negabat ens in creaturis significare substantiam rei. Negabat autem hoc in creaturis, quatenus ens includit ipsum esse, aut exsistentiam ab alio. Ergo.

Obiecto. 365. *Dices:* Philosophus, et D. Thomas loquuntur de essentia, ente et uno, prout cadunt sub considerationem metaphysicam, ut intelligitur non solum ex Opere Metaph., sed etiam ex prioribus D. Thomae verbis laudatis: « Intendit probare quod unum et ens cadunt sub eadem consideratione ». At reale esse non pertinet

Responsio. ad considerationem metaphysicam. Ergo. — Respondeo: *Conc. mai.* et *Dist. min.* Secundum sui rationem proximam. *Conc. min.* Secundum sui rationem ultimam, *Neg. min.* Reale esse, si non praescinditur ab individuis et ab omni materia tum sensibili, tum intelligibili, certissime non pertinet ad metaphysicam; secus vero si ab his omnibus fiat praecisio. Quando autem quaeritur: Utrum ens, prout ipsum esse reale includit, distinguatur necne ab essentia aut substantia rei; quaestio movetur secundum intelligibilem rationem abstractissimam, et consequenter est strictissime metaphysica; quamvis illa intelligibilis ratio in particularibus realibus entibus realiter subinde inveniatur.

Philosophus et D. Thomas *docent* ens, sensu declarato, et essentiam esse *re* idem, et ratione differre. 366. *Prob. min.* Philosophum D. Thomas exponendo ait: « Intendit probare quod unum et ens cadunt sub eadem consideratione, et quod habent species sibi correspondentes. Quod manifestius probaretur, si unum et ens essent idem *re* et *ratione* (*in hac enim hypothesi omnino caderent sub eandem considerationem, uti evidens est*).

Primo. Quod autem sint *idem re* probat duabus rationibus ».

Secundo. Rursum: « Patet autem ex praedicta ratione non solum quod sunt *unum re*, sed quod *differunt ratione*..... Sciendum est enim quod hoc nomen: *Homo*, imponitur a quidditate sive a natura hominis; et hoc nomen: *Res* imponitur a quidditate tantum; hoc vero nomen: *Ens*, imponitur ab actu essendi; et hoc nomen: *Unum*, ab ordine vel indivisione; est enim unum ens indivisum. *Idem* autem est quod habet essentiam et quidditatem per illam essentiam (*nimirum exsistens*), et quod est in se indivisum. Unde ista tria

Tertio. *res*, *ens unum* significant *omnino idem*, *sed secundum diversas rationes* ». Praeterea: « Ergo necesse est stare in primo, scilicet quod

Quarto. substantia rei est una et ens *per seipsam*, *et non per aliquid additum* ». Quapropter cum tuitus fuerit ens et unum *per se* substantiae rei convenire, subdit: « Unum enim, quod cum ente convertitur, ipsum ens designat, superaddens indivisionis rationem: quae, cum sit negatio vel privatio, non ponit aliquam naturam enti additam, et sic *in nullo differt ab ente secundum rem*, *sed solum*

ratione. Nam negatio vel privatio non est ens naturae, sed rationis, sicut dictum est »[1]. Philosophus ergo et D. Thomas DOCENT τὸ *esse* exsistentiae in realibus entibus *re esse* idem cum essentia, quamvis *ratione* ab ipsa differat.

Philosophus et D. Thomas PROBANT assertum ratione prima.

367. Probandum est unum et ens, seu exsistens, *re idem esse* et *differre ratione*. Quae conceptu differunt, et re sunt eadem uni tertio, sunt re idem inter se, et differunt ratione. Unum et ens seu exsistens conceptu differunt, et re sunt eadem uni tertio, nimirum actuali essentiae, quod patet ex hoc, quod unum et ens seu exsistens addita homini nullam faciunt realem diversitatem, siquidem idem re est *homo*, et *unus homo*, et *ens homo*, ut ex hominis generatione et corruptione intelligitur; eo ipso enim quod generatur aut corrumpitur realis *homo*, generatur aut corrumpitur *unus homo*, et *ens aut exsistens homo*. Ergo. — Ex vi autem huius rationis realis identitas simpliciter asseritur et demonstratur inter realem hominem significantem, ex vi conceptus, realem essentiam, et unum hominem significantem, ex vi conceptus, eandem realem essentiam, ut indivisam, et ens hominem significantem, ex vi conceptus, eandem essentiam, ut habentem esse aut exsistentem. Ergo ex Philosopho et D. Thoma actualis essentia hominis eiusque exsistentia, etsi *ratione* differunt, non differunt *re*. — Atque idem patet ex secunda ratione, quae sic habet. Quae conceptu differunt et, hoc non obstante, praedicantur de eodem tertio *per se*, et non *per accidens*, ea sunt *re* idem, quamvis differant ratione. Unum et ens, conceptu differunt, et tamen praedicantur de reali aut actuali essentia *per se*, et non *per accidens*. Ergo sunt unum *re*, et differunt ratione. *Minor* patet. Si enim praedicarentur non *per se*, sed *per accidens*, nimirum per aliquid realiter distinctum essentiaeque additum, cum hoc aliud necessario esset ens et unum, de ipso quaereretur: Utrum per se et non per aliud esset ens et unum. Si per se; ergo etiam ipsa actualis quidditas est per se ens et una, et per se τὸ *esse* et *unitas* praedicabitur. Si per aliud, redibit quaestio in infinitum, quo non licet abire. In hac demonstratione maior est omnino evidens. Sive enim *per se* illa dicatur praedicatio, in qua *praedicatum est de ratione subiecti;* sive illa, in qua *subiectum est de ratione praedicati;* sive illa, in qua *praedicatum est propria subiecti passio;* sive illa, in qua *praedicatum est proprietas subiecti metaphysica;* semper praedicatio *per se* praesefert identitatem realem, et excludit realem distinctionem. Subdit autem Philosophus et cum ipso Aquinas: Ens et unum de actuali quidditate praedicantur per se. Quo sensu? Non certe quatenus τὸ *esse* et *indivisio* sint de ratione essentiae actualis, qua essentiae. Constat enim ex utriusque doctrina in creatis rebus τὸ *esse* non essentialiter, sed participative ab alio ipsis competere; unum vero esse entis quidditatisque omnis passionem. Itaque si per se praedicantur, sic praedicantur, quatenus vel quidditas actualis est de ratione entis et unius, ac proinde τοῦ *esse* et *unitatis;* vel qua-

Probant ratione altera.

Quatuor modi praedicandi *per se*.

Quo sensu ens et unum praedicantur *per se* de actuali essentia.
Certe non in primo modo praedicandi per se.

[1] *Idem, Ibidem, loc. laud.*

tenus haec sunt vel propria passio, vel proprietas metaphysica essentiae actualis. Ex tota autem D. Thomae doctrina, quam in superioribus declaravimus, qua ipsemet nos docuit τὸ *esse* formam consequi, uti rotunditas circulum; et ex iis, quae alibi dixit et mox repetet de risibilitate, omnino sequitur τὸ *esse* et *unitatem* praedicari *per se* de essentia actuali vel quatenus haec est de *illorum ratione*, vel quatenus illa sunt huius *propria passio*. Atque ex his intelligitur Philosophum et D. Thomam non negare quod τὸ *esse* et *unitas* praedicentur *per accidens* de essentia actuali, quatenus per accidens dicitur quidquid non est de ratione quidditatis, qua talis; oppositum enim nos saepe in superioribus docuerunt, et: *Sortes est*, propositionem dixerunt de accidentali praedicato; sed negare quod τὸ *esse* et *unitas* sint reale quid realiter ab essentia actuali distinctum, ipsique advenire ad modum accidentis physici sive communis, sive proprii. In qua ultima hypothesi omnino tradit Aquinas locum habiturum processum in infinitum: quo argumento vel non agnovit, vel etiam implicite reiecit, saltem modo quo nos reiecimus, responsionem adversariorum de ipso *esse*, utpote formali causa, per se et non per aliud exsistente. Itaque Aquinas hic cum Philosopho doctrinam PROBAT in omnibus suis partibus e diametro oppositam doctrinae, quam ipsi appingunt nostri adversarii.

Sed in aliis vel in aliquo aliorum.

Quo sensu non praedicantur *per accidens*.

Processus in infinitum a Philosopho et Aquinate adversariis obiectus.

Philosophus et D. Thomas doctrinam tradunt e diametro doctrinae adversariorum oppositam.

368. TUETUR demum Aquinas pro Philosopho τὸ *esse* et *unitatem re* idem esse cum substantia rei contra Avicennam, atque porro contra adversarios nostros qui, quoad *esse* quamvis non quoad unitatem, doctrinam propugnant ipsius Avicennae. Quid dicebat Avicenna? « Dixit enim (*Avicenna*) quod unum et ens non significant substantiam rei, sed significant aliquid additum. Et de ente quidem hoc dicebat, quia *in qualibet re, quae habet esse ab alio, aliud est esse rei, et substantia sive essentia eius.* Hoc autem nomen: *Ens, significat ipsum esse.* Significat igitur, ut videtur, aliquid additum essentiae ». Nonne hoc ipsum repetunt adversarii, quando aiunt τὸ *esse* esse entitatulam aut actualitatem realiter distinctam ab essentia, ipsique superadditam? In superioribus legimus id pluries in Caietano, qui sua entitatula superaddita et extrinsecus adveniente pervertit D. Thomae doctrinam in *De Ente et Essentia*, ut tandem dicat D. Thomae argumentum non probare et esse *modificandum*. Repetunt omnes, quotquot Caietanum Magistrum sequuntur. Atque nonne ex eo dicunt: *Quia in qualibet re, quae habet esse ab alio, aliud est esse rei, et substantia sive essentia eius?* Vocabunt τὸ *esse* id *quo, actum, actualitatem, ultimam actualitatem, ipsam suppositalitalem.* Si quod hisce nominibus significatur, est entitatula realiter ab essentia distincta, erit aliquid reale additum essentiae, et non idem *re* cum essentia, secundum Avicennam quidem, sed contra Philosophum et D. Thomam. Sed audiant nunc quid Avicennae, atque porro ipsis etiam Aquinas dicit: « Sed in primo (*in ente nimirum*) non videtur *dixisse recte.* Esse enim rei, quamvis sit aliud ab eius essentia; non tamen est intelligendum quod sit aliquod superadditum ad modum acci-

Contra Avicennam TUETUR Aquinas doctrinam traditam.

Adversarii, *quoad esse*, doctrinam propugnant Avicennae. Probatur.

Adversarii in Avicenna a D. Thoma reiecti.

dentis, sed quasi constituitur per principia essentia. Et ideo hoc nomen : *Ens*, quod imponitur ab ipso *esse*, significat idem (*re plane*) cum nomine, quod imponitur ab ipsa essentia ». Ergo, ex D. Thoma, adversarii cum Avicenna *non recte dicunt*. Quare ? Quia τὸ *esse*, quamvis sit *aliud* ab eius essentia, nimirum sit *alia ratio* ab essentia ; est tamen eadem *res* cum ipsa essentia, quia constituitur ipsis essentiae principiis, seu est ipsa essentia, quatenus realis est. Hunc esse sensum verborum D. Thomae est omnino evidens. Vult enim TUERI quod probavit, *esse* et *essentiam* esse *idem re*, et *differre ratione ;* vult hoc TUERI contra Avicennam dicentem τὸ *esse* in ente ab alio esse aliquid realiter ab essentia distinctum ipsique additum. D. Thomas oggerit : Est aliud quidem *ratione distinctum*, seu est *alia ratio ;* sed est *idem realiter* cum essentia, quia τὸ *esse* realiter constituitur ipsis principiis essentiae, atque adeo est id, quod ex illis principiis resultat : resultat autem ex principiis essentiae ipsa realis essentia. Nonne hanc doctrinam ubique in D. Thoma invenimus ? Nonne hoc est, quod modo dicebat : τὸ *esse* praedicari *per se* de essentia, nimirum quia ipsa essentia est de ratione τοῦ *esse*, quamvis τὸ *esse* non sit de ratione essentiae ? Quod vero ait : *Non est intelligendum quod* (τὸ ESSE) *sit aliquod superadditum ad modum accidentis ;* non dicit quasi excludendo illam *solam alietatem realem*, quae competit accidenti proprie dicto, sed asserendo *alietatem realem*, quae competit *actualitati*, nescio cui. Hoc enim esset negare, quod probavit, et sibi ipsi in defensione contradicere. Probavit enim et vult defendere *esse* et essentiam esse *idem re*, quamvis differant ratione. Si autem diceret : Sunt *re aliud et aliud*, quamvis non ut proprium accidens est re aliud a subiecto ; nonne negaret quod ASSERUIT, PROBAVIT, vult TUERI ? Sensus proinde est : Si τὸ *esse* est aliud ab essentia, non est *aliud realiter distinctum* ab ipsa eo modo, quo accidens proprie dictum realiter distinguitur a subiecto ; sed est *alia ratio*, quae a principiis essentiae intelligitur resultare, atque adeo est *re idem* cum essentia, sed differt ratione. D. Thomas ergo, hoc loco, diserte et data opera DOCET, PROBAT, TUETUR doctrinam, quam nos in ipso agnoscimus et, Avicennam reiiciendo, nostros reiicit adversarios.

Occurritur difficultati.

D. Thomas, hoc loco, diserte et data opera DOCET, PROBAT, TUETUR contra adversarios doctrinam, quam nos in ipso agnoscimus.

369. Sed P. Remer his non acquiescit. Scribit enim : « S. Thomas in *IV. Met. Lect. 2.* scribit : « Ista tria, res, ens, unum, significant omnino idem, sed secundum diversas rationes ». Et paullo post, praemisso hoc certissimo, quod : « quaecumque duo praedicantur de substantia alicuius rei per se et non per accidens, illa sunt idem secundum rem », ostendit ens et unum praedicari de re seu de substantia per se et non per accidens hoc modo : « Si enim praedicarentur de substantia cuiuslibet rei per aliquod ens ei additum, de illo iterum necesse est praedicari ens ; quia unumquodque est *unum* et *ens*. Aut ergo iterum de hoc praedicaretur per se, aut per aliquid aliud additum. Si per aliquid aliud, iterum esset quaestio de illo addito, et sic erit procedere usque ad infinitum. Hoc autem est impossibile. Ergo necesse

Non acquiescit P. Remer, et suo modo D. Thomam interpretatur.

Declaratio P. Remer.

est stare in primo, scilicet quod substantia rei sit una et ens per seipsam, et non per aliquid aliud ». Respondeo : haec vel mediocriter in S. Thomae operibus versatis nullam ingerunt vel umbram difficultatis. Si enim *res* significat *quidditatem tantum*, *ens quidditatem ipsam sed cum ordine ad esse*, et *unum eandem quidditatem ut indivisam ;* palam est quod significant omnino idem, h. e. *eandem quidditatem ;* et quod ratio sit diversa ; nam in secundo connotatur *esse*, et in tertio *indivisio;* secus ac accidit in primo. Sed inde non est consequens quidditatem, quae dicitur ab actu essendi, identificari cum suo actu. Pariter si ens dicit quidditatem cum ordine ad esse, seu dicit *id, cuius actus est esse*, recte dicitur praedicari per se et non per accidens de re, et proinde non esse aliud a re, et rem esse ens per seipsam. Urgent hic nonnulli quod ibidem S. Doctor dicat Avicennam non recte affirmasse *ens* significare non substantiam, *sed aliquid additum essentiae.* Sed quaenam est ratio S. Doctoris ? Identitas essentiae et esse, ut adversarii contendunt ? Minime gentium. « *Esse enim*, inquit, *quamvis sit aliud ab essentia*, non tamen est intelligendum *quod sit aliquid superadditum ad modum accidentis*, sed *quasi* constituitur per principia essentiae ». Improbat scilicet Avicennam intelligentem *esse* ad modum accidentis supervenire essentiae. Est utique *aliud* ab essentia, et proinde advenit essentiae ; sed non advenit essentiae, ut accidens subiecto ; sed ut id, quod essentiam ipsam actuat in ratione substantiae seu entis subsistentis. Dicit autem esse per principia essentiae constitui, quia esse, utpote actus, individuatur et multiplicatur per essentiam, ut per potentiam ; et si essentia seu potentia est substantia, actus seu esse illi respondens, debet esse in linea substantiae. Addit autem *quasi*, quia *esse formaliter* non constituitur per principia essentiae » [1].

370. Expositio haec acuta quidem est, sed revera sophistica. Et ab initio plane videretur prorsus *ignorare elenchum.* Cum Philosophus et D. Thomas asserant, probent, tueantur *ens*, ratione ipsius *esse*, reale nihil addere actuali quidditati, atque porro *ens* et quidditatem, non excluso sed incluso ipso *esse*, *re esse idem*, quamvis differant ratione ; ipsa insistit in sola nominum significatione, quae a D. Thoma affertur ad declarandam *rationis* differentiam. Sed ex hoc ipso patet sophisma, quod adhibet, esse proprie sophisma *accidentis.* Et in eodem accidentis sophismate prosequitur, dum ait : *Pariter si ens dicit quidditatem in ordine ad esse* etc. Non de impositione aut verbali significatione nominis sermo est in D. Thoma, sed de obiectiva ratione entis, prout ipsum esse includit ; et de obiectiva *hac* ratione dicitur, quod *re* non differt ab actuali quidditate, ab homine v. g. generato. — In responsione vero ad ea, quae ex dictis contra Avicennam derivantur, relicto quod *per se est et intenditur*, nimirum *ratione ipsius esse* in creato ente non addi quidditati reale quid realiterque distinctum, sed aliquid solummodo ratione distinctum, convertit se

Declaratur in singulis, quae subiicit.

[1] Remer, *Metaph. Generalis, q. 1. § 3. n. 54. 14.°*

ad accidentia. Notat *aliud*, quod falsissime putat aut non significare in D. Thoma, nisi *aliud realiter distinctum*, aut hic saltem nonnisi hoc significare. Considerat dictum : *ad modum accidentis*, quod hic a S. Doctore non ad excludendam rationem solam accidentis, qua talis, inducitur, sed ad excludendum *esse* realiter distinctum, ut in probatione declaratum est. Tum D. Thomas dicit τὸ *esse quasi constituitur per principia essentiae ;* ipsa vero : *esse*, *utpote actus, individuatur et multiplicatur per essentiam, ut per potentiam.* Numquidne haec sunt eadem ? Anima humana individuatur et multiplicatur per ordinem ad corpus ex D. Thoma, non tamen per corpus constituitur. Addit demum *quasi*, non quia esse formaliter non constituitur per principia essentiae, in qua explicatione dixisset simul — *constituitur et non constituitur* — ; sed quia constitutio τοῦ *esse* per principia essentiae non est constitutio stricte dicta, quae dat *rem*, sed est constitutio late dicta, quae nimirum dat *solam rationem*, uti exigit tota doctrina a D. Thoma hic et alibi, uti vidimus, constanter tradita.

371. *Prob. idem ant. V.* — Quandoquidem distinctionem aliquam inter actualem essentiam et *esse* creatorum entium D. Thomas agnoscit, et cum ipso, qui recte sentiunt, agnoscunt omnes ; quae vero aliquo modo distinguuntur, si ad unitatem redigantur, proportionatam inferunt compositionem ; ex compositione, quam ex essentia et *esse* in creatis entibus S. Doctor docet resultare, legitime intelligemus quaenam de componentium distinctione eius mens fuerit. Quaerimus : Quaenam ex ipso sit in creato ente compositio ex essentia et esse ? Estne formaliter realis, an vero rationis cum fundamento in re, seu fundamentaliter realis ? Omittimus distinctionem rationis ratiocinantis, quae certissime procul est a mente D. Thomae et, nostra de sententia ut demonstravimus, a veritate. Quaerit S. Doctor : « *Utrum Angelus componatur ex essentia et esse.* Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod Angelus substantialiter non componatur ex essentia et esse. Essentia enim Angeli est ipse Angelus ; quia quidditas simplicis est ipsum simplex. Si ergo Angelus componeretur ex essentia et esse, componeretur ex seipso et alio. Hoc autem est inconveniens. Non ergo substantialiter componitur ex essentia et esse »[1]. In corpore vero docet τὸ *esse* soli Deo competere *essentialiter*, aliis vero *participative;* non tamen ita, ut sit *de substantia participantis ;* sed *participatur sicut aliquid non exsistens de essentia rei*, atque porro ut sit *accidens.* Quare concludit : « Si ergo in Angelo est compositio ex essentia et esse ; non tamen est compositio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo, quod adhaeret substantiae » : quae saepe multumque fuerunt in superioribus declarata. « Ad primum ergo, *subdit*, dicendum quod aliquando ex his, quae simul iunguntur, relinquitur aliqua res tertia (*ab iis plane, quae iunguntur*), sicuti ex anima et corpore constituitur humanitas, quae est homo; unde homo componitur ex anima et corpore. Aliquando autem

Prob. idem ant. V.

Quaenam ex D. Thoma sit in creato ente compositio ex essentia actuali et esse ?

Locus D. Thomae.

[1] D. Thomas, *Quodlibeto 2. q. 2. a. 3.*

ex his, quae simul iunguntur, non resultat res tertia, *sed resultat quaedam ratio composita;* sicut ratio hominis albi resolvitur in rationem hominis et in rationem albi: et in talibus aliquid componitur ex seipso et alio, sicut album componitur ex eo, quod est album et ex albedine ». Iuxta D. Thomam ergo ex essentia et esse Angeli, atque adeo cuiuscumque creati entis, resultat quaedam ratio composita, nimirum: *Ens*, quod ope rationis tanquam compositum ex essentia et esse exhibetur; ut enim vidimus in praenotandis, *rei ratio* proprie praesefert obiectum, prout est ratione cognoscibile aut cogitabile. Ratio autem composita innuit compositionem non realem, sed rationis cum fundamento in re. Ergo, iuxta D. Thomam, compositio ex essentia et esse est compositio non realis, sed rationis cum fundamento in re. *Minor* patet. Nam compositio, uti omnis motus aut actio, iuxta notam D. Thomae doctrinam et veritatem, specificatur a termino. Ubi ergo terminus, uti in praesenti, est opus rationis, ipsa compositio est opus vel compositio rationis. Iam vero si compositio ex essentia et esse est compositio rationis cum fundamento in re; distinctio, quae necessario requiritur in componentibus, est etiam distinctio rationis cum fundamento in re; quae enim realiter, seu independenter ab ope rationis distinguntur, et independenter ab ope rationis, ut hic fit, inveniuntur coniuncta, ea non rationis cum fundamento in re, sed realem prorsus dant compositionem, seu dant *rem compositam*, non *compositam rationem*, secus ac Angelicus hoc loco docet.

Illatio.

Obiectio.

372. *Dices:* Haec vera essent, si D. Thomas *ens* aut *exsistens* acciperet *reduplicative*, qua ens aut exsistens; non autem *specificative*, seu qua natura aut essentia, quae habet esse. At non accipit reduplicative, sed specificative; uti constat ex exemplo, quo utitur, ex toto contextu, et ex locis parallelis. Nam, ex exemplo, illa est compositio ex essentia et esse, quae est compositio albi cum albedine. Haec autem est compositio albi specificative sumpti, seu hominis albi, quae resolvitur in rationem hominis, et in rationem albi. Ratio autem illa dicitur non esse *res composita*, sed esse *ratio composita*, quia non est *res subsistens*, sed res non subsistens, quamvis realiter composita, cum resultet ex homine, *qui albus est*, et ex albedine realiter distincta, *qua albus est*. Quare suppositum, quod album est, remanens suppositum subsistens, fit album ratione albedinis realiter distinctae. — In contextu vero τὸ *esse* dicitur esse *aliud* ab ipsa creatura, quae habet esse; et dicitur esse *accidens* ipsius; et compositio ex essentia et esse dicitur esse compositio, *sicut ex substantia et eo, quod adhaeret substantiae.* — Atque ubique eandem doctrinam tradit Angelicus. Itaque legimus: « Subtracta materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet compositio formae ad ipsum esse, ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in Angelis: et hoc est quod a quibusdam dicitur, quod Angelus est compositus *ex quo est* et *quod est*, vel *ex esse* et *quod est*, ut Boetius dicit. Nam *quod est* est ipsa forma subsistens; ipsum

Firmatur 1.° exemplo:

2.° contextu.

3.° locis parallelis.

autem *esse* est *quo substantia est;* sicut cursus est quo currens currit »[1].

373. *Respondeo 1.° generatim:* Quaecumque demum sit compositio ex essentia et esse, id absolute ex D. Thoma stet necesse est, ut ex ipsa non habeatur *res composita*, sed solum *ratio composita. Ratio* autem *rei*, apud D. Thomam et apud alios Doctores, uti in *Sectione I* demonstravimus et plenius adhuc potest intelligi ex *Tabula aurea* operum Doctoris Angelici, significat quidditatem rei intelligibilem aut rei intelligibilitatem, nimirum rei conceptum, quo abstracta quadam ratione ipsa rei quidditas exhibetur. Quae ratio *simplex* est, si una quasi absolvitur nota, uti *rationale; composita* vero, si notis pluribus constet, uti *homo*, qui est *animal rationale*. Fit hinc, ut ratio composita ad metaphysicum ordinem ex sese pertineat, et componentia metaphysica metaphysicumque compositum ex sese innuat. Dum ergo a D. Thoma dicitur ex essentia et esse resultare *ratio composita;* dicitur haberi compositio non *physica* et rerum, sed *metaphysica* et conceptuum, quae cum reali identitate, aut physica rei unitate optime potest haberi, ut notum est. Quandoquidem vero Angelicus a termino huius compositionis *formaliter explicite* rem compositam excludit, quae distinctionem conceptuum in distinctis rebus realibus fundatam requireret; evidens est rationem illam compositam, qua de loquitur, nonnisi compositionem metaphysicarum rationum simplicium praeseferre, quae unius eiusdemque realis rei conceptus sint varii, in unitatemque redacti. Eiusmodi autem compositio distinctionem componentium supponit *fundamentaliter realem*, non *formaliter realem*, ut ad satietatem in superioribus ostensum est. Ceterum mira est notio *rationis compositae*, quam ignotus mihi adversarius in obiectione exhibet, quasi vero reale ens per accidens, *album*, *quantum* et huiusmodi, non esset vera res, sed sola ratio composita!

Responsio 1.ª generalis.

Ratio composita metaphysicum quid, non physicum.

374. *Respondeo 2.° speciatim:* Ad argumentum, *Neg. mai.* et, transmissa minori, *Neg. consequentiam*. Sive enim D. Thomas *ens* aut *exsistens* accipiat reduplicative, sive accipiat specificative, ut Angelus dicatur componi *ex essentia et esse*, tanquam *ex seipso et alio*, in essentia ratio τοῦ *esse* debet necessario contineri. Neque enim essentia, si *esse* careat, esset *ipsum simplex* aut Angelus; uti humanitas, si abstracte acciperetur careretque *esse*, non esset homo, sed esset id, quo homo est homo. Iam si essentia, quae componit cum *esse*, includit ipsum *esse*, unum ex componentibus sibi realiter vindicat totam rationem compositam. Hoc autem dato, aliud componens nonnisi ope rationis distinguitur, et rationis ope componitur. Hoc autem pacto, uti ipsos in metaphysicis novitios non latet, distinctio et compositio habetur metaphysica, non habetur physica aut realis. Atque ex dictis intelligitur, quare minor fuerit *transmissa*. Eodem enim in praesenti recidit consideratio reduplicativa aut specificativa, cum utraque necessario in subiecto

Responsio 2.ª specialis.

Praedicationis specificativae et reduplicativae propria ratio.

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 50. a. 2. ad 3.um* — Cfr. *q. 75. a. 5. ad 4.um*, *et q. 88. a. 2. ad 4.um* etc.

praedicationis formam per praedicatum significatam requirat, quamvis non eodem modo. Haec praedicatio: *Realis essentia est ratio composita ex essentia et esse*, est usque adeo vera, si accipiatur specificative, ut sensus sit: *Essentia, quae realis est aut esse habet, est ratio composita ex essentia et esse*, ac si accipiatur reduplicative: *Essentia, quatenus realis est aut esse habet, est ratio composita.* In hac enim altera praedicatione id solum prae priori intelligitur, quod ratio, quare realis est, sit *ipsum esse.* Fatendum tamen D. Thomam *reduplicative* hic esse intelligendum, cum propriam rationem, quare dicat Angelum esse compositum ex essentia et esse, tanquam *ex seipso et alio*, ex ipso *esse*, quod est praeter rationem essentiae, evidenter derivet.

Responsio ad 1.am confirmationem.

375. *Ad probationem ab exemplo* desumptam negatur, ex dictis, album accipi specificative, et non reduplicative. Quod si concedamus accipi specificative, compositio, quae asseritur, non est compositio suppositi v. g. hominis et albedinis; secus enim esset realis compositio subiecti et accidentis, de qua heic nullo modo sermo est. Revera heic sermo est de compositione *albi* ex seipso et alio: *Sicut album componitur ex eo, quod est album et ex albedine.* Homo enim et albedo duae res sunt, quarum neutra alteram includit. Neutra ergo est *album*, quod utramque requirit. Non igitur homo cum albedine, sed homo albus cum albedine componitur, quae in re non dant *nisi hominem album*, aut *album* neutraliter; quamvis conceptu praecisivo metaphysico concipiantur tanquam id, *quod est album*, et id, *quo est album*, et sic dicantur compositionem facere, et conceptum aut rationem compositam exhibere.

Compositio subiecti et accidentis non est ratio composita.

Responsio ad 2.am confirmationem.

376. *Ad contextum* dicimus: Utique τὸ *esse* dicitur *aliud* ab essentia. Sed, uti infinities probatum est, *aliud* in D. Thoma non significat necessario *realiter distinctum*, sed vel *realiter*, vel *ratione distinctum* pro diversitate locorum. Hic autem, ex omnibus dictis, nonnisi ratione distinctum potest significare. — *Esse* vero *accidens* dicitur, quia: *Cum omne, quod est praeter essentiam rei, dicatur accidens;* ESSE, *quod pertinet ad quaestionem:* AN EST, *est* ACCIDENS, nimirum metaphysicum aut logicum, uti alias declaratum est. Quapropter subdit S. Doctor: *Ista propositio:* SOCRATES EST, *est de accidentali praedicato, secundum quod importat* ENTITATEM REI, *vel veritatem propositionis.* Entitas ergo rei seu realis essentia significatur per hoc, quod dicitur: EST; et *realis essentia* et *est* seu *ens* sunt realiter identica, quamvis differant conceptu. — Cum autem hoc pacto τὸ *esse* accidens dicatur, subinde dicitur compositio *ex essentia et esse* esse: *Sicut ex substantia et eo, quod adhaeret substantiae:* in quo non habetur nisi comparatio aliqua ad modum exempli. Haec autem in eo stat quod, sicut quod adhaeret substantiae, ipsi accidit quasi ab extrinseco adveniens; sic τὸ *esse*, quod a Deo advenit essentiae creatae, ipsi accidit et quodammodo adhaeret. Sed de his vide dicta in superioribus.

Realis essentia ipsum *esse*.

Quod adhaeret substantiae, accidit quasi extrinsecus adveniens.

Responsio ad 3.am confirmationem.

377. *Ad loca vero parallela* non est quare pluribus respondeamus. Iam illa sunt centies in tota disquisitione declarata, pro-

batumque est modis omnibus *quod est* et *esse* intentiones esse et compositionem facere metaphysicam. Quod ipsum in loco obiecto et similibus satis significatur. *In forma subsistente non in materia adhuc*, inquit, *remanet compositio formae ad ipsum esse, ut potentiae ad actum.* Assimilatio igitur quaedam est compositionis, seu intelligibilis aut intellecta compositio, non compositio physica aut realis. — Item : QUOD EST *est ipsa* FORMA SUBSISTENS ; *ipsum autem* ESSE *est* QUO *substantia est, sicut cursus est quo currens currit.* Forma autem subsistens ipsum esse realiter includit. Hoc tamen non obstante, τὸ *esse* consideratur ut *quo est ;* uti currens, quod realiter non est sine cursu, consideratur cursu, *ut quo*, currens. Ex quibus intelligitur τὸ *esse et cursum* formales rationes esse, quare essentia realis dicatur *ens*, et currens dicatur *currens ;* et consequenter *ens* et *currens* non *specificative*, stricte loquendo, sed *reduplicative*, qua ens et qua currens a D. Thoma considerari.

Epilogus rerum dictarum, et generalis conclusio.

378. Atque dicta huc usque, pro gravissima licet et difficillima quaestione, videntur posse sufficere. Constat enim ex omnibus dictis D. Thomam nunquam et nusquam docuisse inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque distinctionem formaliter realem intercedere ; sed docuisse solum intercedere distinctionem fundamentaliter realem : omnimodis evidens est non probari evidenter distinctionem illam formaliter realem tradidisse ; nisi si potius evidens dicendum sit non tradidisse. Pro hac autem quaestione utiliter legi possunt P. Urráburu [1], P. Limbourg [2], P. Felchlin [3], P. Noldin [4], P. Frick [5] : qui omnes etiamsi non omnia afferant, quae ad revincendam mentem contentiose agentem sunt necessaria; ea tamen afferunt, quae pro mente bene disposita satis esse possunt superque.

Laudantur Auctores, qui utiliter in hac quaestione possunt legi.

Probatur 3.ª pars thesis

« Sequitur ex dictis eos, qui distinctionem formaliter realem negant, non D. Thomam, sed quorundam, plurium etiam si lubet, Thomistarum sensum unice impugnare; atque adeo iniuria prorsus ceu a D. Thoma et eius schola extorres traduci.

Mirum phaenomenon.

379. Mirabitur fortasse quispiam, cum in D. Thoma nihil sit prorsus, quod clare et evidenter aut tradat aut exigat inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque distinctionem formaliter realem ; plura sint, contra, quae distinctionem illam aut non patiantur, aut etiam respuant : mirabitur, inquam, qui fieri potuerit, ut opinio illa, prae opposita, S. Doctori fuerit adscripta, et per sex integra saecula sin minus ab omnibus, a pluribus omnino ingenio et scientia praestantibus viris in eius operibus sic fuerit

[1] Urráburu, *Ontologia, Disp. 4. c. 1.*
[2] Limbourg, *De Distinctione Essentiae ab exsistentia Theses quatuor.*
[3] Felchlin, *Zeitschrift für Kathol. Theol. XIV. 82. 428.*
[4] Noldin, *Zeitschrift für Kathol. Theol. XIV. 154. s. qq.*
[5] Frick, *Ontologia, lib. 1. c. 2. § 2.*

perlecta, ut absque ulla haesitatione opinio illa certissima Angelici mens esse diceretur. Quam admirationem ut disiiciamus, explicemusque factum illam ingenerans, ac suus veritati locus constituatur, praestat rem totam ab origine repetere, eiusque vices per temporum successiones historicis declarare documentis factisque.

Quid praestandum, ut intelligatur.

Quaestio nostra maiori parte saec. XIII. non directe agitata.

380. Principio quidem ex historia philosophiae maioris partis saeculi XIII. ceu ratum haberi debet quaestionem nostram, in terminis et secundum totam communitatem metaphysicam, secundum quam nunc agitatur, non fuisse in scholis et apud Doctores directe pertractatam. Controversia *de universalibus* et de *pantheismo* ac, postquam Aristotelis Opera *De naturalibus* fuerunt castigata atque in studiosorum utilitatem ab Ecclesia permissa, inquisitiones *de mundo*, *de anima* et similibus, magnam partem, Doctorum animos occuparunt. Refellebantur veterum Philosophorum errores; res fidei ac verae philosophiae pedetentim constituebantur; aliarum plurium quaestionum spargebantur semina [1]: de hac nostra, uti mox ex Aegidio ediscemus, nondum directa habebatur inquisitio. S. ipse Doctor noster, uti ex huc usque dictis videre est, si Lectionem secundam *in IV. Metaph.* excipias, in qua Aristotelem exponendo nostram directe videtur tangere quaestionem; alibi semper ex aliis arrepta occasione, ac praesertim ex divinis perfectionibus et ex creatarum substantiarum intellectualium nobilitate, quam a divina infinite distare volebat ostendere, de distinctione inter essentiam et esse creati entis repetitis vicibus ingerit mentionem, quin eam omni ex parte verset alicubi, definitamque in ea proferat sententiam.

Quid S. Doctor noster.

Quid ipsi Albertus M. tradiderat.

381. Eundem modum tenuerat Albertus M. in libro *de causis*, eandemque loquendi rationem Doctori nostro tradiderat. Inquirit de primo rerum principio ac, Epicureorum, Stoicorum et Avicebron confutatis erroribus, doctrinam Aristotelicam et veritatis proponit tueturque. Dum id praestat, inter alia, scribit: « Perfectissimum ergo est primum omnium ratione prioritatis. Et ex hoc sequitur quod non habeat esse nisi a seipso, et quod esse eius non pendeat ex alio. Ex hoc concluditur quod sibi soli esse suum substantiale est et essentiale. Omne enim, quod ex alio est, aliud habet *esse* et *hoc*, *quod est;* quod enim animal sit animal, vel homo sit homo, quod est pro certo, non habet ex alio; hoc enim aequaliter est, *hoc exsistente et non exsistente secundum actum. Quod autem esse habeat in effectu;* ex se non est sibi, sed potius ex primo esse, ex quo fluit omne esse, quod est in effectu. Hoc ergo, quod est, *ab alio habet esse*, et *illud quod est*, et sic esse hoc modo accidit ei..... In primo autem principio sic esse non potest, eo quod nihil est ante ipsum privative, vel potentialiter, vel formaliter..... Et hoc iterum dicit Boetius, et multi dicunt, licet non intelligant, quod in omni eo, quod est citra primum, aliud est *esse* et *quod est*,

Alberti M. locus communiter laudatus.

[1] Cfr. Brin, *Histoire Générale de la Philosophie, tom. 2. 2.me partie.*

sive aliud est *quo est* et *quod est* »[1]. Hunc locum communiter afferunt ad vindicandum Albertum M. sententiae adversariorum. Putat Dr. Rittler ex hoc loco nihil posse concludi, quod Albertus, non suam proponendo, sed aliorum sententias exponendo, rem transigit[2]. Verum quidem est nihil ex hoc loco contra nos posse concludi : ast non ob Rittlerianam rationem, cum Albertus sic aliorum opinamenta exponat, ut ea aut reprobando reiiciat, aut approbando tueatur ; sed quod, uti in D. Thoma ostensum est, loquutiones, quas adhibet, non cogunt, imo oppositum videntur significare. « Quod homo sit homo..... non habet ex alio ; hoc enim aequaliter est, *hoc exsistente et non exsistente secundum actum. Quod autem esse habeat in effectu, ex se non est sibi* ». Ubi rem in potentia, et rem in actu meminit, nulla ingesta mentione entitatulae Aegidianae.

Quem in finem ab adversariis.

Doctoris Rittler opinio.

Declaratur.

382. Alibi, non data opera sed obiter de alio agendo, eandem doctrinam de esse naturae cuilibet realiter identico Albertus insinuat. Scribit enim : « Tenendo veritatem unionis factam esse in hypostasi..... *simpliciter* est unum esse Christi : sed aliud est esse huius simpliciter, et aliud est esse huius secundum naturam hanc vel illam, et aliud est esse naturae huius vel illius. Esse enim huius simpliciter est esse personae vel hypostasis, secundum quod est hypostasis : et hoc non est nisi unum in Christo..... quaecumque enim uniuntur, sunt unum..... Esse autem secundum naturam hanc vel illam, est *esse acceptum in comparatione* AD NATURAM FACIENTEM ESSE *in hypostasi ;* et a parte illa *geminatur esse in Christo.* Est enim in eo *esse naturae humanitatis*, et esse naturae Deitatis. Et, si vellemus proprie dicere, tunc diceremus, quod haberet *tali consideratione* non duo esse, sed *unum duplex in constituente esse.* Esse naturae est *esse, quod habet natura in se;* OMNIS ENIM RES HABET SUUM ESSE. Esse naturae humanae in Christo non est esse naturae Dei, neque illa esse sunt duo, sicut naturae »[3]. Habes eandem doctrinam, quam in D. Thoma legimus simplicioribus et elegantioribus verbis expressam : *Aeternum esse divinae naturae integrari esse humanitatis et substantialium partium eius. — Omnis res*, ait Albertus, *habet suum esse* — et Christus habet *unum duplex in constituente esse.* Obiter etiam, sed clarius loquitur Halensis : « Non est imaginandum quod una res sit, quae participat, *sicut essentia*, et alia, quae participatur, *sicut esse;* sed quia una et eadem res est realitas modo participato et per vim alterius, sicut per vim agentis. Haec enim realitas de se non est, nisi *sub modo possibili :* quod autem sit, et possit vocari *actus*, hoc habet per vim agentis »[4].

Rursum Albertus M. De mysterio Incarnationis agens.

Est eadem Doctrina, quam in D. Thoma suspeximus.

Alexander Halensis.

383. Itaque, temporibus D. Thomae, quaestio nostra obiter, arrepta occasione, tangebatur : de ipsa autem directe ac plene non-

Temporibus D. Thomae quaestio nostra, arrepta occasione, obiter tangebatur.

---

[1] Albertus M., *De causis, lib. 1. c. 8.*
[2] Dr. Rittler, *Wesenheit und Dasein in den Geschöpfen, 1. Geschichtlicher Uberblick.*
[3] *Idem, In III. Dist. 6. a. 5.*
[4] Alexander Halensis, *In. VII. Metaph. Text. 22.*

dum habebatur disquisitio; sed satis insinuabatur in reali creato ente realis indistinctio inter essentiam et esse. Angelicus, uti in rebus aliis, uberius pluribusque modis in ea loquutus est. Post quorundam vero D. Thomae articulorum damnationem ab Universitate Parisiensi a. 1276. latam, interdictionemque legendi in scholis Angelici Doctoris opera ex scito Archiepiscopi eiusdem urbis, ipsius doctrina haud sane fuit universim derelicta, sed latuit aliquantillum, nec illos omnes emisit radios, quos post illorum articulorum revocationem per Stephanum, Archiepiscopum item Parisiensem, commendationemque Angelici doctrinae a Summo Pontifice Urbano factam longe lateque per totam Ecclesiam diffudit. Constat autem historice Angelici doctrinam plures iam inde ab initio nactam fuisse sectatores; invenisse autem oppugnatores quosdam in Anglicis praesertim Doctoribus etiam Parisiis commorantibus, inter quos Scotus eminet, et in Universitate Oxoniensi; sed habuisse etiam strenuos defensores, praesertim, uti par erat, in Dominicana familia.

Fata Angelicae doctrinae saec. XIII.

384. Dum igitur Angelici doctrina partim exponitur, partim etiam ab oppugnatoribus vindicatur, novae plures enatae, plenius distinctiusque et data prorsus opera quae prius cursim hic aut illic definiebantur, sunt pertractatae quaestiones. Harum una nostra fuit: de qua ex documentis historicis sequentia possunt constabiliri. Bini inter alios Angelici Doctoris in scholis *forsan* discipuli fuerunt Godefridus de Fontibus, D. Thomae addictissimus, et Aegidius Romanus ex Ordine Augustiniensium, inter summos illius temporis Theologos absque controversia numerandus. Prior, uti constat ex documentis in demonstranda parte priore thesis nostrae allatis, non disputando, sed Angelicum Magistrum simpliciter, uti in scholis forsan intellexerat, exponendo, locutionibus D. Thomae sensum tribuit solius distinctionis rationis inter creati entis essentiam et esse. Alter, Aegidius nempe, realem distinctionem in medium affert, satis innuens se illum esse qui, uti in pluribus aliis certissime fecit, opinionem illam, determinato saltem omnino sensu, tandem proferebat.

Ex expositione et defensione doctrinae Angelici, inter alias, etiam nostra quaestio propriissime enata.

Quomodo se gessit Godefridus de Fontibus.

Quomodo Aegidius Romanus.

385. En quomodo ipse loquitur. Quaerit: « *Utrum essentia creaturae sit suum esse, vel realiter differat ab esse eius.* — Respondeo dicendum quod circa hoc diversi diversa senserunt. Et, *licet non* EX MULTO TEMPORE *de hoc inter theologos opiniones fuerint;* magni tamen opinantur et ponunt quod in creaturis esse et essentia realiter differunt. Non tamen positionem hanc tenemus, quod realiter differant, *nisi eo quod huiusmodi dictum magis quietat intellectum nostrum* »[1]. Quinam sint *illi magni*, Aegidius non dicit. Facillime innuit Albertum et D. Thomam, quem ob vigentem adhuc Parisiensem prohibitionem non nominat. Satis tamen clare testatur se suum sensum revera tenere. Ceterum ex Capreolo, pleniorem Aegidianae doctrinae sensum ipsius Aegidii verbis aliis proferente, id authentice, dixerim, statim ediscemus.

Testimonium Aegidii de recenti nativitate quaestionis nostrae.

Realis distinctionis proximum se innuit patrem.

Quod mox ex Capreolo authentice ediscemus.

[1] Aegidius, *De Ente et essentia, q. 9.*

Atque plane Hervaeus ex Dominicana familia Aegidio coaevus (diem obiit Aegidius a. 16. saec. 14., Hervaeus vero a. 23. eiusdem saec.), et unus ex validioribus doctrinae Thomisticae propugnatoribus, inter subortas tres in praesenti controversia opiniones, quas superius ipsius verbis retulimus, opinionem solius distinctionis rationis suam facit, et Magistro, prout in more ipsi est, non nominato implicite videtur tribuere. Contra vero, reticito pariter nomine, opinionem distinctionis realis Aegidio satis clare adscribit, quatenus pro hac opinione Aegidii affert rationes, quarum tertia eademque praecipua est sequens: « Nullum potentiale fit nisi per hoc, quod aliquid aliud sibi imprimitur, per quod fit actu aliud ab ipso potentiali. Sed essentia creaturae est potentialis esse. Ergo non fit actu ens nisi per hoc, quod aliquid aliud ab ea sibi imprimitur. Hoc autem est esse. Ergo esse et essentia distinguuntur re in creaturis, sicut subiectum substratum et actus inhaerens. — Sed ista positio non videtur mihi vera: quod ostendo duplici ratione..... »[1].

Illius distinctionis Aegidium Hervaeus signat parentem.

386. Sed audiamus tandem Capreolum. Scribit: « *Quinta conclusio* est: *Aliquod esse est ipsa essentia creaturae; aliquod vero esse est actualitas eius; et aliquod esse non est hoc, nec illud.* Ista conclusio probatur ex dictis S. Thomae *I. Sent. Dist. 33. q. 1. a. 1. ad 1.um*, ubi ponit sequentia verba: « Sciendum, *inquit*, quod esse dicitur tripliciter. Uno modo.....». Eandem ponit distinctionem *III. Sent. Dist. 6. q. 2. a. 2.* Primum enim et tertium membrum ponit in corpore articuli, sed secundum membrum distinctionis ponit in responsione ad 4.um argumentum: ex qua distinctione patet conclusio pro qualibet parte: prima quidem ex prima parte distinctionis; secunda ex secunda; tertia vero ex tertia. Eandem distinctionem ponit in multis aliis locis, praesertim quoad secundum et tertium membrum, ut, puta, *3. p. q. 17. a. 2.*, et *Quodlib. 2. q. 2. a. 2.*, ubi sic dicit: « Esse dicitur dupliciter, ut patet per Philosophum *V. Metaph.*, *et in quadam glossa Origenis super principium Ioannis.* Uno modo secundum quod est copula verbalis signans compositionem cuiuslibet enuntiationis, quam anima format: unde hoc esse non est aliquid in rerum natura, sed tantum in actu animae componentis et dividentis; et sic esse attribuimus omni ei, de quo propositio formari potest, sive sit ens, sive privatio; dicimus enim *caecitatem esse.* Aliud dicitur esse actus entis, in quantum est ens, id est, quo denominatur aliquid *ens actu* in rerum natura; et sic esse non attribuitur nisi rebus ipsis, quae in decem genera dividuntur ». Haec S. Thomas. Tale autem esse secundo modo dictum, UT PONIT AEGIDIUS PRIMO QUODLIBETO, Q. 7., nihil aliud est, quam: « *Quaedam actualitas impressa omnibus entibus a primo ente.* Nulla enim essentia creaturae est tantae actualitatis, quod possit actu exsistere, *nisi ei imprimatur actualitas quaedam a primo ente et illa actualitas impressa vocatur esse.* Sicut ergo res corporales, aliae a quantitate, non sunt actu de se extensae, sed

Testimonium Capreoli de Aegidio parente distinctionis realis, et de parta entitatula, quam ipse adoptavit.

Aegidii verba ex Capreolo.

[1] Hervaeus, *Quodlibeto 7. q. 8.*

sunt in potentia ut extendantur per quantitatem; sic omnes aliae naturae a primo ente de se non exsistunt actu, sed sunt in potentia ad esse ». Haec Aegidius. Cui concordat S. Thomas *1. p. q. 3. a. 4.* dicens quod : « Esse est actualitas omnis formae vel naturae ; non enim bonitas vel humanitas signatur in actu, nisi prout signamus eam esse. Oportet igitur quod esse comparetur ad essentiam, sicut actus ad potentiam ». Haec S. Thomas. Et in hoc primus articulus terminatur »[1].

Collectio.

390. Habemus ergo Aegidium auctorem patremque notionis τοῦ *esse*, ceu physicae actualitatis realiter ab essentia distinctae, atque huic a primo ente impressae, ut ens in actu tandem fiat.

Quî se habuere res saec. XIV et XV.

Saeculis vero XIV. et XV. apud discipulos et sectatores D. Thomae denominatio aut assertio distinctionis realis inter creati entis essentiam exsistentiamque fuit revera communis. Sed horum alii, uti Capreolus, Paludanus, Ferrariensis etc., Aegidiana notione τοῦ *esse* animo praecepta, distinctionem *formaliter realem* intelligebant, eamque et D. Thomae tribuebant, et contra scholae Scoticae impugnatores tuebantur. Alii vero per τὸ *esse* nonnisi actum metaphysicum, prout ex ipso D. Thoma colligitur, meminere ; realemque distinctionem inter essentiam et esse non *formaliter realem*, sed *fundamentaliter realem* declarationibus suis docebant esse, quemadmodum ex Auctore libri *De formis* in prima thesis parte demonstravimus, et expresse ibidem docuit Soto. Hoc igitur tempore discipulorum omnium D. Thomae in quaestione nostra definienda unum quidem erat labium idemque sermo ; ast non eadem erat mens, sed penitus discreta.

Illis saeculis discipulorum D. Thomae unum erat labium, sed non eadem sententia.

Quid saec. XVI Caietanus.

388. In aequor tandem saeculo XVI. ineunte descendit Cardinalis Caietanus ex Dominicana familia ; qui certe plurimum contulit, ut D. Thomas in honore haberetur, sed qui item praecipua causa fuit, ut non una solum in re recentioribus temporibus D. Thomas haud recte a pluribus intelligeretur. Hic, una cum praedecessore suo Ferrariensi, ubicumque D. Thomas τὸ *esse* meminit, notione Aegidiana, quae alta mente manebat reposta, entitatulam illam perlegerunt, effeceruntque ut, non sane omnes, sed plures omnino idem perlegerent. Scimus quam male aliquando Thomam pertractarunt, ut illi subiicerent notioni praeceptae. Restitere adversa fronte pauci, ut Rubio ex Dominicanis ipsis castris, uti De Lugo testis in superioribus deposuit : permisere non pauci, quemadmodum ostendimus. Pacifice pene res transigebatur. At instaurato nuperrime, praesertim sapientissimi Leonis XIII. opera, ardore studioque doctrinae Thomisticae, nostrum doctrinae caput tanquam vexillum ab aliquibus fuit elatum, idemque ceu tessera fuit proposita, qua sinceri Aquinatis discipuli, ut aliquando dictitarunt, a spuriis distinguerentur. Atque, uti malo fere semper accidit fato, non defuerunt qui immoderatius forsan agentes eos, qui Aegidianum fetum non blanditiis retinebant, aqua et igni interdicerent. Hos iniuria ita se gerere ex dictis omnibus

Restitere adversa fronte pauci.

Permisere non pauci.

Pacifice res transigebatur.

Quid Neo-Thomistae post Leonem XIII.

Iniuria agunt.

[1] Capreolus, *In I. Dist. 8. q. 1. a. 1.* QUINTA CONCLUSIO.

manifestum est. Qui enim Aegidianum *esse* respuunt, non D. Thomam, sed Aegidii et plurium Thomistarum, qui Aegidium sequuti sunt, respuunt sensum. Hi autem, etiamsi in castris D. Thomae duces essent et antesignani, iure suo potirentur, nec nisi iniuria loco possent exturbari.

Qui Aegidianum esse respuunt, non D. Thomam, sed Aegidium eiusque respuunt sequaces.

389. Quae cum ita sint: FIAT PAX! Quandoquidem in speculativis non omnino evidentibus, et ex quibus nullum imminet gravioris damni periculum, prudens caritas exigit, ut unusquisque in suo sensu abundet; sinamus ut hic, uti in similibus aliis, sua sit cuique, quam veriorem putarit, defendendi partem libertas; nec a D. Thoma ducamus et praedicemus extorrem, qui nostram non sequitur sententiam. Maiori certe cum omnium decore, atque veritatis et Ecclesiae utilitate id fiet. Hoc pacto inter nos equestria fere erunt ad oblectamentum certamina, et purioribus oculis veritas facilius conspicietur; licebit contra in hostes Ecclesiae et certae veritatis praelii impetum omnem dirigere, eosque validius profligare.

Quid petimus?

390. FIAT PAX! Angelicus ipse Doctor, quem ab initio in vota vocavimus, quique longo ac perdifficili plane itineri adfuit, a SS. Iesu et Mariae Cordibus, ab omnipotenti Deo Uno Trinoque, in cuius gloriam haec scripta sunt, optatissimam pacem imploret, discipulis suis omnibus abundantissime largiturus. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.*

FIAT PAX!

Ad Angelicum Doctorem precatio.

LAUS DEO PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO, SS.MIS CORDIBUS IESU ET MARIAE, AC S. IOSEPHO, ET DOCTORI ANGELICO.

FINIS

INDEX DISQUISITIONIS

Lectori benevolo 1

SECTIO I.

PROSPECTUS QUAESTIONIS

CAPUT I.

De essentiae exsistentiaeque notione

Nominis essentiae derivatio et sensus — S. Augustinus — D. Thomas — Quidditas — Philosophus — Forma — Avicenna — Natura — Boetius — τοῦ *esse* pressior significatio — Auctor Opusculi *De natura generis* — D. Thomas — Exsistentiae derivatio — usus — oppositio — Lossada — D. Thomas — Non contendendum de vocibus — Quid essentiae exsistentiaeque nominibus intelligamus — Essentiae, ceu supposito oppositae, notiones variae — Animadversio in Scriptorem quendam recentissimum — Recta intelligentia duplex — Damascenus — Collectio — D. Thomas — Essentiae, ut τῷ *esse* oppositae, notiones variae — Notio absoluta — D. Thomas — Notiones respectivae — Boetius — Em. Zigliara — Schiffini — Zigliara — D. Thomas — Notiones aliae — Essentiae notiones in ordine ad esse — P. Remer — Essentia, sub diverso respectu, actus et potentia — Exsistentiae communis notio — Proprium munus — Exsistentiae definitiones variae — Suarez — Mastrius — Philosophus — Goudin — Zigliara — Liberatore — Alii — Definitiones omnes ex D. Thoma derivatae — In formulis definitionum conveniunt Doctores, sed differunt sensu — Quid agendum? 5-15

CAPUT II.

De nihili notione

Generatim — Ens strictissimo sensu — Nihilum huic enti oppositum — Ens minus stricte — Nihilum ei oppositum — Adaequatum aut inadaequatum — Ens latiori sensu — Nihilum eidem oppositum — Ex D. Thoma tripliciter patet — Nihilum absolutum — Privatio — Materia prima — Forma materialis — Notandum apprime — D. Thomas — Quid proprie: *extra nihilum* — Exsistentiae — Essentiae actualis — Quid sit: *fieri extra causas* — Declaratur — D. Thomas — In causa materiali — In efficiente — In exemplari — In finali — Conclusio — Definitur quaestio 15-19

CAPUT III.

De Potentia et Actu

§ I. *Potentiae et Actus notio et divisio*

Ex D. Thoma actus simpliciter prior potentia — Actus absolute intelligibilis; potentia in ordine ad actum — Unde dicta potentia; unde actus — Quid generatim actus — Quid potentia — D. Thomas — Quid re actus — Philosophus — D. Thomas — Notio actus et potentiae — In ordine physico, metaphysico, logico — Qui physicus actus, quae physica potentia — Qui actus metaphysicus, quae potentia metaphysica — D. Thomas — Qui logicus actus, quae potentia logica — Potentia et actus proprie et improprie usurpantur — Philosophus — D. Thomas — Descensus actus ad rationes subiectas — Actus absolute purus — Actus absolute non purus, relative purus — D. Thomas — Actus simpliciter non purus — Actus essendi et exsistendi — An et quatenus admittenda distinctio — Actus suppositi et actus materiae — Actus informans sed independens, et actus informans et dependens a materia — Actus substantialis aut primus et accidentalis aut secundus — Descensus potentiae ad partes subiectas — Potentia omnino pura repugnans — Potentia obiectiva aut logica — Philosophus — D. Thomas — propria potentia realis — Philosophus — D. Thomas — Principium de ratione potentiae proprie dictae — Potentia proprie dicta activa et passiva — D. Thomas Philosophi doctrinam complet — Potentia passiva pura aut prima, non pura aut secunda — Potentia substantialis et accidentalis — Connaturalis et obedientialis — Admittenda potentia obedientialis — D. Thomas — Potentia obedientiae syncategorematice infinita — D. Thomas — Deus stricte nunquam agit contra naturam — D. Thomas — Admittenda potentia obedientialis activa — D. Thomas — Quid potentia obedientialis ex Suaresio — Activa — Passiva. 19-29

§ II. *Asserta aliquot de potentia et actu*

Assertio I. — *Ratio actus et ratio potentiae contradictorie opponuntur* — D. Thomas — Ratio — Declaratio — Assertio II. — *Potentia omnis proportionatum actum supponit, in eoque fundatur* — Est doctrina Philosophi et D. Thomae — Ratio generalis *a priori* — *A posteriori in potentiis realibus* — In potentiis quibuslibet — Assertio III. — *Potentia et actus in omni ordine invicem limitantur, non intrinsece et formaliter, sed extrinsece et connotative* — Est doctrina D. Thomae — Ratio 1.ae partis prima — Secunda — Ratio 2.ae partis — D. Thomas — Ratio *a priori* — *A posteriori* — Potentia passiva prima aut secunda non limitatur formaliter a suo actu — Nec potentia activa ab actu producto — Illatio — Difficultas — Solvitur — Actus subsistens nequit formaliter limitari a potentia, quam includit — Difficultas — Solvitur — Nequit speciatim limitari a potentia ad esse — Actus informans nequit formaliter limitari a sua potentia — D. Thomas — Prima ratio — Praeoccupatur difficultas — Secunda ratio — Collectio — Assertio IV. — *Dicendum simpliciter actum per receptivam potentiam propriam aut impropriam limitari; ipsum vero aliquid potentiae addere* — Est doctrina D. Thomae — Ratio 1.ae partis — Confirmatur — Demonstratio 2.ae partis — D. Thomas — Ratio *a priori* — Demonstratio 3.ae partis — D. Thomas — Declaratur — *Potentia et actus dividunt ens* — Philosophus — D. Thomas — Suarez — P. Cornoldi — PP. Remer et De Mandato — Patris Cornoldi sensus — Crisis — Est sensus novus — Minus accurate expressus — Est dubius et controversus — Aut

petit principium — Illatio — Vis definitionum ex praecipua quaestione pendula — Actualitas ultima et prima — Fundamentum habet in D. Thoma — Boetius — Suaresius — Caietanus — τὸ *esse* sub diversis respectibus actus primus aut ultimus. 29-43

CAPUT IV.

De Distinctione et Compositione

Philosophus et D. Thomas distinctionem nominant diversitatem — Quid sit distinctio transcendentaliter inspecta — Conceptus distinctionis, identitatis, unitatis connexi — Philosopho identitas quid sit — D. Thomas — Identitas non dicitur nisi in entitate, praesertim substantiali — D. Thomas — Identicum, simile, aequale — Ad identitatem requiritur unitas — In identitate includitur relatio — Quandonam relatio identitatis realis, quandonam rationis — Distinctionis notio — Diversum, differens, distinctum — Distinctio presse ad rei entitatem pertinet — Ut distinctio habeatur, neganda entitatis unitas — Distinctio relationem includit — Distinctio realis et rationis — Suaresius — Quid distinctio realis — Quid rationis distinctio — Distinctionis realis signa — Recentissimi Doctoris assertio — Defenditur Suarez — Suaresii doctrina — Animadversio — Separabilitas non mutua an distinctionis realis signum? — Cum positivae perfectionis amissione coniuncta — Coniuncta cum intrinseca mutatione — Realis separabilitas semper realis alicuius distinctionis signum — Distinctio realis positiva, negativa, mixta — Suarez — Distinctio realis positiva numerica aut singularis, et specifica aut universalis — D. Thomas — Absoluta aut modalis — Maior aut minor — Distinctio rationis ex Suaresio — Ratiocinantis — Ratiocinatae — Utriusque distinctionis membri declaratio — Rationis distinctio non exinde dicta, quod inter entia rationis versatur — Potest tamen inter entia rationis haberi — Undenam proprie dicta rationis distinctio — Distinctio rationis semper opus mentis — Sitne de conceptu distinctionis rationis praecisiva abstractio? — Lossada — Respectus historicus — Opinionum fundamenta — Admittendae praecisiones obiectivae — Declaratur et probatur assertum — Respondetur argumento adversariorum — Distinctionis rationis ratiocinatae fundamentum — Intrinsecum — Extrinsecum — Ratione fundamenti distinctio rationis ratiocinatae dici potest, *realis*, aut *fundamentaliter realis* — Distinctionis rationis ratiocinatae forma — Distinctio rationis ratiocinatae adaequata et inadaequata — Distinctio media inter realem et rationis — Scotus — Scotistae — Thomistae aliqui — In quo differant distinctio virtualis communiter admissa, distinctio virtualis quorundam Thomistarum, et formalis ex natura rei distinctio Scotica — Munus nostrum — Quid compositio — D. Thomas — Omnis compositio est unio distinctorum — Stricte partium — Quarum alia potentia sit, alia actus — Pressior compositionis notio — Quid pars — Compositio propria — Impropria — Animadversio — Compositio realis aut physica — Ex partibus essentialibus — Ex partibus quantitativis — Ex partibus virtutis — D. Thomas — Compositio metaphysica — D. Thomas — Rei ratio et ratio composita — Quandonam locum habeant — Et quando non — Declaratur in divinis attributis — Et in divinis personis — Constitutum, ratio constituta, constitutiva — Compositio logica aut mentis — Notandum de iudicio humano — Subiective inspecto — Obiective inspecto — Quandonam stricte habeatur compositio rationis ratiocinantis . . . 44-63

CAPUT V.

Statuitur Quaestio

Ex Card. De Lugo — De quo sit quaestio — Duplex sententia — Prima Thomistarum distinguens realiter esse ab essentia — Diversimode proponitur — Alii volunt esse distinctionem realem modalem — Alii absolutam — Bañez — Thomistae alii — Tertii — Quarti Salmanticenses — Secunda sententia non distinguens realiter esse ab essentia — Exsistentia substantiae substantialis aut substantia, accidentis accidentalis seu accidens — Societatis Iesu sententia — Quid nostris temporibus? — Em. Zigliara — Male quaestionem proponit — Animadversiones aliquot — Prima. historico-critica — P. Palmieri — Secunda doctrinalis — Tertia in bonum sensum Em. auctorem explicans — P. Billot — Sententiam suam proponit — Quaerit de solo esse substantiae — Monitum — Statuitur quaestio — Animadversiones aliquot — Neo-Thomistae reliqui — Quid peccant — In quo a veteribus differunt — Definitur quaestio — Quaenam prae oculis habenda — Bina quaeruntur — Primum — Inde alius modus recte quaestionem proponendi — Alius item modus — Secundum — Termini omnes, quibus quaestio varie proponi potest, in quaestione sunt et, absque probatione, principii loco sine petitione principii nequeunt assumi — Quaestio difficillima — Controversiae initium — Plenius proponitur distinguentium realiter sententia — Exsistentia substantiae subsistentiae identica iuxta aliquos — Quinam ii sint — Subsistentia realiter distincta ab exsistentia substantiae iuxta alios — Recensentur auctores — Quinam stent pro sola distinctione rationis — Quid inter eos differat 63-72

SECTIO II.

SOLVITUR QUAESTIO PRODROMA

THESIS I.

« Si de ente finito, eodemque in ordine sive singularis intelligibilitatis aut ontologico, sive concretae realitatis aut physico singillatim inspecto, inquiratur: Quo pacto sive intelligibilis sive physica essentia, seu id quo res quaelibet in determinato genere, in determinatave specie constituitur, distinguatur ab intelligibili aut physica exsistentia, nimirum ab eo, quo intelligitur esse, vel est de facto adaequate extra nihilum, extra causas, in actu; verius omnino est non distingui *proprie dicta distinctione reali*, sed tantum *distinctione rationis*. — Huiusmodi vero rationis distinctio quamvis non sit tantum *rationis ratiocinantis*, sed omnino sit *rationis ratiocinatae;* non est tamen *formaliter adaequata*, sed *formaliter inadaequata*. — Eius demum fundamentum *formaliter* quidem habetur ex ipsa obiectiva ratione essentiae et exsistentiae; radicaliter autem ex essentiali creati entis contingentia ».

Declaratur thesis — In ipsa partes tres — Prima negat distinctionem formaliter realem inter essentiam et esse creati entis, asserit rationis — Secunda docet rationis distinctionem non esse rationis ratiocinantis, sed ratiocinatae; verum non adaequatam, sed inadaequatam — Tertia statuit eiusdem distinctionis fundamentum proximum et ultimum — Termini noti — Monitum de ordine intelligibilitatis et realitatis 73

Probatur 1.ª pars thesis.

In ente creato, eodemque sive in ordine intelligibili adaequate inspecto, sive inspecto in ordine reali, essentia actualis non distinguitur realiter ab eius exsistentia, sed tantum ratione.

§ I. *Probatur assertio indirecte ab eversione fundamenti oppositae sententiae*

Distinctio realis non probatur. Ergo non datur — Prob. consequentia — P. Liberatore — Per se loquendo, probatio ab adversariis afferenda — P. Liberatore contra ius—Quod probandum est, et non probatur, scientifice non datur—Prob. antecedens — Innuuntur probationes adversariorum — Excluduntur. . 74-75

Probatur minor per partes

I. *Non prob:* — α) *ex ipsa ratione essentiae creatae.*

Argumentum P. De Maria et P. Remer non est efficax — Probatur indirecte — Inter esse et essentiam cum reali identitate stare potest formalis distinctio — Responsio adversariorum — Impugnatur — In creatis et in ipso Deo aliquid potest esse realiter identicum essentiae, et non esse de ratione essentiae, ut sic — Impugnatur responsio in proprietatibus metaphysicis — Impugnatur in gradibus metaphysicis — Instantia — Disiicitur — Probatur directe — Ex reali identitate essentiae et esse, τὸ *esse* non evadit praedicatum quidditativum — Ratio *a priori* — Obiectio — Responsio — Declaratur — Obiectio altera ex Pallavicinio — Responsio indirecta — Directa — Quo sensu Patres Africani exsistentiam dicant Dei donum et gratiam — Deus (et quadantenus homines) potest donare dona realiter indistincta ab iis, quibus donat 75-81

II. *Non prob:* — β) *ex essentiae potentialitate.*

Adversariorum argumentum bipartitum — Reiicitur — Quare primum reiiciatur — Instantia ex P. Liberatore — Animadversio — Illustris Philosophi argumentatio in forma — Responsio in forma — Declaratur—Praeoccupatur obiectio — Succedit Em. Card. Pecci — Eius verba — Obiectiones tres — Respondetur ad primam — Declaratur responsio — Respondetur ad secundam — Miranda obiectio in tali viro — Urgetur adversarius — Facillimum est, si contentio animum occupavit, in errorem delabi — Respondetur ad tertiam — Quid oggerant adversarii — Impugnatur simul utraque responsio — Dissipantur reliqua ab Em. Auctore prolata — Instat P. Remer — Respondetur — Declaratur responsio — Reiicitur secundum argumenti bipartiti ab initio positi — Sequela non tenet formaliter — Non tenet illative — Proponitur adversariorum illatio — Reiicitur — D. Thomas — τὸ *esse* nequit recipi in essentia proprie et physice — Esse abstractum — Esse reale universaliter sumptum — Esse reale sumptum particulariter — Urgentur adversarii — Instantia ex Em. Card. Zigliara — Responsio — Intolerandus in Philosophia et Theologia esset error, supponere dari reale quid extra Deum non ab ipso productum 82-96

III. *Non prob:* — γ) *ex creati entis contingentia.*

Innuitur argumentum adversariorum — Propulsatur — Essentialis contingentia duarum rationum formalium in uno et eodem reali ente nequit minuere, sed potius quodammodo auget contingentiam — Obiectio ex Em. Card. Zigliara — Responsio — D. Thomas — Quo sensu essentiae rerum sint necessariae et immutabiles — Responsio in forma — Corollarium adversus Eminentissimum Auctorem 96-98

IV. *Non prob*: — δ) *ex creatae essentiae abalietate.*

Generalis probatio — Evolvitur et declaratur argumentum factum — Praeoccupatur difficultas — Obiectio ex P. Sylvestro Mauro — Prima responsio indirecta — Secunda responsio directa — Declaratur — Confirmatur — Quid dicendum de illationibus P. Mauri 98-101

V. *Non prob*: — ε) *ex creatae essentiae limitatione.*

Argumentum generale — Confirmatur — Obiectio ex P. Mauro — Responsio ad argumentum princeps — Sensus abusivus verborum : *Suum esse* — Responsio ad confirmationem — Declaratur responsio ad argumentum princeps — Non valet paritas inter irreceptum ab alio et in alio — Declaratur responsio ad confirmationem quoad 1.am partem — Hypothesis probabilis — Hypothesis probabilior — Declaratur quoad 2 am partem — Actio vitalis substantialis nonnisi in ente a se dari potest — Quid de esse per se subsistenti dicendum — Instantia ex Em. Card. Zigliara — Responsio — Quid intelligamus in natura exsistente a se — Quid in natura exsistente ab alio—Duplex conceptus naturae exsistentis — Uter illorum verus ? — Excluditur sensus Eminentissimi — Declaratur responsio — Argumentum P. Billot — Crisi subiicitur — Sensus Pantheisticus — Aequivocationes 101-109

VI. *Non prob*: — ζ) *ex creatae essentiae multiplicitate.*

Cum reali identitate inter essentiam et esse stat creaturarum multiplicitas specifica et numerica — Probatur universim — Speciatim — Obiectio ex Em. Card. Zigliara — Responsio — Declaratur — Quare identica unitas τοῦ *esse* individuorum multiplicitatem non impediat — Neutrum membrum dilemmatis Eminentissimi est cogens — Instantia Em. Card. Pecci — Responsio — Declaratur — Em.i Card.les Pecci et Zigliara invicem collati — Succedit P. De Maria — Respondetur — Illatio prior — Declaratur — Aequivocatione laborat ac petit principium P. Liberatore — Rationes transcendentes multiplicantur multiplicatis subiectis — Illatio altera — Ferrariensis — Disiicitur — Ferrariensis aequivocationes — Illatio tertia — Ordo inter entia a P. Liberatore invectus non est necessarius, quin est saltem dubius — Verior ordinis entium ratio . . 109-116

VII. *Non prob* : — η) *ex multiplici principio aut effectu.*

Demonstratio bipartita — Excluditur 1.um membrum — P. Cornoldi — Plura inferuntur absurda — Inter alia Pantheismus aut nullismus — Urgetur P. Cornoldi — Non valet sigilli exemplum — P. Cornoldi argumentatio in forma — Responsio in forma — Praeoccupatur difficultas in divinarum Personarum productione — Excluditur 2.um membrum argumenti bipartiti — Multiplicitas effectuum in diversis creaturis non probat realem distinctionem inter essentiam et esse — Neque id probat, si sit in una et eadem creatura — Illatio notanda — Obiectio ex P. Cornoldi — Responsio — Falsa plura in argumento — Argumentum in forma — Responsio in forma — Aequalitas τοῦ *esse* in omnibus falso et impertinenter invocatur 116-123

VIII. *Non prob*: — θ) *ex conceptu, quem nos de creato ente informamus, et ex modo , quo loquimur.*

Demonstratio — Conceptus entis formalis et obiectivus — Conceptus formalis simplex, non compositus — Simplex item obiectivus — In nostro entis conceptu compositio, si qua datur, est solum metaphysica et grammaticalis, non physica

aut realis — Instantia P. Cornoldi — Responsio ad 1.am partem — Responsio ad 2.am partem — Instantia ex Em. Card. Pecci — Quid usus? — Quid dialectica? — Quid natura? — Ex dictis sequitur realem distinctionem inter essentiam et esse creati entis neque esse immediate aut mediate evidentem; neque solida probabilitate gaudere 123-127

§ II. *Probatur directe eadem assertio, impugnaturque realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse.*

Argumentum generale tripartitum . . . . . Ibidem

I. *Realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse non est necessaria.*

Necessitas realis distinctionis esset vel rei, vel scientiae — Neutra est — *Prob. 1.a min. pars* — Undenam derivaretur rei necessitas? — Ex nullo derivatur capite — *Non ex ente creato existente* — Probatur — Adversariorum responsiones — Em. Zigliara — Ratio aequivocationis Eminentissimi — *Non ex ente potentiali, contingenti, ab alio, limitato* — Demonstratur — Admissa reali identitate inter essentiam et esse, creatum ens non exsistit ex necessitate essentiae, sed ex libera causae producentis actione — Confirmatur — Confirmatur adhuc — Obiectio — Responsio — Declaratur responsio — Quo sensu essentia actualis et esse eidem realiter identicum sunt *una et sola essentia* — Obiectio altera — Responsio — *Non ex distinctione entis creati ab increato* — Probatur — Confirmatur — P. Liberatore — Declaratur — *Non ex necessaria distinctione inter entia creata* — Demonstratur — Etiam non data adversariorum distinctione, creaturae possunt contrahi ad diversas species — Et ad alia et alia individua — Obiectio — Responsio prior — Responsio altera — Ex reali identitate essentiae et esse facilius intelligitur, quare universalia a parte rei repugnent — *Prob, 2.a min. pars* — Undenam necessitas distinctionis realis derivaretur ex parte scientiae nostrae? — Facto constat, etiam negata distinctione reali, haberi omnia requisita ad scientiam nostram — *Sine reali adversariorum distinctione haberi possunt principia scientifica* — Analytica — Synthetica — *Haberi possunt experientiae facta* — Ex sensibus — Ex conscientia — *Haberi possunt ratiocinandi leges* — Ratiocinandi leges sunt leges ipsius rationis, quas naturae ductu sponte adhibet — Notiones, quibus constant ratiocinandi leges, independentes ab illa distinctione — Obiectio — Responsio — Declaratur — Seponuntur quaestiones aliquae — Illustratur veritas — *Haberi potest scientifica methodus* — Quid methodus? — Analytica — Synthetica — Quaenam inveniendae tradendaeve veritati conveniat magis — Scientificae methodi exemplum mirabile in *Summa Theologica* D. Thomae — Infertur ex dictis distinctionem realem adversariorum ad scientificam methodum non requiri — Obiectio — Responsio 127-140

II. *Realis distinctio inter creati entis actualem essentiam et esse rationi non congruit.*

Probatur — In sententia, quam impugnamus, quot agnoscenda in creato quolibet exsistente, *qua exsistente* — Non congruunt rationi — Probatur generatim — Probatur speciatim — *Non congruit, ut essentia sit physica potentia* — P. Liberatore — Em. Card. Zigliara — Essentia, quae actualis diceretur ab actu exsistentiae, merum ex se et purum nihilum — Hypothesis prima — Infertur contradictio — Hypothesis altera — Illatio prior contra adversarios — Illatio altera — Essentia, quae ex se haberet actualitatem essentiae — Si universalis, inferret universalia a parte rei — Si particularis, absurde dicitur mera potentia — Probatur multipliciter — Obiectio — Responsio generalis — Responsio spe-

cialis — Declaratur — Confirmatur, et magis declaratur responsio — Triplex sensus τοῦ *esse vialis* — Excluditur primus — Exsistentia actus purus — Actus primus — Actus ultimus—An potentialitatem excludat? — Excluditur alter sensus — Excluditur tertius — *Non congruit esse, quod sit physicus actus* — Probatur 1.° ex principiis adversariorum — Adversarii, nisi suis principiis nuntium remittant, dicere nequeunt exsistentiam seipsa exsistere — Ostenditur — Obiectio ex Caietano — Ex aliis — Responsio ad Caietani argumentum — Declaratur — Responsio ad argumentum aliorum — Quid concedendum? — In quo sit quaestio? — Discrimen ab adversariis invocatum — In praesenti non valet — Quare — Probatur 2.° absolute — τὸ *esse* realiter distinctum nequit esse unum et commune omnibus realiter, quin Pantheismus realis adstruatur — Nequit esse commune logice, quin adstruatur idealismus aut nullismus, si intrinsecum dicatur — Si sit commune extrinsecum non realiter positive, sed solum negative ab essentia necessario distingueretur — Nequit esse multiplex et privum singulis entibus — Probatur — Obiectio — Augetur — Roboratur — Responsio ad obiectionem — Ad 1.am Confirmationem — Ad 2.am respondetur primo — Secundo — Ad habendam omnimodam substantiae perseitatem non requiritur neque τὸ *esse* realiter ab essentia distinctum, neque quicumque alius modus physicus — *Non congruit realis informatio unioque* τοῦ *esse cum actuali essentia* — Demonstratur ex dictis — Confirmatur — Realis unio non posset subiectari neque in solo *esse*, neque in *esse* et essentia — Non posset subiectari in actuali essentia sola — Declaratur ex unione naturae humanae cum Dei Verbo — Confirmatur—Obiectio—Responsio — Declaratur — *Non congruit physicum compositum, quod sit exsistens, qua exsistens*—Probatur—Obiectio—Responsio 140-155

III. *Realis distinctio inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque infert aut ansam praebet absurdis tum Theologicis, tum Philosophicis.*

Probatur generatim ex mysterio Incarnationis — Probatur speciatim — Ipsis Suaresii verbis — Absurdum primum — Christi Humanitas non esset ens creatum — Secundum — Incarnatio non esset unio assumptioque naturae humanae — Tertium — Verbum fuisset unitum humanitati in esse essentiae, quod ab aeterno habebat in mente Dei — Quartum — Humanitas non haberet effective a Deo capacitatem, ut Verbo uniatur — Huiusmodi absurdis impetitur quidem uterque modus, quo ab adversariis dicitur essentia actualis; sed maxime ille, quo essentia dicitur actualis ab ipso exsistentiae actu — Absurda ex aliis dogmatibus, ac praesertim ex Eucharistiae Sacramento — Bañez — Recentissimi Theologi — Ansam praebet absurdis philosophicis — Obiective — Subiective. 155-159

Probatur 2.a pars thesis

Asserta rationis distinctio quamvis non sit tantum rationis ratiocinantis, sed omnino sit rationis ratiocinatae; non est tamen formaliter adaequata, sed formaliter inadaequata.

Probatur 1.um — Monitum — Non negamus essentiam actualem, *qua actualem*, seu reduplicative, nonnisi ratione ratiocinante ab exsistentia distingui — Ratio — Id negamus de essentia actuali specificative accepta, seu *quae talis est* — Probatur — Confirmatur — Declaratur et probatur 2.um — Confirmatur — Obiectio ex De Lugo — Responsio — Differt essentia et exsistentia possibilis ab essentia actuali. 159-161

Probatur 3.a pars thesis

Fundamentum distinctionis rationis ratiocinatae inter creati entis actualem essentiam exsistentiamque formaliter quidem habetur ex ipsa obiectiva ratione essentiae et exsistentiae; radicaliter autem ex creati entis contingentia.

Declaratur et probatur 1.um — Declaratur in divinis — Declaratur et probatur 2.um — Universalis collectio 162-163

SECTIO III.

SOLVITUR QUAESTIO PRINCEPS

THESIS II.

« Quemadmodum historice certum est non omnes D. Thomae discipulos actualem inter essentiam exsistentiamque creati entis, sive in ordine metaphysicae intelligibilitatis, sive in ordine physicae realitatis considerati, *distinctionem formaliter realem* agnovisse — Ita critice evidens est non probari evidenter *distinctionem formaliter realem* a S. Doctore fuisse traditam; sed probari solum traditam fuisse *distinctionem fundamentaliter realem*, seu *rationis ratiocinatae*. — Fit hinc ut, qui *distinctionem formaliter realem* negant, non D. Thomam, sed quorundam, plurium etiam si lubet, Thomistarum sensum unice impugnent; atque adeo iniuria prorsus ceu a D. Thoma aut eius schola extorres traducuntur ».

Declaratur thesis — In thesi partes tres — Quid asserat prima? — Quid secunda? — Quid tertia? 164

Probatur 1. pars thesis

Historice certum est non omnes D. Thomae discipulos actualem inter essentiam exsistentiamque creati entis, sive in ordine metaphysicae intelligibilitatis, sive in ordine physicae realitatis considerati, distinctionem, formaliter realem agnovisse.

Ad assertionem probandam possent sufficere allata documenta — Afferuntur alia; non tamen omnia — Quare — Recentior Dominicana Familia minus adiumento est — Quare — Godefridus de Fontibus — Quisnam fuerit — Locus D. Thomae — Godefridi Scholion — Godefridus tangit fere omnia, quae in controversia sunt — Hervaeus Natalis — Locus ex Quodlibetis — Propria Hervaei mens — Addendi veteres Doctores alii ex Soto — Auctor *Tractatus De Formis* — P. Ehrle S. I. — Textus — Crisi subiicitur — Dominicus Soto — Difficultas ex D. Thoma — Soti responsio — Illatio — Obiectio — Responsio — Declaratur ex ipso Soto — Confirmatur ex eodem et completur demonstratio — Difficultas alia ex D. Thoma — Responsio D. Thomae — Declaratio Soti — Fonseca — Molina — Huius locus — Conimbricenses — Discutiuntur laudatorum Doctorum sententiae — Specialius ex Molina — Doctores alii — Doctores Societatis — Suarez — Concluditur demonstratio — Paucis sepositis, reliqua Societas Iesu in praesenti reiicit distinctionem realem inter essentiam et esse creati entis — Collegium Valsense — Collegium Gemertense — Collegium Iersyense — Collegium Granatense — Collegium Verulanum — Collegium S. Ludovici — Collegium Cracoviense — Collegium Angiense — Quid de veteri Societate? 164-177

Probatur 2.ª pars thesis

Critice evidens est non probari evidenter distinctionem formaliter realem a D. Thoma fuisse traditam; sed probari solum traditam fuisse distinctionem fundamentaliter realem, seu rationis ratiocinatae.

Declaratur assertio — Bina asseruntur inter se connexa — Probabuntur simul — Quid distinctio formaliter realis et fundamentaliter realis — Quae sufficiunt ad distinctionem fundamentaliter realem — Assertionis nostrae sensus — Consentit Sotus — Prima distinctio — Secunda distinctio — Tertia distinctio — Summa dictorum Soti quoad distinctionem inter essentiam et esse — Declaratio ex D. Thoma — Quid, ex S. Doctore, sint intentiones? — Collectio ex D. Thoma — Monitum quoad argumentum ab extrinseca auctoritate petitum — Conclusio 177-182

§ I. *Probatur assertio negative.*

Argumentum generale — Probanda quadripartita minor 182-183

I. *Ex locis, in quibus Angelicus Doctor videtur explicite tradere distinctionem realem, critice loquendo, non probatur evidenter distinctio formaliter realis, sed solum fundamentaliter realis.*

Seponitur textus spurius — Primus locus genuinus — Textus Boetii *De Hebdomadibus* — Expositio D. Thomae — Quid ex Boetio, quid contra Boetium D. Thomas doceat? — Quid *esse*, quid *quod est* — *Quod est* universim significat suppositum — *Esse* hoc loco proprie significat essentiam — Philosophus — D. Thomas — Dictis suppositis, nequit ex hoc loco evidenter demonstrari realis distinctio adversariorum — Ex Angelico suppositum et essentia substantialis, singularis, totalis identicum quid sunt — Inde obiectio — Responsio — Animadversio in eos, qui docent suppositum ipso substantiali esse exsistentiae formaliter constitui — D. Thomas — Quo propriissimo sensu, hoc loco, a D. Thoma τὸ *esse* consideratur — Monitum — S. Doctor loquitur non de esse particulari, sed de esse communi — Demonstratur — Quo sensu ait Aquinas: In entibus creatis, sive simplicibus sive compositis *esse* et *quod est* realiter differre? — Quo sensu non dicit — Quare — Quo sensu dicit — D. Thomae mens plenius declaratur — Confirmatur ex aliis locis — Ex locis comparatis aliqua inferuntur — Quomodo in doctrina D. Thomae suppositum *constitutive* differat a natura communi — Generalis conclusio contra adversarios — Obiectio — Responsio — Declaratur multipliciter — Excluditur Auctor Opuscoli: *De Concordantiis* — Insignis D. Thomae locus — Generalis collectio 183-198

Discutitur locus ex I. Dist. 19. q. 2. a. 2.

D. Thomae textus — Declaratur Aquinatis doctrina — In Angelici doctrina non est sermo de aevo et tempore extrinseco, sed de aevo et tempore intrinseco — Textus controversus — Quaestio duplex — Quid per τὸ *esse* hoc loco intelligatur — Intelligitur esse, prout opponitur supposito, esse nimirum quidditativum aut entitativum — Probatur — Confirmatur — Praeoccupatur difficultas — Permittitur hoc loco sermonem esse de *esse* exsistentiae, uti actuali essentiae opposito — Quo sensu realiter distingui dicantur — Natura et suppositum — Hac facta hypothesi, D. Thomae obvia doctrina — Deberet etiam adversariis esse acceptissima — Quo sensu realiter distingui dicantur τὸ *esse* et actualis essentia — Capreolus — Aegidii positio — Positio nostra — Utra sit D. Tho-

mae? — Quid motus sive localis, sive ad quantitatem, ad qualitatem, ad substantiam — Concluditur probatio — Confirmatur — D. Thomas — Declaratur — Ultima demonstratio — Conclusio praecipue intenta 198-206

Discutitur locus De Veritate q. 27. a. 1. ad 8.um

Textus D. Thomae — Ad difficultatem propositam responsio in forma — Ex qua responsione quid primum in oculos insiliat — Quid hoc loco D. Thomas intendat? — Quare D. Thomas non meminit differentiae specificae aut individualis — Angelici doctrina — Quo pacto intelligenda — Declaratur — Aegidiana notio τοῦ *esse* in hoc D. Thomae loco non habetur — Difficultas — Responsio — Semotis fictionibus, Angelici mens inquiritur — D. Thomae loca — Colliguntur quae tradit Angelicus — Illationes ex dictis — Quam in loco controverso D. Thomas vocat realem compositionem? — Ostensio — Reditus ad locum controversum — Ut habeantur plura individua univoce convenientia in quidditate non requiritur realis distinctio inter essentiam et esse — Requiritur distinctio formalis — D. Thomas — Et sufficit — Dicta confirmantur ex iis, quae subiicit de accidentibus — Confirmantur adhuc — Illatio — Ex D. Thoma falsus est sensus, quem recentiores tribuunt philosophemati: *Potentia et actus dividunt ens, et omne genus entis* — Falsus et intolerandus sensus, quem aliqui tribuunt divinis verbis: *Ego sum, qui sum* — Generalis conclusio 206-216

II. *Ex locis, in quibus Angelicus Doctor videtur aequivalenter tradere distinctionem realem, critice loquendo, non probatur evidenter distinctio formaliter realis, sed solum fundamentaliter realis.*

Loca controversa sparsim alibi, collectim fere omnia continentur in: *De Ente et Essentia* — Summa doctrinae Angelici — Quaestio — Caietanus — Ex ipsa Caietani agendi ratione merito quis dubitat: Utrum, quae tradit, D. Thomae sint — Recte tamen se gessit — Undenam obiectorum locorum sensus posset derivari — Non ex aliis D. Thomae operibus ad mentem adversariorum — D. Thomas — Neque ex locis obiiciendis — Primus locus D. Thomae — Bina in ipso continentur — Non cogunt admittere sensum adversariorum — Praeoccupatur difficultas — Necessaria non est neque necessitate consequentiae, neque consequentis — Instantia — Disiicitur — Confirmatur responsio — Locus ex libro: *De causis* in textu allatus — D. Thomae expositio — Collectio ex D. Thomae expositione — Inspicitur contextus — Probatur intentum — Quo sensu substantiae spirituales non sunt *actus puri* — Caietanus — Quae dicit Caietanus, non sunt D. Thomae — S. Doctoris celebris demonstratio analysi subiicitur — In quo ordine procedit, intelligibilitatisne, an realitatis? — Praeoccupatur difficultas — In sensu adversariorum ratio D. Thomae esset inefficax — Nimium probaret — Caietani expositio — Arbitraria est prorsus — Comparantur D. Thomas et Caietanus — Procedit ex Aegidiana notione τοῦ *esse*, quae in D. Thoma nullibi habetur — Quo processu omnes abstractiones metaphysicas in reales entitatulas liceret convertere — Caietanus contendit argumentum D. Thomae non probare et esse corrigendum — Ergo erravit D. Thomas — Verius erravit Caietanus verbis D. Thomae alienum sensum appingendo — Neque tamen, quod mirum est, etiam sic intentum obtinet — Invicta demonstratio D. Thomae de compositione metaphysica — Incredibile est non vidisse D. Thomam, quod vidit Caietanus 217-230

Secundus locus D. Thomae — Tertius locus S. Doctoris — Illatio ex dictis — Quid loquutiones praeseferant — *Aliud* negat identitatem entitativam inter

plura — In locis obiectis nihil est, quod loquutiones ad sensum realem determinet — Declaratur — Sensum realem non exigit assertio princeps — Non exigit ratio proxima — Non exigit illatio, quae infertur. 230-232

Quartus locus — Quintus locus — Quid in iis habeatur? — Non sequitur adversariorum intentum — Probatur — Sistendum in iis, quae hic docet Aquinas — Loquendi modus non prodit sensum adversariorum — Non potentia et actus — Non recipere et recipi, aut receptum esse — D. Thomas — Caietanus — Urgetur — Obiectio — Responsio — Probatur — Absurda ex entitatula Aegidiana — Quid per τὸ *esse* in verbis D. Thomae intelligendum sit — Commendator non D. Thomam intelligit, sed ex Aegidiana notione D. Thomae tribuit, quae S. Doctor nunquam cogitavit 232-237

Sextus locus D. Thomae — Locus diligentius tractandus — Quare — Varia D. Thomae loca exhibentur — Doctrinae Angelici summa — Huius doctrinae intelligentiam quaerimus — Quid heic per τὸ *esse* intelligit — Quid adversarii — Aegidiana notio non necessaria — Suarez — Nostrorum temporum contentio — *Esse*, de quo Angelicus loquitur, non est esse essentiae — Neque est esse suppositi — Est esse exsistentiae — Quo sensu? — Assertio declaratur et probatur — Confirmatur — Consonant reliqua — Quid corpus trahi ad esse animae? — D. Thomas — Determinatur Angelici mens et doctrina — Nec verbis, nec rebus entitatula Aegidiana a D. Thoma insinuatur — S. Doctor — Notandum — Quo sensu dicit: *Ex anima et corpore fit unum esse?* — D. Thomae declaratio — Discrimen ex D. Thoma inter animam humanam et alias formas substantiales — Doctrinae fundamentum — Exoriturae difficultati occurritur — Excluditur ex S. Doctore entitatula Aegidiana — Dicta confirmantur perspicuo D. Thomae loco — Godefridus de Fontibus — Collectio 237-246

Septimus locus D. Thomae — Disquirendum unice de sequela finitionis aut infinitatis quam Angelicus superioribus subnectit — Quid ex dictis in praesenti potest constare? — Prima collectio ex loco laudato — Secunda contra P. Maurum — Tertia — Quaestio critica — Ex qua receptione τοῦ *esse* in essentia infert de facto Angelicus eius limitationem, ex physicane an ex metaphysica? — Infert certo ex metaphysica — Solum ex metaphysica — Probatur — Aperitur D. Thomae mens et eius doctrina colligitur 246-249

Analysis Opusculi: De Ente et Essentia.

Quare Opusculi analysis instituatur — Constat triplici quasi parte — Ingressio — Tria sibi proponit — Secundum et tertium simul pertractat in variis entibus — Conclusio — Collectio pro nostra quaestione — In c. 1. quaerit: *Quid nomine essentiae et entis significetur* — Quid doceat de nomine entis — Primo modo — Secundo modo — Ab ente priori modo derivatur essentia — Quid significet essentia — Quidditas, forma, natura — Quid pressius essentia — Declaratur D. Thomae mens — Collectio pro quaestione nostra 249-251

A c. 2. incipit secunda tractatus pars in qua, quae supersunt, ordinate evolvuntur — Essentia proprie in substantiis — In simplicibus nobiliori modo quam in compositis — Quid sit essentia in substantiis compositis — Est simul materia et forma — Probat — Occurrit difficultati ex principio individuationis — Notanda duo — Primum — Tria praestat forma in composito — Illatio contra entitatulam Aegidianam — Probatur — Secundum — Probatio D. Thomae clara et efficax — Ut effertur a P. De Maria — Non est D. Thomae in hoc loco — Probatur — Non est evidens esse alicubi D. Thomae — Est sophistica —

Declaratur ex veritate D. Thomae ratio — Hoc loco D. Thomas clare tradit essentiam actualem ab esse realiter non distingui 251-254

In c. 3. agitur de compositarum substantiarum differentia — Universim differunt secundum *signatum* et *non signatum* — Designatio speciei relate ad genus — Qui fiat — Ratio — Declaratur — Illatio quoad differentiam, speciem, definitionem — Genus, differentia, species se habent proportionaliter ad materiam, formam, compositum — Quomodo genus se habeat ad speciem, et species ad individuum — Alia unitas generis, alia materiae primae — Si quidditas speciei significaretur nomine praescindente a differentia individuali, non posset de individuo praedicari — Ratio — Notanda D. Thomae loquutio — Notula P. De Maria in quaedam D. Thomae verba — Refellitur — Exhibetur lepida eius conceptio — Quid in illa plusquam lepidum — Dissipatur eius ratio — Quid apud D. Thomam *materia signata?* 254-257

In c. 4. definit D. Thomas, quomodo se habeat natura substantialis composita ad intentiones logicas — Intentiones logicae non competunt naturae ad modum partis significatae — Non competunt naturae separatae in sensu Platonicorum — Competunt naturae ad modum totius significatae — Quid de natura, tertio hoc modo inspecta, potest secundum se praedicari? — Quid, prout est in alio? — Naturae absolute, seu secundum se, inspectae non competit sine alio intentio universalitatis — Neque secundum esse, quod habet in individuis — Sed secundum esse, quod habet in intellectu — Duplex S. Doctoris illatio — Erravit Averroes — Naturae universali praedicatae de individuis non competit intentio universalitatis — Doctrina capitis communis nobis et adversariis — Favet tamen nobis 257-259

In c. 5. definit, quomodo essentia sit in substantiis spiritualibus — Assertio princeps — Substantiae spirituales non sunt compositae ex materia et forma — Probatur — Discrimina tria inter substantias spirituales et corporales — Assertio 2.ª — Substantiae spirituales creatae non sunt actus puri — Probat — Assertio 3.ª — Intelligentiae habent esse a causa prima — Probat — Assertio 4.ª — Intelligentiae metaphysice constant potentia et actu, adeoque possunt specifice multiplicari — Probat 1.um — 2.um — Difficultates huius capitis iam sunt dissipatae — Quid habeatur ex totius capitis analysi? . . 259-261

Scopus c. 6. — In Deo essentia est suum esse — Deus non est in genere — Deus est esse tantum, non esse commune, sed esse, cuius individuatio est pura bonitas — Quamvis Deus sit esse tantum, nulla ei deest perfectio — In substantiis spiritualibus creatis essentia non est suum esse — Earum esse non est absolutum, sed respectivum — In ipsis dari potest multitudo specifica, sed non numerica, nisi in anima humana — Individuatio animae pendet occasionaliter, non formaliter a corpore — Sunt ordinabiles in praedicamento — Differentiae earum nobis occultae — Quomodo in ipsis sumuntur intentiones logicae — Quomodo se habeat essentia in substantiis corporalibus — De his recoluntur, quae superius dicta sunt — Quomodo se habeant intelligentiae ad Deum, ad corpora, ad seipsas invicem — D. Thomae doctrina, absque entitatula Aegidiana et adversariorum distinctione, tota vera et firma — Utraque a D. Thoma ableganda 261-264

In c. 7. agit de essentia in accidentibus — Accidens essentiam habet secundum quid — Probat — Substantia est causa accidentium — Diversimode — Declaratur — Intentiones logicae aliter se habent in substantiis compositis, aliter in accidentibus — Ibi concreta *directe* in praedicamento sunt, abstracta

reductive — Hic, contra, abstractum *directe*, concretum *reductive* — Quomodo intentiones logicae in accidentibus sumantur — Doctrina huius capitis nobis adversariisque communis — Quid de ipso *esse* D. Thomas doceat? — Conclusio generalis contra adversarios 264-266

III. *Ex locis, in quibus Angelicus Doctor probat distinctionem inter creati entis essentiam et esse, critice loquendo, non probatur evidenter distinctio formaliter realis, sed solum fundamentaliter realis.*

Tractationis ratio—In *Summa Contra Gentiles* quaerendus Thomas — Ingressio — Quid in rem nostram tradat — Caietanus — Cornoldi — Del Prado — Ferrariensis — Godefridus de Fontibus — Hervaeus — Dominicus Soto — Quid veritas? — Parallelismus huius loci cum : *De Ente et Essentia* — Occurritur difficultati 267-269

Cap. 52. Quod in substantiis intellectualibus differt esse et quod est.

Quaestio — Prolepsis — Movetur quaestio ad quandam difficultatem solvendam contra divinam simplicitatem — Varii S. Doctoris loquendi modi eidem obnoxii difficultati — Qui necessario sunt intelligendi? — Quid dubium — Illatio — Septem argumentis assertum probat Angelicus Doctor — *Primum* — Undenam derivetur argumentum — Proponitur in forma — Quid in controversiam veniat — Si admittatur sensus formalis, propositio evidens — Si sensus realis, propositio inevidens — Imo aperte falsa — Quid de D. Thoma sentiendum — Verba sensum formalem exigunt — Realem excludunt — *Secundum argumentum* — Argumentum in forma — In quo sita quaestio — In sensu formali propositio evidens et ad probandum efficax — Non autem in sensu reali — Declaratur in divinis — In definitione et definito — In gradibus metaphysicis — Quid de D. Thoma sentiendum — Ferrariensis — D. Thomas non invocat *susceptivum*, uti facit Ferrariensis — Ferrariensis non solvit difficultatem, quam sibi obiicit — Refellitur Ferrariensis responsio — Susceptivum realiter distinctum inepte et falso asseritur — Quo sensu alibi *susceptivum* D. Thomas intelligit — Respondetur difficultati a Ferrariensi motae — *Tertium D. Thomae argumentum* — Argumentum in forma — Post dicta, facilis argumenti intellectus — Plenius declaratur D. Thomae sensus — Ferrariensis — Sibi obiicit — Respondet — Aperitur Ferrariensis aequivocatio — *Quartum D. Thomae argumentum* — Argumentum in forma — Claret argumentum esse de identitate formali, non de reali — Convenit Ferrariensis — *Quintum D. Thomae argumentum* — Argumentum in forma — Evidenter argumentum non valet in sensu realis distinctionis, sed solum formalis — Declaratur D. Thomae exemplum — Ferrariensis — Probatur ex D. Thoma — Damascenus — *Sextum D. Thomae argumentum* — Argumentum in forma — Clare elucet argumenti sensum non esse realem, sed formalem — Confirmatur ex Ferrariensi — *Septimum D. Thomae argumentum* — Argumentum in forma — Patet argumenti sensum esse formalem, non realem — Mens. D. Thomae ex argumenti conclusione declaratur — Ferrariensis difficultates nec sunt contra D. Thomam recte intellectum, nec ad D. Thomam recte intelligendum valent — Ferrariensis locus — Non agnoscit entitatulam Aegidianam — Quo sensu intelligat: *formaliter* — Quomodo sibi constet Ferrariensis, viderit ipse — Fr. Del Prado 269-285

Cap. 53. Quod in substantiis intellectualibus creatis est actus et potentia.

Quid in hoc capite loquutiones praeseferant — Non cogimur admittere sensum adversariorum — In hoc capite nihil est, quod sensum adversariorum determinet evidenter; plura sunt, quae exigunt oppositum — Probatur 1.um — Probatur 2.um — Quid, si rem ipsam, non loquutiones inspiciamus? — Est corollarium capitis praecedentis — Convenit Ferrariensis — Habetur in textu — Ex doctrina capitis praecedentis non sequitur sensus adversariorum — Non habetur ex 1.° — Neque ex 2.° — Neque ex 3.° — Neque ex 4° argumento — Generalis conclusio contra adversarios 286-289

Cap. 54. Quod non est idem compositio ex substantia et esse, et materia et forma.

Differentiae tres inter compositiones ex materia et forma, et ex substantia et esse — Prima illatio ex datis differentiis — In substantiis materialibus duplex compositio; in spiritualibus unica — Secunda illatio — Mnemosynon — Fundamentum totius doctrinae — Loquendi modus formalis — Declaratur comparatio formae et diaphani — Quae docet S. Doctor commune nihil habent cum entitatula Aegidiana — Placitum Ferrariensis — Compositio *ex iis* et *cum iis* — Excluditur — Probatur ex rebus ipsis — Et ex D. Thoma 289-292

IV. *Ex locis, in quibus Angelicus Doctor utitur doctrina distinctionis inter creati entis essentiam et esse, tanquam principio ad alia demonstranda, critice loquendo, non probatur evidenter distinctio formaliter realis, sed solum fundamentaliter realis.*

Quartum demonstrationis caput — Quid viri quidam docti et graves dicere non sint veriti — Summa Theologica prae oculis habenda 292

De iis, quae ex distinctione inter essentiam et esse infert relate ad Deitatem.

Quaerit I. *Utrum in Deo sit idem essentia et esse* — Quo sensu quaerit Aquinas: *Utrum in Deo sit idem essentia et esse* — Quaerit proprie in sensu formali aut essentiali — Ratio — Responsio affirmans — Discutitur 1.um argumentum — Probanda maior ex S. Doctore in sensu declarato — Sensus argumenti ex verbis: *Quod est praeter essentiam eius* — Exponitur a D. Thoma — Ex quo pendeat argumenti vis — Supposita adversariorum distinctione, argumentum D. Thomae nullum, aut inevidens — Evidens in opposita sententia — D. Thomas putavit se evidenter probare — Confirmatur sensus argumenti ex iis, quae scribit: *Contra Gentes* — S. Doctor loquitur non de reali, sed de essentiali identitate — Excluditur entitatula Aegidiana — Refelluntur adversarii — Legitimum D. Thomae argumentum — Praeoccupatur difficultas — D. Thomae argumentum 2.um — Quaestio — Definitur et solvitur — Confirmatur ex: *Contra Gentes* — Illatio pro quaestione nostra — Argumentum 3.um — Ridiculum esset illud intelligere de identitate reali — Idem dicendum de argumentis aliis, quae innuuntur 292-297

Quaerit II. *Utrum Deus sit in genere aliquo, 1. p. q. 3. a. 5.* — Textus D. Thomae — Quid adversarii — Quantum a veritate abludant, satis constabilitum est — Hypothesis — Distinctio adversariorum impertinens, ut res dicatur, vel non, esse in genere — Aperitur D. Thomae sensus — Declaratur et confirmatur — D. Thomae verba — Eandem argumentandi rationem ubique persequitur — Affertur locus insignis *ex I. Dist. 8. q. 4. a. 2.* — Declaratur — Occurritur difficultati — D. Thomas ne cogitavit quidem de entitatula Aegidiana — Textus ex: *Contra Gentes, lib. 1. c. 25* — Declaratur — Textus alius ex eodem loco — Declaratur, et urgentur adversarii 297-303

Quaerit III. *Utrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei* — Declaratur — Critica quaestio — Caietanus — Illatio ex confessione Caietani — Confirmatur ex modo loquendi D. Thomae — Praecavetur difficultas — Doctrina illustratur exemplis — Confirmatur ex textibus et contextibus — Illustratur — Adhuc D. Thomas — Declaratur — Infertur Conclusio — Declaratur plenius — Inspiciuntur specialia dicta, et plenius declaratio nostra constabilitur — Sensus assertus rursum firmatur — Adversariorum sensus non necessarius et inevidens — Ulterior confirmatio — Caietanus — Adhuc D. Thomas — Declaratur — Illatio ex data declaratione — Communia huic loco et loco *Summae* — Excluditur entitatula Aegidiana ex specialibus huius loci — Confirmatur ex solutione difficultatum — Ad 1.um — Ad 2.um — Notanda responsio — Profitetur D. Thomas realem identitatem inter esse substantiale et essentiam, etsi negat formalem — Ad 6.um 303-314

Quaerit IV. *Utrum Deus sit infinitus, 1. p. q. 7. aa. 1. et 2.* — Monitum — Post dicta D. Thomae nequit esse obscura aut difficilis sententia — Probatur — In sensu adversariorum probatio D. Thomae nulla et impertinens — Quid D. Thomas in demonstrando prae oculis habuit — Declaratur — Adhuc D. Thomas — Declaratur — Notantur aliqua — Non requiritur realis distinctio, ut unum ab alio limitetur — Per D. Thomam τὸ *esse* est ratio quaedam — Adhuc D. Thomas — Declaratur — Videtur D. Thomas nullum *susceptivum* ad aliquid limitandum requirere — Adhuc D. Thomas — Declaratur — Ex S. Doctore τὸ *esse* est ipsa realis rei perfectio, non entitatula Aegidiana — Adhuc D. Thomas — Declaratur — Quid iuris — Heic sistendum — Quare 314-322

De iis, quae ex distinctione inter essentiam et esse infert relate ad potentias et operationes substantiarum creatarum, praesertim intellectualium.

Quaerit Angelicus: *Utrum intelligere Angeli sit eius substantia, 1. p. q. 54. a. 1.* — *Utrum intelligere Angeli sit eius esse, Ibidem a. 2.* — *Utrum potentia intellectiva Angeli sit eius essentia, Ibidem a. 3.* — Declaratur triplex quaestio — Triplex responsio negans — Ratio 1.ae negationis in: *Sed contra* — Corporis articuli ratio — Ratio 2.ae negationis in corpore articuli — Ratio 3.ae negationis in corpore articuli — Quaestio critica — Quae dicit S. Doctor intelligendane sunt in sensu reali, an in sensu formali? — Plurium sententia — Caietanus — Quid Angelicus — Directe — Consequutive — Opinio nostra — Probatur ex modo loquendi — Ex rebus — Ex responsione ad 1.um a. 1. — Ex responsione ad 2.um a. 2. — Non agitur de distinctione reali, sed de formali, saltem directe — Si non in sensu formali definirentur quaestiones tres, argumenta S. Doctoris non essent demonstrativa — Toletus de articuli 1. argumentis — Non omnino placet Toletus — D. Thomae argumentum a Caietano propositum — Crisi Caietanus subiicitur — Exponitur primum D. Thomae argumentum in sensu formali — Et in sensu reali — Toletus — In sensu reali dubium antecedens, et nulla per se consequentia — Exponitur secundum argumentum in sensu formali — Est evidens — Et in sensu reali — Dato primo antecedenti, prima consequentia non tenet — Multo minus tenet ultima — Ad articulum 2.um intelligendum bina definienda — De quo Angeli esse loquitur Aquinas? — De qua identitate aut distinctione quaerit? — Exponitur Angelicus — Ad articulum 3.um intelligendum sternitur via — Proponitur argumentum in sensu formali — Est evidens — Declaratur exemplis — Proponitur in sensu reali — Deest consequentia — Monitum — Conclusio generalis 322-331

Quid D. Thomas de operationibus et potentiis substantiarum creatarum consequutive doceat? — Summa doctrinae Angelici in praesenti materia — Quid inde sequatur de operationibus substantiarum creatarum — Quid de potentiis — Suntne potentiae proprietates physicae, an metaphysicae? — Mens D. Thomae hac super re non omnino liquida — Loca aliquot S. Doctoris — Iudicium auctoris — Quaestio — P. Sanctus Schiffini — Crisi subiicitur — D. Thomas — Illatio ex prolatis locis — D. Thomas in ipsis solam distinctionem formalem insinuat — Urget P. De Maria — Refellitur — Praemittuntur aliqua — Respondetur dictis P. De Maria primo — Declaratur responsio exemplis ex adversario derivatis — Secundo — Dicta adversariorum longe absunt a reali evidentia . . 331-338

De Angelici doctrina circa materiam primam eiusque esse.

P. Schiffini — P. De Maria — Quae indicantur, non sola sunt, quae de materia prima docet Angelicus—Completur Angelici doctrina—Dicta confirmantur ex speciali loco — Collectio ex loco recitato — Caietanus alibi a nobis correptus—P. Alamannus tredecim ex capitibus, collatis auctoritatibus, ex D. Thoma materiae primae esse partiale vindicat — Summa totius doctrinae Angelici — Aut contradictorius D. Thomas, aut aliter et aliter intelligendus — Hoc alterum verum est — Declaratur — Declaratio nostra est etiam Em. Card. Zigliara — Eius verba — Totum Em.mi Caput legendum — Notatu digna — Materia ex se habet imperfectum actum essendi et exsistendi — Unde factum, ut aliqui id negarint — Putat quaestionem esse de nomine: Habeat necne materia prima essendi exsistendique actum — Putat hanc quaestionem in generalem quaestionem non influere — Monitum — Prima responsio indirecta Patri Schiffini — Patet inde falsum esse, quod P. Schiffini asserit — Secunda responsio directa — Declaratur — Respondetur Patri De Maria — Negatur prima consequutio — Quae subdit, an laudi verti possint Patri De Maria? — Nullibi legitur apud D. Thomam: *Materiam primam esse meram potentiam in genere entis* — Contra, in locis laudatis D. Thomas docet essentiam et esse in creato ente non distingui realiter — Ostenditur — D. Thomas — Extranea et repugnans D. Thomae est entitatula Aegidiana—P. Schiffini aliter urget eandem difficultatem—Respondetur—Colligitur eius mens — Affertur D. Thomas — Collectio ex loco allato — Ex doctrina D. Thomae τό esse specificum in formis substantialibus ab ipsis non realiter, sed solum formaliter distinguitur — Adhuc D. Thomas — Quaestio — Clarissime excluditur entitatula Aegidiana — Declarantur aliquot verba, quae aequivocationi dare locum possent — Notandum — Collectio ex tota doctrina huc usque declarata de substantia intellectuali — Quomodo substantia spiritualis suum esse materiae communicet, si sit forma informans — D. Thomas — Illatio— Accedimus propius ad P. Schiffini — Legitima curiositas — Responsio D. Thomae amussitata — Ostenditur — Confirmatur nostra declaratio — Excluditur omnis entitatula, nescio quae — Mirandum in P. Schiffini — An necessaria realis distinctio adversariorum, ut natura humana in Christo ad esse Verbi trahatur. 338-353

De Angelici doctrina circa esse exsistentiae naturae humanae in Deo Verbo Incarnato.

Quaerit Aquinas: *Utrum in Christo sit tantum unum esse, 3. p. q. 17. a. 2.*— P. Billot — Nimis fidenter loquitur — Non est huius loci pro merito disiicere dicta P. Billot — Animadversiones in P. Billot — Communis Ecclesiae fides —

Definitio Ephesina, Chalcedonensis, Constantinopolitana, Patres — Duo docent— Primum — Secundum — Verba definitionis Chalcedonensis — Intelligentia P. Billot, si utcumque dogmatis intelligentia est, est *praeter doctrinam Patrum* — Imo est *contra doctrinam Patrum* — Adhuc Chalcedonense — Ostenditur doctrinae Patrum contraria entitatula Aegidiana — Responsio P. Billot — Ex nostra doctrina sequela duplex adversa — Impugnatur responsio — Sequelae nullae — Personalitas non est physicum quid, sed metaphysicum — Damascenus — Nulla secunda sequela — D. Thomas — Entitatula Aegidiana iuxta Patres non potest salvari — Loquutiones Patrum non explicantur a P. Billot — Imo inspecta, non catholicissimi Auctoris intentione, sed ipsa re, intelligentia P. Billot est contra ipsum dogma — Probatur — Respondet P. Billot — Impugnatur P. Billot — Praenotandum — Doctorum quorundam opinio de esse absoluto et relativo in divinis — D. Thomas — Doctores alii — Caietanus — Iuxta secundos P. Billot ius non est invocandi esse personale Verbi — Iuxta priores vero potest quidem esse personale invocari, sed in doctrina P. Billot non sine aliis inconvenientibus — Notantur inconvenientia — Intelligentia mysterii, a P. Billot tradita, non necessaria — Talis est, ut mysterium evadat inintelligibile, ac fere absurdum, idque ex vi suae distinctionis realis — Ex quo fit, ut illa distinctio non solum dici nequeat conclusio theologica, sed ex mysterio Incarnationis excludatur — Obiectio P. Billot ex de Lugo — Obiectio altera — Responsio ad 1.am obiectionem — Declaratur responsio — Conceptus unionis hypostaticae iuxta doctrinam Scripturarum et Patrum— Declaratur exemplo — Responsio ad 2.um — Definitio Concilii Constantinopolitani II. 353-362

Ad D. Thomam redeundum — Quaestio: *De unione Verbi Incarnati* — Quare illa non utamur — Ordiemur a doctrina *Summae Theologicae* — Quid D. Thomas doceat 3. p. q. 17. a. 1. — Quid a. 2. — Quo pacto, ontologice, logice, dialectice? — Caietanus, Em. Card. Satolli — P. Billot — Quid speciatim intersit inter Em. Card. Satolli et P. Billot? — Suarez — Suaresii doctrina — Valentia — Quid Toletus? — Nostra sententia — Prae Caietano placet P. Billot in reddenda ratione methodi D. Thomae — D. Thomas loquitur de *esse*, prout pertinet non ad naturam, sed ad personam — Non agnoscit in Christo, nisi unum esse personale — Quid esse personale? — Caietanus, Em. Satolli, alii — In quo conveniunt — In quo differunt — Suarez, Valentia, Doctores alii — Illatio ex dictis — Secunda expositio potius aut unice est sensus D. Thomae — Ostenditur primo — Occurritur difficultati — Ostenditur secundo multipliciter— Declaratur exemplis — Summa doctrinae D. Thomae, et conclusio argumenti praecipue intenti — Quomodo Caietanus Angelicum pervertat — D. Thomas — Declaratur — Consulendus Suaresius, uno praetermisso, quod innuitur — Ubique eandem tradit doctrinam Angelicus — Locus ex III. Dist. 6. q. 2. — Collectio ex loco laudato — Locus ex Quodlibeto 9. q. 2. a. 3. — Illatio — Locus ex Compendio Theologiae, c. 212. — Locus ex q. *De unione Verbi Incarnati*, a. 4. — Declaratur — Animadversio notanda — Conclusio generalis demonstrationis negativae 362-374

§ II. *Probatur eadem assertio positive.*

Argumentum generale — Consequentia evidens — Prob. ant. I. — In D. Thoma τὸ *esse* est ipsa realis res, ut contradistincta a seipsa, ut possibili — Probatur ex *Quodlibeto 3. q. 2. a. 3. corp.* — Textus D. Thomae — Declaratur — D. Thomae habere esse et esse idem est — Conclusio — Prob. ex *QQ. DD. De*

potentia, q. 7. a. 2. ad 9.um — Textus D. Thomae — Declaratur — Probatur intentum — Occurritur difficultati — Confirmatur — τὸ *esse*, formaliter loquendo, ratio quaedam — Ostenditur — Praeoccupatur difficultas — Prob. ex *I. Dist. 8. q. 5. a. 2. corp.* — Textus D. Thomae — Declaratur locus insignis — Probatur intentum 374-380

Prob. idem aut. II. — In Deo, et in singulis creatis entibus, ex D. Thoma, essentia actualis sibi realiter identificat τὸ *esse* — De Deo nulla controversia — Prob. de esse creato indefinite considerato — de substantiis intellectualibus — de anima humana — Textus D. Thomae — Declaratur — Concluditur — Prob. de materia prima — Praeter superius allata, afferuntur alia documenta — de composito — Generatim — Speciatim in viventibus — in composito Theandrico 380-383

Prob. idem aut. III. — Forma omnis dat formaliter esse, a se realiter proinde indistinctum — Forma nequit esse causa materialis — P. Remer contra D. Thomam — Forma principium formale essendi, et non in essendo principiata — Forma dat esse per sui communicationem, et non per distinctam formam aliam — Forma omnis dat esse proportionatum — D. Thomas . . . 383-385

Prob. idem aut. IV. — D. Thomas diserte docet in omni ente essentiam actualem et *esse* realiter esse idem, et differre ratione — Textus D. Thomae ex *IV. Metaph. Lect. 2.* — Avicenna — A D. Thoma correptus — Philosophus et D. Thomas *loquuntur* de ente participialiter sumpto, prout nimirum includit reale esse — Probatur — Confirmatur — Obiectio — Responsio — Philosophus et D. Thomas *docent* ens, sensu declarato, et essentiam esse *re* idem, et *ratione* differre — Philosophus et D. Thomas *probant* assertum — Quatuor modi praedicandi *per se* — Quo sensu ens et unum praedicantur *per se* de actuali essentia — Certe non in primo modo praedicandi *per se* — Sed in aliis, vel in aliquo aliorum — Quo sensu non praedicantur *per accidens* — Processus in infinitum a Philosopho et Aquinate adversariis obiectus — Philosophus et D. Thomas doctrinam tradunt e diametro doctrinae adversariorum oppositam — Contra Avicennam *tuetur* Aquinas doctrinam traditam — Adversarii, quoad *esse*, doctrinam propugnant Avicennae — Probatur — Adversarii in Avicenna a D. Thoma reiecti — Occurritur difficultati — D. Thomas, hoc loco, diserte et data opera *docet, probat, tuetur* contra adversarios doctrinam, quam nos in ipso agnoscimus — Non acquiescit P. Remer, et suo modo D. Thomam interpretatur — Declaratio P. Remer — Reiicitur — Declaratur in singulis, quae subiicit . 385-393

Prob. idem aut. V. — Quaenam ex D. Thoma sit in creato ente compositio ex essentia actuali et esse? — Locus D. Thomae — Illatio — Obiectio — Firmatur 1.° exemplo — 2.° contextu — 3.° locis parallelis — Responsio 1.ª generalis — Ratio composita metaphysicum quid, non physicum — Responsio 2.ª specialis — Praedicationis specificativae et reduplicativae propria ratio — Responsio ad 1.am confirmationem — Compositio subiecti et accidentis non est ratio composita — Responsio ad 2.am confirmationem — Realis essentia ipsum esse — Quod adhaeret substantiae, accidit quasi extrinsecus adveniens — Responsio ad 3.am confirmationem — Epilogus rerum dictarum et generalis conclusio — Laudantur Auctores, qui utiliter in hac quaestione possunt legi . . 393-397

Probatur 3.ª pars thesis

Sequitur ex dictis eos, qui distinctionem formaliter realem negant, non D. Thomam, sed quorundam, plurium etiam si lubet, Thomistarum sensum unice impugnare; atque adeo iniuria prorsus ceu a D. Thoma et eius schola extorres traduci.

Mirum phaenomenon — quid praestandum, ut intelligatur — Quaestio nostra maiori parte saec. XIII. non directe agitata — Quid S. Doctor noster — Quid ipsi Albertus M. tradiderat — Alberti M. locus communiter laudatus — Quem in finem ab adversariis — Doctoris Rittler opinio — Declaratur — Rursum Albertus M. de Mysterio Incarnationis agens — Est eadem doctrina, quam in D. Thoma suspeximus — Alexander Halensis — Temporibus D. Thomae quaestio nostra, arrepta occasione, obiter tangebatur — Fata Angelicae doctrinae saeculo XIII. — Ex expositione et defensione doctrinae Angelici, inter alias, nostra quaestio propriisime enata — Quomodo se gessit Godefridus de Fontibus — Quomodo Aegidius Romanus — Testimonium Aegidii de recenti nativitate quaestionis nostrae — Realis distinctionis proximum se innuit patrem — Quod mox ex Capreolo authentice ediscemus — Illius distinctionis Aegidium Hervaeus signat parentem — Testimonium Capreoli de Aegidio parente distinctionis realis, et de parta entitatula, quam ipse adoptavit — Aegidii verba ex Capreolo — Collectio — Qui se habuere res saec. XIV. et XV. — Illis saeculis discipulorum D. Thomae unum erat labium, sed non eadem sententia — Quid saec. XVI. Caietanus? — Restiterunt adversa fronte pauci — Permisere non pauci — Pacifice res transigebatur — Quid Neo-Thomistae post Leonem XIII. — Iniuria agunt — Qui Aegidianum esse respuunt, non D. Thomam, sed Aegidium eiusque respuunt sequaces — Quid petimus — FIAT PAX! Ad Angelicum Doctorem precatio 397-403

FINIS INDICIS

121.42
P 582
7820
PICCIRELLIM J.M.
AUTHOR
De... Essentiam et Existentia
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Bau	DEC 4
	McKu	DEC 12
	Seminary	
	Rowland	NOV 1
	Corcoran	
	STORAGE - CB	

7820